11. Pl. 6.

7 B

MAG 4358

Digitized by Google

R. P. OCTAVII MARIÆ
A' S. JOSEPH
Tuſculani, Theologi Auguſtiniani Excalceati
OPERA OMNIA.
IN QUIBUS

Bis mille, trecenta, & decem Dubia Moralia per modum Interrogationum, & Reſponſionum diſcuſſa, continebantur.

In hac ſexta Editione in duos Tomos diſtributa, multis in locis Doctrinis locupletata, & per varios Titulos Alphabetico ordine diſpoſita.

Additis centum aliis Quæſitis ejuſdem Auctoris, nondum impreſſis, necnon Propoſitionibus hucuſque à diverſis Summis Pontificibus damnatis; unà cum Inſtructione pro Caſibus, quorum abſolutio, ſeù diſpenſatio, à Sacra Apoſtolica Pœnitentiaria impetratur.

PRODEUNT

SUB FOELICIBUS FAUSTISQUE AUSPICIIS

DIVI NICOLAI TOLENTINATIS,
AUGUSTINIANI ORDINIS GLORIÆ, ECCLESIÆ, AC CONVENTUS AD CAPITA DOMOR. URBIS, PROTECTORIS VIGILANTISSIMI.

TOMUS SECUNDUS.

ROMÆ, M. DCCVIII.
Noviſſimis Typis Joſephi Nicolai de Martiis, propè Magnam Curiam INNOCENTIANAM.
SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO.
Si vendono dal medeſimo Stampatore, e da Pietro Leone Libraro in Parione all' Inſegna di San Giovanni di Dio.

Digitized by Google

Digitized by Google

P. OCTAVII MARIÆ A S. JOSEPH OPERA MORALIA

Confeſſariis, & Perſonis Eccleſiaſticis Utilia, atque fructuoſa.

TOMUS SECUNDUS.

TITULUS CXXX.

DE LAICIS.

Vide tit. de Accuſ. &c. Inter. 1. tit. de Bigam. Inter. 2. tit. de Circumſt. pec. Inter. 17. tit. de Cler. &c. Inter. 11. 12. 13. & ad quæſ. 4. tit. de Eccleſ. Inter. ult. & ad quæſ. tit. de Elect. &c. Inter. 7. tit. de Excom. ob Cler. percuſ. Inter. 9. tit. de Hæreſ. &c. Int. 6. tit. de Judicib. Inter. 2. tit. de Morib. &c. Inter. 1. 2. tit. de Paroch. Inter. 30. tit. de Penſionar. &c. Inter. 2. tit. de Regul. &c. Inter. 53. 56. tit. de Sacr. Bap. Inter. 6. tit. de Sacr. Euch. ad quæſ. 4. & 5. tit. de Sacril. Inter. 7. tit. de Teſtib. &c. Int. 7. tit. de Viſit. Inter. 3.

1221 INter. 1. Laicus poteſtne abſolvere à cenſuris in articulo mortis conſtitutum?

Reſp. Plures non infimæ notæ Doctores affirmant poſſe Clericum deficiente Sacerdote, & Laicum deficiente Clerico in articulo mortis conſtitutum à cenſuris abſolvere, & abſolutionem ſic collatam valere, ad hoc, ut poſſit ſepeliri in loco ſacro, & participare Chriſti fidelium ſuffragia, & miſſas publicè prò eo celebrari. Vide pro hac ſententia DD. quos refert Diana *par. 3. tract. 4. reſ. 133. & in Addit. ſecund. reſ. 12. & par. 5. tr. 3. reſ. 77. & par. 8. tract. 7. reſ. 79.* & alios apud Cabrinum *Elucid. caſ. reſer. par. 1. reſ.* 88. Tamen communis, & probabilior ſententia docet oppoſitum quià Concil. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 7.* ſolis Sacerdotibus hanc facultatem concedit. Unde dato caſu, ut nullus eſſet ibi Sacerdos, poteſt moriturus per con-

tritionis actûm peccatorum veniam obtinere,& poſt ejus mortem à Sacerdote,neceſſariam auctoritatem habente, à cenſuris abſolvi, ad effectum ſaltem, ut poſſit in loco ſacro ſepeliri, & ſuffragiorum Eccleſiæ capax effici,ut optimè docent Navar.*cap.26. num. 26. & cap. 27. num. 272.* Suarez *de cenſu. diſp. 7. ſect. 7. n. 3. & 5.* Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 13. num. 13.* Bonac. *de cenſu. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 3. n. 1.* & alii, quos refert, & ſequitur idem Cabrinus *loco cit.* Et hanc noſtram ſententiam communem, atque probabiliorem eſſe fatetur idem Diana *ubi ſuprà in primo loco citato*, & Cabrinus ibidem rectè ad omnia argumenta contraria reſpondet. Vide *ad Inter. ſequentem*.

1222 Inter. 2. Parochus,aut alii Clerici ſepelientes excommunicatum, abſolutum tamen in articulo mortis à Laico, peccâtne mortaliter, & incurruntne aliam pœnam?

Reſp. Certum eſt primò, quòd ſepelientes excommunicatum majori excommunicatione, imò lavantes,vel veſtientes, vel funus ducentes, incurrunt excommunicationem,præter peccatum mortale, quod tunc committunt, ut habetur *ex cap. Sacris de Sepulturis, & ex Gloſ. in cap. ad hæc de privil.*, & docet Abbas *in dicto cap. Sacris, & in cap. Cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum, & in cap. Is cui de ſent. excom. in 6.* Verum tamen eſt, quòd hujuſmodi excommunicatus debet eſſe non toleratus, hoc eſt notorius Clerici percuſſor, vel nominatim denunciatus, quia, ut ſæpè dixi, communicare cum excommunicatis toleratis non eſt prohibitum, ſtante *Extravag. Martini V.* quæ incipit: *ad evitanda*. Hoc igitur prænotato, ad præſentem difficultatem negativè reſpondet Diana *par. 8. tr. 7. reſ. 79.* tali fundamento nixus, ſcilicet, non eſſe denegandam ſepulturam excommunicato vitando,niſi in caſu claro, & manifeſto; quia ſi dubitatur an cadaver ſit ſepeliendum nec ne, tunc debet in loco ſacro ſepeliri, nam in partem favorabilem, & meliorem inclinandum eſt, & hoc rectè dicit, & probat: ſed in caſu noſtro (inquit ipſe Diana) adeſt opinio probabilis, quòd licitè, & validè à Laico in articulo mortis abſolutus ſit, ergò à ſepultura Eccleſiaſtica minimè arcendus erit, & Clerici illum ſepelientes, immunes ſunt à peccato, & à pœnis inflictis à ſacris Canonibus. Ità ergò concludit ipſe Diana, quod mihi quidem non probatur; quia certè ſuppono nullatenus poſſe Laicos abſolvere à cenſuris in articulo mortis conſtitutum juxta cõmuniorem, & probabiliorem ſententiam, ut fatetur idem Diana *par. 3. tr. 4. reſ. 133.* & ego jam dixi ad Inter. antecedentem; ac proinde ſepelientes excommunicatum vitandum, à Laico abſolutum, peccant mortaliter, & afficiunt ſe pœna excõmunicationis; nam dicta opinio, licèt probabilis non prodeſt illis, præſertim ſi ſciant ſententiam oppoſitam eſſe probabiliorẽ, quia, ut dicam *in tit. 155. de Opinione ad Int. 6.* non poteſt quis tuta conſcientia ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & magis tuta in praxi, cum non liceat cum periculo de peccato operari. Vide igitur quæ ibi firmabo, & tene perpetuò menti.

1223 Inter. 3. In ſepultura Sacerdotum poſſuntne ſepeliri Laici?

Reſp. Minimè, ſed in diſtincta ſepultura humandi ſunt Sacerdotes à ſepultura laicorum, ex diſpoſitione Rit. Romani *ſub tit. de exequiis in Rubric. verſ. Sepultura*. Ità Gavantus *in Man. eodem verb. num. 1.* Cutillus *in addit. ad Jacob. Mancinum tract. de ſepult. dub. 41.* & alii communiter.

1224 Inter. 4. Si nullus adſit Sacerdos, qui poſſit Sacrificium ab alio inceptum perficere quid faciendum eſt? & poteſtne Laicus ſpecies conſecratas ſumere in tali caſu?

Reſp. Si antè conſecrationem Sacerdos moriatur, aut aliquo morbo corri-

corripiatur, ita ut Sacrificium perficere nequeat, nullus alius tenetur illud explere, ut docent DD. communiter, quia tunc non urget præceptum illud integrandi, ut accidit poſtquam peracta eſt conſecratio. Quando igitur peracta conſecratione non poteſt Sacerdos Miſſam perficere, alius debet ſupplere licèt non ſit jejunus, ut docet Em. Sà *verb. Euch. propè finem*, & excepto Sylveſt. in hoc omnes conveniunt: Sed dato, quòd nullus alius Sacerdos adſit, qui id præſtare valeat; quidam dicunt licere Laico ſpecies conſecratas, etiam vini ſumere, non ad perficiendum Sacrificium, ſed ob reverentiam Sacramenti. Vide Ludovicum à Sancto Joanne *in Sum. q.7. art. 17. diffic. 12.* Serram *in 3. par. D. Thom. qu. 83. a. 6.* ſed Tolet. *lib. 2. cap. 8. ſub num. 1.* docet, quòd Sacramentum debet reponi in Sacrario, & ſimiliter ſanguis, donec altera die ab alio Sacerdote ſumatur; & ſi ſpecies vini corrumperentur, in Sacrarium projiciendæ eſſent, & idem tenet etiã Serra *loc. cit.* ſed expedit prius in ſtuppa ſiccari, ut docet, & rectè Em. Sà *verb. Euch. num. 30.* Verùm Amicus *in curſ. Theol. tom. 7. diſp. 29. ſect. 8. num. 10.* licere Laico in defectum Sacerdotis, ſumere ſanguinem in periculo irreverentiæ, aut corruptionis putat; Sed mihi in caſu noſtro hęc opinio non probat, quia corpus, & Sanguis Chriſti ceſſat eſſe ſub ſpeciebus, ſi iſtæ corrumpantur. Non ità dicendum foret, ſi periculum eſſet, quòd devenirent in manus Infidelium cum contumelia; nam tunc, puto licere Laico id quod dicit Amicus.

1225 Inter. 5. Laici qui urgente neceſſitate, vel non habentes copiam Confeſſarii, ſumunt Sac. Euchariſtiã, tenenturne ſicuti Sacerdotes, vigore Concilii Trid. *ſeſſ. 13. cap. 7.* quamprimum confiteri?

Reſp. Non deſunt Auctores pro affirmativa ſententia, ut videre eſt apud Dianam *par. 9. tr. 3. reſ. 27.* tamen communis ſententia docet non teneri Laicos, ſicut tenentur Sacerdotes, quia verba Concilii loquuntur tantùm de Sacerdotibus, & ſic nõ ſunt extendenda ad Laicos, quia præceptum pœnale, quale eſt iſtud, extendi non debet, nec attendendum eſt quid Legiſlator interrogatus ſtatuiſſet, ſed quid de facto ſua lege ſtatuit. Ita tradunt Leander, Mercerus, Granado, Leſſius, Suarez, & alii communiter, teſte eodem Diana ubi ſup. & rectè quidem, nam ſine lege non eſt aſſerenda obligatio, ut habetur *ex cap. Conſuluiſti 2. qu. 5.* Vide Gabr. à S. Vincentio *de rem. ignor. diſp. 13. dub. 2. in fin.* Bonac. *de Sacram. diſp. 5. qu. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 4. n. 21.* & Em. Sà *verb. Confeſſio ſub num. 43. in addit.*

1226 Inter. 6. Si Laicus exiſtens in peccato mortali, reverentiæ, & honoris cauſa deoſcularetur Sac. Euchariſtiam, peccaretne mortaliter?

Reſp. Sotus dubitat peccare mortaliter: ſed Suarez abſolutè oppoſitum tenet, nempè non eſſe peccatum mortale, & ità docet etiam Dicaſtillus *de Sac. tom. 1. tr. 4. diſp. 21. dub. 5. num. 101.* quibus ſubſcribit Diana *par. 11. tr. 7. reſ. 43. in fin. verſ. Secundò nota.* Sed hoc intelligendum eſt ſecluſo ſcandalo: ſed vide ſequentem reſponſionem.

1227 Inter. 7. Poſſuntne Laici licitè tangere Calices, patenas, & alia quæ immediatè corpus, vel Sanguinem Chriſti attingunt?

Reeſp. Quando in Calice, vel patena, vel alio vaſe ſacro continetur Corpus Chriſti, tangi non poſſunt, ſecluſo ſpeciali privilegio, niſi à Sacerdote, vel Diacono, aliàs grave peccatum eſt *ex cap. non oportet diſtinct. 23.* & docent Paludanus *in 4. diſt 13. q. 1. art. 4.* Suar. *in 3. par. tom. 3. diſp. 81. ſect. 8.* & Lezana *tom. 1. par. 2. cap. 8. num. 34.* Si verò non contineant Chriſti Corpus, neque licitè ea vaſa Laici tangere poſſunt, ut patet *ex cap. in*

Digitized by Google

Sancta de conſecr. diſt. 1. & *cap. Sacras diſtin.* 23. Verum eſt tamen, quod ſecluſo ſcandalo, & contemptu, eſt ſolum peccatum veniale; Immò neque peccatum veniale, ſi aliqua rationabili de cauſa, aut morali neceſſitate id fiat, ut aliis relatis docet idem Lezana *loco cit.* & *tom.* 2. *verb. Calix nu.* 9. Vide etiam Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *qu. ult. pun.* 9. *num.* 21. & Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 2. Referuntur etiam à Lezana *in primo loco cit. num.* 33. quædam privilegia conceſſa à diverſis Sūmis Pontificibus Fratribus Ordinis Minorum: ſed quia ſunt vivæ vocis oracula, his temporibus nihil valent. Sed privilegium conceſſum à Sixto IV. pro Fratribus profeſſis converſis Ordinis noſtri, *Congregationis Lombardiæ*, ut dum Sacriſtarum officium exercent, poſſint tangere Calices, Patenas, & Purificatoria cum neceſſe ſit, non eſſe vivæ vocis oraculum, & ſuſtinere aſſerit Lezana *ibidem.* Cæterum ad tollendos ſcrupulos ſolet ad id peti licentia à Sac. Congregatione Rituū, ut docet Barboſ. *in Collect. Bull. verb. Licentia.* Vide iterum Dianam *par.* 11. *tract.* 3. *reſ.* 16.

1228 Inter. 8. Laici poſſuntne licitè tangere, ſeu contrectare circulos cereos, qui vocantur Agnus Dei?

Reſp. Verè, & realiter illos tangere non poſſunt, niſi Clerici ſaltem in Subdiaconatu conſtituti, quia non ſolum dicti Agnus Dei ſunt Sacri, & benedicti, ſed etiam oleo Sancto; & Chriſmate conſecrati, ut deducitur *ex cap. Sacras diſt.* 23. & docent Azorius, & Sanchez apud Lezanam *tom.* 2. *verb. Agnus Dei num.* 7. Tamen Laici illos tangentes mortaliter non peccant ſecluſo ſcandalo, & contemptu, ſed peccant venialiter, quia pro levi irreverentia communiter hoc æſtimatur; Immò idem Lezana *loco cit.* credit ſi adeſt moralis neceſſitas, pietas, & devotio nullum eſſe peccatum illos decenter tangere, vel contrectare, quia ità videtur uſu receptum. Vide Sanchez *in Sum. lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 27. & Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 1 *n.* 13.

1229 Inter. 9. Si Laicus lavet corporalia ante primā lotionem factā à Sacerdote, vel Diacono, peccatne venialiter?

Reſp. Nullus poteſt lavare corporalia, niſi poſt primam lotionem factam ſaltem à Diacono ſub pœna peccati venialis, poſt verò primam lotionem per Diaconum habitam, poſſunt Laici ſine ſcrupulo, & fœminæ, præſertim Sacræ Virgines, ea melius lavare, tergere, & reficere. Et quamvis Religioſi Laici, ſeu Converſi poſſint ex privilegiis, Calices contingere, lavare corporalia, & alia ornamenta Eccleſiaſtica; tamen intelligitur, quod præcedere debeat lotio à competenti miniſtro, ut dictum eſt ſupra. Ità Hinojoſa *in directorio deciſ. regul. verb. corporalia fol.* 155. apud Dianam *par.* 11 *tract.* 3. *reſ.* 16. qui tamen tenet, quod Religioſi Laici, ſicut poſſunt ex privilegio illa tangere, ità pariter, & lavare ante primam lotionem factam à Diacono, aliàs non eſſet privilegium, quia poſt lotionem factam à Diacono licitum eſt etiam Laicis; Vide Dianā. Ego verò dico, quod ex convenientia lavari debeant à Diacono, vel Sacerdote aliquo, & ità video ſervari in praxi de prima lotione loquendo.

1230 Inter. 10. Laici Sæculares ſuntne Teſtes legitimi in cauſis criminalibus contra Clericos vel Religioſos, & poſſuntne illos licitè accuſare?

Reſp. Sæculares non ſunt Teſtes legitimi contrà Clericos, & Religioſos; nam Laici Clericis oppido ſunt infeſti, & detrahendi anſām ſollicita perquiſitione rimantur, ut docent Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 6. *tit.* 1. *ſub n.* 69. *in fine*, & habetur *ex cap. de cætero de Teſtibus*, & ibi Panor. & *in cap. cum non ob homine de Judic.* Vide Sylveſtrū *verb. Teſtis num.* 11. & Lezanam *tom.* 2. *eod. verbo num.* 5. qui alios id aſſerentes referunt: Itaque eorum Teſtimonium admitti non debet ab Epiſcopis, vel Prælatis Regularibus contra eorū ſub-

ſubditos, niſi quando crimen eſt occultum aut aliter probari non poſſit. Ità Lezana *loco citato, & tom. 1. par. 1. cap. 3. num. 9.* & patet ex *cap. Laycos 2. quæſt. 7.* Vide Dianam *par. 11. tr. 3. reſol. 7. in fine*. Neque hujuſmodi Laici accuſare poſſunt Clericos, vel Religioſos, niſi ſuam, ſuorumque injuriam proſequantur. Lezana eodem *cap. 3. cit.* Et licèt Rodericus *in compen. qq. Regul. reſol. 42. ſub num. 16.* dicat non eſſe eodem modo repellendos Laicos à Teſtimonio contra Religioſos, ſicut contra Clericos Sæculares in cauſa criminali, quia Religioſi non ſunt ità inviſi Laicis, ſicut Clerici Sæculares: tamen experientia, quæ eſt rerum Magiſtra contrarium docet; nam plurics vidi, quòd Regulares magis ſunt inviſi, & minus grati oppidanis multorum locorum, quàm Clerici Sæculares; ergo prudentiæ Superiorum eſt relinquendum. Tandem Emm. Sà *de Teſtibus* ſic inquit. *Laicus non poteſt eſſe Teſtis contra Clericum in cauſa Criminali, niſi in crimine notorio, aut hæreſi, aut Simonia, aut læſæ majeſtate.*

1231 Inter. 11. Præſcriptio Quadragenaria cum juſto titulo, vel ſine, ſufficitne ad eximendum laicos à ſolutione decimarum?

Reſp. Diana *par. 3. tract. 5. reſ. 77.* optimè probat contra nonnullos, quòd ſic, quia immunitas à ſolvendis decimis etiam prædialibus, tam à Laicis, quàm à Clericis cum bona fide uſu capi poteſt cum titulo, annis quadraginta, ſine titulo verò, tempore immemorabili, non ſolum in parte, ſed etiã in totum, dummodo tamen Eccleſiæ Miniſtris interim ſufficiens ſubſtentatio ex aliis titulis, puta ampla Eccleſiæ fundatione, fidelium oblationibus, & piis legatis, ſuppetat. Et ità teſtatur docere decem Doctores, quos dat, & ſequitur Layman. *lib. 4. tract. 6. cap. 7. num. 9.* quibus ipſe Diana addit Sylvium 1. 2. *D. Thomæ quæſt. 87. ar. 1. concl. 5.* Facundez *præc. 4. lib. 3. cap. 1. num. 24.* Reginaldum *tom. 2. lib. 19. cap. ult. ſect. 3. quæſt. 4. num. 97.* Monetam *tract. de decimis cap. 5. quæſt. 6. concluſ. 4. num. 112.* & alios penes ipſos, quidquid in contrarium aſſerant aliqui Juriſconſulti, quos ipſe non ſequitur, nam hanc noſtram ſententiam tutè ſequi poſſe fatetur. Vide ipſum, & non pigebit,

1232 Inter. 12. Quam pœnam incurrit Laicus, qui diſputat cum hæretico de fide Catholica?

Reſp. Peccat mortaliter, & eſt excommunicandus, ut patet *ex cap. quicumque §. Inhibemus, de hæret. in 6.* & hoc intelligendum eſt etiamſi talis Laicus ſit vir doctus, prout docet Suarez, Azorius, & Sanchez. Verùm Diana *par. 5. tr. 13. reſ. 22.* putat contrariam ſententiam eſſe probabiliorem, quam tuentur Cajet. & Bannes in 2. 2. *q. 10. art. 7.* Ledeſma, & Hurtadus de Mendoza, nam poſito quod Laicus ſit vir doctus, nullum periculum ſubverſionis incurrere poſſunt, nec ipſe, nec alii audientes diſputationem, quod eſt finis dictæ legis canonicæ, ſiquidem ceſſante fine legis in particulari, ceſſat ejus obligatio, ut docent quàplurimi DD. apud Dianam *par. 1. tr. 19. reſ. 28. & par. 5. tr. 14. reſ. 96.* Ergo &c. Sed vide omninò S. Thom. 2. 2. *qu. 10.* & Sylv. *verb. diſputare num. 1.* Ubi benè inquit ſecundũ S. Thom. leges reſpiciunt, quod in pluribus accidit, ut Laicum rudem eſſe in iis quæ fidei ſunt. Ex qua doctrina ſequitur ſervandam eſſe legem, etiam ſi ceſſet finis legis in particulari, ceſſet inquam ſolùm negativè (quæ eſt doctrina, & mens S. Thomæ) & hinc corruit fundamentum ſecundæ ſententiæ.

TITULUS CXXXI.

De Largitione Munerum.

Vide tit. de Abbatiſſis &c. Inter. 3. tit. de Bul. Int. 3. tit. de Præl. Reg. ad quæſ. 2. tit. de Regul. &c. Int. 40. 71. tit. de Reliq.

Reliq. ſac. Int. 5. *tit. de Teſtib. &c. Inter.* 1. *tit. de Viſit. Int.* 2. 3. 4. 5. 7. 8.

1233 INter. 1. Epiſcopus, & alius habens Beneficium Eccleſiaſticum, poſſuntne licitè donare aliquid amicis, vel conſanguineis?

Reſp. Dato etiam, quod Epiſcopus, vel Beneficiarius ſit Dominus fructuum ex beneficiis provenientium quoad illam partem, quæ ſupereſt ultra congruam ſuſtentationem, quod quidem non eſt ità certum, cum multi Doctores doceant, illos nequaquam fieri Dominos partis ſuperfluæ, ſed tantùm illius diſpenſatores. Vide Doctores penes Dianam *par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 31. qui ferè omnes ſunt ex Inclita Prædicatorum familia, & eſt ſententia D. Th. *Quodlib.* 6. *ar.* 1. 2. Tamen eſt cómunis aſſertio, quod ſub peccato mortali teneantur illam partem errogare, aut diſpenſare in uſum pauperum, vel alterius cauſæ piæ, & hanc obligationem probat ex Vaſquez Card. de Lugo *de juſt. tom.* 1. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *nu.* 16. non ſolùm oriri ex jure humano, ſed ex jure naturæ. Vide Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 1. & præſertim Dianam *par.* 8. *tr.* 6. *reſ.* 14. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 38. *num.* 1. Bonac. *de oblig. Beneſ. diſp.* 4. *pun.* 2. *à num.* 13. & Barb. *in Trident. ea ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *num.* 7. qui omnes concedunt poſſe Epiſcopum ſicut alium Beneficiarium ſubvenire ex proventibus Eccleſiæ conſanguineis, vel Amicis, dummodò verè pauperes ſint, tamen in hoc etiam debent vitari ſcandala, & ſuperfluitates, & prius neceſſitates graviores aliorum ſuppleri, inquit Toletus *loco cit.* & alſi, ne quidam eſuriat, alius autem ebrius ſit. Diſplicet ergo id, quòd docet P. Rotarius, Vir alioquin doctus, ac pius, *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 8. *ſect.* 5. ſcilicet Epiſcopos, & Beneficiarios eſſe dominos fructuum ſuorum Beneficiorum, nec ulla peculiari lege teneri in uſus pios, & eleemoſynas, quòd ſupereſt ex congrua, & decenti ſuſtentatione, Pauperibus erogare, & hanc eſſe ſententiam D. Thomæ, quam tota ejus amplectitur Schola, nam oppoſitum tradunt Richard. Palud. Sanctus Antoninus, Petrus à Soto, Medina, aliiſque plures apud Dianam *dicta reſ.* 31. quibus addo Cajet. *in Summ. verb. Beneſic. Eccleſiaſt. pag. mihi* 37. *in princ.* & Armillam *eodem verb. num.* 41 Ergo ab hac noſtra ſententia non eſt recedendum, nàm licèt contraria, quam docet Rotarius, & alii, videatur plauſibilior, cum libertati faveat, tamen hæc noſtra eſt ſecurior, & in praxi ſequenda, quia ut inquit Fagnan. *tom.* 3. *in primam par.* 3. *Decret. cap. Sanè de pecul. Cler. ſub num.* 5. *in fine.* Homines timoratæ conſcientiæ magis accedunt ad iſtam, quàm ad illam ſententiam, & ibi culpam agnoſcunt; ubi culpa non eſt. Videantur quæsò Fagnanus *ibidem* Barb. *loco citato num.* 4. & 7. Sylveſt. *verb. Clericus* 4. *num.* 11. *uſque ad* 15. *incluſivè*, Io: Baptiſta Corradus *in Reſp. caſ. conſc. par.* 1. *quæſit.* 33. *per totum*, & præſertim *in Addit.* ubi explicat D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 7. ſed *Quodlibeto* 6. *art.* 12. ſatis apertè loquitur Sanctus Magiſter, ut afferit idem Corrad. & verum dicit. Lezana *tom. ſecundus verb. Beneficium num. vigeſimo* . *& duobus ſeqq.* & alii penes ipſos; qui omnes docent peccare mortaliter Epiſcopos, & Beneficiarios, ſi ea, quæ ſuperfluunt neceſſitati naturæ, & perſonæ non expendunt in uſus pios, & eleemoſynas; Unde parū refert diſputare, unde naſcatur hæc obligatio, an ex legè juſtitiæ, vel charitatis &c. Vide ſupracitatos Auctores, à quibus plura haberi poſſunt ad intentum, nam ego ſatis me explicaui in tit. de Cler. &c. ad Int. 18. & in tit. de eleemosyna ad Int. 1. ad quæ loca brevitatis gratia Lectorem remitto.

1234 Inter. 2. Eſtne licitum dare aliquid Epiſcopo ex cauſa benedictionis, vel ſuſceptionis habitus Religionis, aut profeſſionis Monialium?

Reſp. Dummodo non detur pecunia, vel aliquid aliud tanquam pro pretio

tio prædictorum Spiritualium,& dummodo detur poſt factum, non videtur illicitum; nam quando datur aliquid in remunerationem, quod dicitur donatio antidoralis, ſeu remuneratoria, quæ fit propter beneficium, quo aliquis bene de nobis meritus eſt, licita eſt, cum ſit de re ex gratitudinis virtute, moraliqne honeſtate debita, ut probat textus *in cap.* 2. *placuit* 1. *q.* 2. Immo,ut docet S.Thomas 2. 2. *q.*107. *art.* 3. Ingratitudo ad minimum eſt peccatum veniale; unde non eſt credendum voluiſſe Papam in Bulla de largitione munerum tollere gratitudinis virtutem, præſertim à perſonis Religioſis, et eximere Moniales ab obligatione, per quam cunctì tenemur exhibere nos gratos benefacientibus nobis. Vide Valerium *in differ. utriuſque Fori verb. munera num.* 81. & Dianam *par.* 1. *tr.* 6. *reſ.* 15. & 24. Vide ſup. *in tit. de Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, ad Inter.* 3. *præſertim in fine*.

1235 Inter. 3. Poſſuntne licitè Moniales cum licentia Abbatiſſæ dare aliquid eorum Confeſſario ultra juſtum ſtipendium ei aſſignatum?

Reſp. Quòd Abbatiſſa poſſit concedere Monialibus ſibi ſubjectis licentiam quoad munerum largitionem eo modo, quo poteſt Prælatus Regularis ſuis ſubditis,docent Diana *par.* 1. *tr.*6. *reſ.* 22. & alii, quos ipſe ſequitur, quibus addo Mendo *Epit. opin. Mor. verb. Moniales ſub num.*10. *prope finem & verb. Paupertatis votum. ſub num.*8. Auſonium *in ſumm.* Diana *verb. Abbatiſſa num.* 8. *& verb. Paupertas Religioſa num.* 2. Itaque licitè poſſunt Moniales cum licentia Abbatiſſæ,ſeu Prioriſſæ aliquid aliud ſuo Confeſſario præbere ultra aſſignatum ſtipendium, maximè ſi ſerviat cum magna charitate, patientia,& aſſiduitate,ut docent Diana *ubi ſupra reſ.*17. Lezana *tom.*2.*verb. dare, ſeu donare num.* 8. *propè finem*, Auſonius *locis cit. num.* 9. & 2. & alii penès ipſos. Verum eſt tamen, quod hoc intelligendum eſt, niſi præcepto Superioris arctata ſit in hoc earum facultas. Vide Bonac. *in tract. de largit. munerum diſp.* 3. *pun.* 6. *num.* 7.

1236 Inter. 4. Largitio munerum inter ipſos Religioſos eſtne licita?

Reſp. Largitio munerum inter ipſos Religioſos, eſt peccatū proprietatis, ſi abſque Superiorum licentia fiat, ut docet Lez. *to.* 1. *par.* 1. *c.* 6. *n.* 54. niſi excuſetur ex parvitate materiæ, aut ſit de eſculentis,& poculentis parvi momēti.

1237 Inter. 5. Eſculenta, & poculenta poſſuntne licitè Religioſi largiri, & ad quem valorem aſcendere poſſunt dicta eſculenta, vel poculenta, ut licitè dari queant? & quid per eſculenta, & poculenta intelligi etiam poſſit?

Reſp. Leviora eſculenta, aut poculenta, ſeù alia aliqua ad devotionem vel Religionem pertinentia munuſcula, dari poſſunt à Religioſis cum licentia Superioris, etiam localis, ut videre eſt in declaratione Sac. Congregationis de ſpeciali mandato Urb. VIII. edita, quam per extenſum refert Lezana *tom.*2. *verb. dare, ſeu donare n.* 10. Per leviora iſta eſculenta (quidquid dicant quidam nimis rigoroſè) dicendum eſt cum Lezana *loco cit. num.* 7. & Diana *par.* 1. *tract.* 6. *reſ.* 13. ex mente Valerii *in differ. utriuſque Fori verb. munera diff.* 1. *num.* 59. intelligi ea, quæ intra duos, vel tres dies conſummuntur, ſecundum terminos Juris communis. *cap. ſtatutum* §. *inſuper de reſcrip. in* 6. ubi Gloſſa rectè explicat, id relinquendum eſſe arbitrio boni viri, habita conſideratione perſonæ dantis, & recipientis, ut *in cap. Et ſi quæſtiones de Simon.* & pro hac ſententia, quam probabiliorem vocat Diana, refert etiam Bonac. & Souſā. Limita tamen, dummodo talis donatio, non ſit quotidiana, ut bene ex Sorbo obſervat Bonac. quia non amplius dicerentur eſculenta leviora, ſed magna. Per eſculenta, & poculenta intelligi etiam poſſunt res medicinales, quæ eſu, & potu ſummuntur, ut de terra ſigillata, Bezoar, pulvere, liquore,

vel

vel alio medicamento ſanandis morbis accommodato . Ita Bonac. *tom. 1. tract. de larg. munerum diſp. 3. pun. 1. n. 9.* & Lezana *loco ſupracit.ſub num.7.* Intellige tamen , dummodo iſta medicamenta ſint exigui pretii. Imò Leſſius *lib.2. cap.8. num.104.* aſſerit,quod iſte caſus de eſculentis , & poculentis, aut ad devotionem pertinentibus extendi etiam poſſit ad alia ſimilia , quia in exceptionibus comprehenduntur caſus ſimiles. Vide DD.penes Dianam *par. 1. tract.6. reſ.7.* Idem docent alii, quos refert Lezana *ubi ſupra* , qui addit inſuper , quod libelli aliquot devoti , thecæ reliquiarum , Imagines , Roſaria , Agnus Dei, & ſimilia exigui pretii dari licitè poſſint cum prędicta Superioris licentia . Vide ipſum Lezanam *loco cit.* ubi plura ad intentum , *& tom. 1. par. 1. cap. 6. num. 53. & ſeqq.* idem docuerat .

1238 Inter. 6. Quænam ſunt pœnæ impoſitæ contraRegulares aliquid donantes non ſervata forma Bullæ Clemen. VIII. de largitione munerum, & declaratione Sac. Congreg. ſub Urbano VIII. edita ?

Reſp. Sunt privatio eo ipſo dignitatũ, graduum,munerum,& officiorum , inhabilitas ad ea , & alia quæcumque, perpetua infamia , privatio vocis activæ , & paſſivæ abſque ullo Superioris decreto , & quod procedi poſſit contra illos , tanquam contra furti , & ſimoniæ criminoſos Lezana *tom. 2. verb. dare , ſeù donare num. 14. ſed vide ſequentes reſponſiones hic immediatè poſitas , & Inter. 1. tit. 168. de Pœnis .*

1239 Inter. 7. Si Religioſus ſine licentia ſui Superioris præbet munuſculum duorum aureorum , inciditne in dictas pœnas ?

Reſp. Licèt dictus Religioſus in iſto caſu peccet mortaliter contra votum paupertatis , & etiam committat peccatum furti , quia ſubſtrahit à Monaſterio dictã quantitatẽ,(nã quidquid acquirit,Monaſterio acquirit . Habetur *ex l.placet de acquir.hæredit.& c.in præſentia de probat.*) Vide Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 6. num. 40.* tamen præfatas pœnas non incurrere,tradunt plurimi Doctores , quos allegant , & ſequuntur Diana *par. 1. tract. 6. reſ.5.* & Lezana *dicto tom. 2. verb. dare , ſeù donare ſub num. 15.* quorum ratio eſt quia ſumma duorum aureorum in jure dicitur modica , & patet *ex l. ſi oleum 15. in fin. juncta. l.ſequen ubi Gloſ. ff. de dolo cum* Filino *in cap. interfeciſti de homicidio.* Immò ita declaraſſe Cle. VIII. P. Claudio Acquavivæ Generali Societatis Jeſu , referunt præfati Auctores ; Et hoc quidem eſt probabiliſſimum , quia dictæ pœnæ ſunt rigidiſſimæ , & pœna debet eſſe proportionata culpæ , ac proinde non pro qualibet munerum largitione , ſeù donatione , etiam contra Bullam , æquum eſt , ut incurrantur , ſed hoc intelligendum eſt dummodo legitimus Superior quãtitatem non definivit , ut rectè notat Bonac. *ubi ſuprà pun. 5. ſub num. 6. verſ. tertia ſententia .*

1240 Inter. 8. Si Religioſus ſucceſſivè plura modica donauerit, quæ tamen perveniunt ad dictam quantitatem duorum aureorum , incurritne illas pœnas ſupra relatas ?

Reſp. Puto quòd in iſto caſu militet eadem ratio , ut dicitur de furtis parvis, quando pervenitur ad gravem, ſeù notabilem quantitatem, nam ſi tales actus ſunt aliquo modo uniti , vel ratione temporis, vel loci , aut furatur minima animo furandi ſucceſſivè majora , in quo ultimo caſu, ſemper peccat mortaliter in ſingulis donationibus etiam minimis , ſicut accidit in furto poſtquam pervenitur ad quantitatem notabilem:Itaque ſemper peccat mortaliter Religioſus , qui ſucceſſivè minima furatur , vel retinet , accipit, ſeù expedit ſine licentiaSuperioris, contrà votum Paupertatis ; Quando vero iſti actus ſunt omnino diſparati,nec advertit ſe præcedentia furta commiſiſſe , nec habuit animum ſurripiendi majora, probabile eſt non committi peccatum mor-

mortale, etiam quando pervenitur ad magnam, ſeù gravem quantitatem, ut breviter dixi *in tit. 98. de Furto, ad Inter.* 5. Ita quoque dicendum eſt in caſu præſenti propter eandem rationem, ut benè notat Lezana *tom. 2. verb. dare, ſeù donare num.* 16. & pro ſe citat Bonacinam *in tract. de largit. munerum pun.* 5. *num.* 7. & 8. ſed Vide Dianam *par.* 1. *tract.* 6. *reſ.* 34.

1241 Inter. 9. Dictæ pœnæ impoſitæ contra Regulares aliquid donantes ſine licentia Superioris, incurruntur ne ipſo facto abſque Iudicis ſententia, vel poſt ſententiam Iudicis?

Reſp. Quamvis in Bulla Clementis VIII. de largitione munerum dicatur has pœnas incurri eo ipſo, & abſque ullo Superioris decreto, aut miniſterio, & ipſo facto, tamen probabile eſt requiri aliquam ſententiam criminis, aut delicti declaratoriam; Ità docent plures apud Lezanam *loco proximè cit. num.* 14. Imò plurimi Doctores mox citandi ſuſtinent hoc eſſe verum, non ſolùm de pœnis non purè privativis, in quibus exequendis, aliqua actio hominis requiritur, ſed etiam de purè privativis, in quibus nulla talis actio eſt neceſſaria, & horum ratio eſt, quia delinquens nulla lege tenetur per exteriores leges ſtatutam pœnam adverſus ſeipſum executioni demandare, cum Iudex eam minimè exequatur, ut docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 62. *art.* 3. & ibi Cajetanus, Felinus *in cap. Audivimus* 41. *de Simonia*, Marcus Paulus Leo *in praxi ad litteras M. Pœniten. fol. mihi* 172. *verſ. ſecundum jura, prop. fin.* Tùm etiam quia non eſt credibile Legiſlatorem (qui prę oculis æquitatem habere debet, l. *quòd ſi Ephiſi ff. de eo, qui certo loco*) velle facere partem ipſam contra ſe executricem, tùm denique, quia nimis rigidum, durumque videtur hujuſmodi pœnas incurri, etſi obligent ipſo jure, vel ipſo facto ante Iudicis ſententiam, nam ſi homines deberent exequi pœnas in ſe ipſos, talis lex non eſſet accommodata humanæ imbecillitati. Sic Decius, & Filinus *in cap.* 1. *de conſt.* Sotus *lib.* 1. *de Juſt. & Jure qu.* 6. Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 39. *& de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 30. Covaruvias *par.* 2. *cap.* 6. §. 8. *num.* 10. Molina *de Juſt. tom.* 1. *tr.* 2. *qu.* 36. cumulati per Marcum Paulum Leonem *loco cit. fol.* 359. *verſ. contraria tamen*, & hanc ſententiam tenet Gloſa *in cap. Fraternitas tua, in verb. cum augumento* 12. *quæſt.* 2. Navarr. *in Man. cap.* 23. *n.* 66. Em. Sà *verb. pœna num.* 1. *& verb. lex num.* 33. & alii plures apud Lezanam *tom.* 3. *verb. pœna num.* 8. *& tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 10. *num.* 30. Vide etiam Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 66. Auſonium *in ſum. Diana verb. Regulares*, Lantuſcam in *Theatr. Regular. verb. votum, ſeu vox num.* 7. & alios penès Bonac. *loco ſupracit. num.* 3. Au quid autem ego circa hanc difficultatem ſentiã, dicam *ſincerè in tit.* 168. *de pœnis, ad Interogationem* 1.

1242. Inter. 10. Quam pœnam incurrunt, qui dum Rectoris, & Gubernatoris officium gerunt in ſtatu Eccleſiaſtico, munera recipiunt, & dantes illa?

Reſp. Præter eſculenta, & poculenta, quæ brevi tempore conſumi poſſunt, (quod tempus ad biduum ſolùm extenditur) Paulus II. ad præcavendum violandæ juſtitiæ periculũ, jure optimo excommunicationis pœnam impoſuit, non ſolùm Gubernatoribus Civitatum, & Terrarum ſtatus Eccleſiaſtici recipientibus munera quæcunque illa ſint, ſed etiam ipſis tradentibus munera extendit dictam excommunicationis pœnam, à qua, niſi in mortis articulo abſolvi non poſſunt, præterquam à Romano Pontifice pro tempore exiſtente: Immò præfati munera recipientes ab iis, qui ſuæ poteſtati ſubſunt, non ſolùm excommunicationem ipſo facto incurrunt, verùm, & inſuper omne id, quod acceperint, & aliud tantumdem red-

B dere

dere tenentur, quæ reſtitutio fieri debet non tradenti munera, ſed pauperibus, quia par non eſt, ut ſocius criminis, ſeu cooperator peccati alterius commodum ſentiat, cum ſit reus peccati ejuſdem ſpeciei, quod Rectores, & Gubernatores munera recipiendo committunt. Et nota quòd Bulla Pauli II. quæ incipit: *Munera*, confirmata fuit à Sixto IV. in ſua Bulla incip. *Etſi* §. 3. *verſ. & quæ*. Vide Bonacinam *tom.* 3. *de cenſu. in partic. diſp.* 2. *quæſt.* 7. *pun.* 8. *per totum*, Dianam *par.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 42. & ea quæ dicam *in tit.* 241. *ad Interr.* 2. 5. *&* 6. loquens de Epiſcopis, & Viſitatoribus in actu Viſitationis munera recipientibus.

1243 Inter. II. Quam pœnam incurrunt dantes, & recipientes aliquid in Curia pro gratia, ſeu juſtitia obtinenda?

Reſp. Tàm dantes, quàm recipientes, ipſo facto excommunicationẽ Summo Pontifici reſervatam incurrunt, ut patet ex Bulla Felic. recor. Gregorii XIII. edita *anno* 1574. & aliis pœnis inſuper afficiuntur, ut videre licet apud Bonacinam *loco ſupracit. diſp.* 2. *qu.* 3. *pun.* 31. *per totum*, & apud Lezanam *tom.* 2. *verb. dare, ſeu donare, à num.* 19. *uſque ad finem*, qui latè, & luculenter de hac agunt materia, quæ non ità facilè hìc à me poteſt explicari ſine nota longitudinis, quam fugere procuro, ſciens brevitate gaudere modernos. Vide Dianam *par.* 7. *tr.* 4. qui fusè loquitur de hac materia periculoſa quidem, & faxit Deus, quòd circa illam multi Sæculares, & Religioſi non naufragentur, ut aſſerit idem Diana *reſ.* 1. Vide igitur ipſum uſque ad reſol. 14. incluſivè; nam rectè refert auctoritates Doctorum, & ſuam profert ſententiam quoad Bullam Greg. VIII. *de datis, & promiſſis in Curia, pro gratia, ſeu juſtitia obtinenda*. Tandem omninò videndá eſt Conſtitutio quædam Alex. VII. quæ incipit: *Inter graviſſimas*, ubi loquitur de datis, & promiſſis pro juſtitia, & gratia obtinenda apud Sedem Apoſtolicam, quam confirmavit, & innovavit Innoc. XII. *anno* 1699. *III. Kal. Februarii in alia ſua Conſt. incip. Sacerdotalem & Regiam Urbem*, ut dicam infra *in tit.* 220. *de Teſtibus, & Teſtimoniis, ad Inter.* 1.

TITULUS CXXXII.

De Legatis.

1244 INter. I. Legatum relictum Uxori à Viro, quandiu ſteterit in domo ipſius Viri, quomodo intelligitur?

Reſp. Intelligitur quandiu ſteterit in vita viduali, conſequenter uxor ſecundò nubens, amittit hujuſmodi legatum. Surdus *de Alimentis tit.* 7. §. 23. *num.* 22. Sanchez *tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 91. *num.* 51. apud Bonacinam *de Contract. diſp.* 3. *qu.* 17. *punct.* 8. §. 4. *ſuq num.* 14. Vide ad Interrogat. ſequentem.

1245 Inter. 2. Legatum relictum conjugi quandiu cum filiis defuncti commorata fuerit, peritne ſi ipſa tranſeat ad ſecunda vota?

Reſp. Quidquid alii reclamant; Diana *par.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 9. cum Sanchez, & Martino à S. Ioſeph, & Caſtropalao, non perire reſoluit, & hanc aſſignat rationem, quia Vir tranſiens ad ſecunda vota non admittit filiorum tutelam, nec educationem; Mater verò, etſi tutelam amittit, non tamen educationem, ſi arbitrio Iudicis relinquatur, an conſervari in ea debeat, ergò ex ſolo tranſitu ad ſecundas nuptias non habent filii occaſionem ſufficientem à ſocietate Matris divertendi, ſiquidem illius honeſtatis, moris, & conditionis eſſe poterit, quæ ſuſpicionem ortam ex ſecundis nuptiis evincat. Et ſic patet reſponſio ad rationem aliter ſentientium. Immò notat ipſe Diana ibidem in fine, etiam

dece-

decedentibus filiis, Matrem, prædictũ legatun non amittere.

1246 Inter. 3. Legatum ſub conditione uxori ſi caſtè vixerit, ſi illa ad ſecunda vota tranſeat, amittitne hujuſmodi legatum, & quid ſi fiat Monialis, ſi Teſtator dixerit, dum vidua fuerit uxor?

Reſp. Quòd non admittat, ſi nubat, aſſerunt plures Doctores, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Contr. diſp.* 3. *qu.* 17. *punct.* 8. §. 4. *num.* 10. & hanc ſententiam probabiliſſimam eſſe putat Diana *par.* 10. *tr.* 15. *reſ.* 21. & eam tuetur Molina, Vaſquez, & Dicaſtillus; Et ratio eſt, quia caſtitas, & honeſtas requiſita, ut conditio, non amittitur per ſecundas nuptias: Oppoſitum verò docet Sanchez *de Matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 91. *n.* 16. & alii plures allegati per ipſum. Tamen in praxi puto primam ſententiam tutè ſequi poſſe, dummodò de mente Teſtatoris aliter non conſtaret, ut benè advertunt Bonacina, & Diana *locis cit.* & præſertim Sylveſt. *verb. Legatum* 1. *num.* 9. qui limitat, niſi aliud ſenſerit Teſtator, vel habeat uſus loquendi; ideò vide Sylveſt. qui plura congerit ad intentum. Cæterùm quoad ſecundam partem Interrogationis, nimirum legatum relictum Viduæ, quamdiu vidualem vitam ſervaverit, non amittitur, neque ex Officio Iudicis amittere debet, ſi ipſa Religionem ingrediatur, quia propriè dicitur vitam vidualem ſervare, imò potiùs firmiter conſervat. Vide Bonac. *ubi ſup. num.* 13. & Dianam *par.* 10. *tract.* 13. *reſ.* 9. *verſ. Notandum hîc obiter*, qui alios concordantes referunt.

1247 Inter. 4. Legatum ſub conditione caſtè, & benè vivendi, amititurne per amplexus, & oſcula, & tactus impudicos, vel requiritur actus completus in genere luxuriæ?

Reſp. Eſt diſſenſio inter Doctores, quidam enim dicunt, non amitti, niſi per copulam carnalem, alii verò amitti per amplexus, oſcula, & tactus impudicos, teſte Emm. Sà *verb. Legatum num.* 43. Bonac. *loco cit. num.* 11. dicit, quòd illa vitam inhoneſtam nõ dicitur agere, quæ unicum, vel alium actum laſcivum admiſit, aut quæ ſemel, vel iterum fornicata eſt. Verùm Sanchez *loco cit. diſp.* 91. *num.* 38. pro utraque parte refert Doctores, & pro negativa affert Navar. & tandem *num.* 40. mediam ſententiam tenet, nempè non amittit legatum per unicum, vel alium actum hujuſmodi laſcivum, ſed ſolùm quando fœmina pluries id fecerit, ut arbitrio boni viri poſſit dici impudica, & inhoneſtè vivens. Tandem Caſtropalao *tom.* 5. *diſp.* 4. *pun.* 13. §. 7. *num.* 20. fatetur ſibi placere ſententiam Navar. ſpectato conſcientiæ foro, & probat, quia verba caſtè, & honeſtè vivendi, ſecundùm proprietatem ſumpta, non deficiunt plenè, & perfectè ex hujuſmodi actibus libidinoſis, ſecluſa fornicatione, vel pollutione, cum in materia luxuriæ non ſint actus conſũmati, & perfecti, ſed ſolùm inchoati, ergò ex illis tantùm, legatum amitti nõ poteſt, quia ad amittendum legatum conditionale, debet conditio integrè deficere, maximè cum dicta privatio ſit odioſa, quæ ultra proprium ſignificatum extendenda non eſt, & huic ſententiæ fatetur adhærere Diana *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 9. Mihi tamen magis placet ſententia Sanchez, & Bonac. nam honeſtè non dicitur vivere, qui ſæpius in hos actus labitur, ſed potius turpiter vivere cenſetur, ut per ſe patet; conſequenter non poteſt in conſcientia retinere legatum. Vide Ludovicum Lopez *par.* 10. *Inſtructorii cap.* 293. *col.* 13. & Dianam *par.* 9. *tract.* 15. *reſol.* 21. *verſ. Sed ſi quæras*.

1248 Inter. 5. Legatum relictum uxori, ſi honeſtè, & caſtè vixerit, poteſtne illa in conſcientia retinere, ſi occultè fornicetur?

Reſp. De tali dubio ex profeſſo agit Diana *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 8. ac refert Doctores pro utraque parte ſetientes. Ipſe verò, licèt probabilem putet ſententiam affirmativam, tamẽ fatetur adhęrere negativæ ſententiæ tanquam magis communi, & eam amplectendam eſſe putat cum Sanch. *tom.* 2. *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 91. *n.* 3. *&* 4. & aliis ab eo allegatis, qui optimas rationes adducunt, & hanc unam ſum contentus referre, nam licèt regulare ſit pœnam minimè obligare ante Iudicis ſententiam, tamen fallit in pœna à Teſtatore adjecta, debetur enim ſtatim, ac incurritur in foro conſcientiæ, nulla expectata Iudicis ſententia, aut executione. Armilla *verb. Pœna ſub num.* 1. Immo nec verè, nec propriè rationem pœnæ habet, cum ſit potius quædam conditio à Teſtatore impoſita, qua Teſtator uxorem legare voluit, quod eſt integrum illi efficere, *l. ab eo C. de Fideicomm.* cum ſimilibus; Unde ſicut in aliis à Teſtatore diſpoſitis non deſideratur Iudicis ſententia, ut executioni mandetur, ità neque ad pœnam ſubſtinendam, quatenus pœna eſſe putetur, & teſtatoris voluntatem omninò implendam eſſe, docent communiter Doctores; Tandem certi juris eſt, quòd diſpoſitio conditionalis, omiſſa conditione, non ſortitur effectum *leg. Qui hæret. leg. Mænius ff. de Condit. & demonſt.* Rota *dec.* 315. apud Farinac. *par.* 1. *recenſ.* Tiraquell. *de retract. tit.* 2. §. 2. *Gloſ.* 1. *num.* 2. *&* 4. Thuſcus *pract. Concl. tom.* 2. *lit. C. conſ.* 483. ſed vide Sanchez, & Dianam *locis citatis*, qui hoc probant efficacius. Nec relevat ſi dicatur, quòd nemo tenetur ſuã turpidinem manifeſtare, quia dicimus, ut non ſe prodat cedendo uſumfructus hæredi, ſed debeat illum exigere, & poſtea hæredi ſecretò reſtituere, & ſic faciendo, famæ ſuæ conſuleret, & obligationi, cui obſtricta eſt, in conſcientia ſatisfaceret. Vide Bonacin. *de Contract. diſp.* 3. *qu.* 17. *pun.* 8. §. 4. *num.* 11. *&* 12. & iterum Dianam *ead. par.* 9. *tr.* 15. *reſ.* 21. *verſ. Sed ſi quæras.*

1249 Inter. 6. Legatum, ſi caſtè vixerit, amittiturne per unam tantùm fornicationem occultam?

Reſp. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 91. *num.* 31. ſententiam negativam variis rationibus confirmat, tamen ipſe abſolutè eam non approbat, docetque, quòd ob unam fornicationem, etiam occultam, amittitur legatum relictum alicui fœminæ ſub conditione caſtè, & honeſtè vivendi, & rectè id probat. Oppoſitum tenet Mazuchellus *de caſ. reſ. diſp.* 2. *cap.* 20. *diffic.* 2. *num.* 44. & hæc ſententia Mazuchelli mihi ſatis probatur, quia ex unico actu non denominatur quis honeſtus, vel inhoneſtus, ſicuti neque prodigus, aut liberalis, ſed ad prædictam denominationem actuum frequẽtia deſideratur, nam unica fornicatio non efficit, ut fœmina dicatur inhoneſtè vivere, undè dicitur, quòd unica hirundo non facit ver. Vide Mazuchellum, & Dianam *loco ſupracit.* Et nota, quòd Mulier, quæ duo admiſit cauſa quæſtus, eſt Meretrix, ut docet Sylveſter *verb. Infamia num.* 9. *&* 10. quia in malis actibus, & in delictis ſufficit binus actus ad probandã conſuetudinem, ideoque non dicitur luxurioſè vivere quis, ex ſolo unico actu fornicationis, ut benè oſtendit Diana *ubi ſup.* & Bonac. *de Contract. diſp.* 3. *qu.* 17. *pun.* 8. §. 4. *num.* 11. qui tamen benè advertit, niſi legatum factum fuit ſub conditione, ſi non fuerit fornicata, nam tunc per unam fornicationem, etiam occultam, amittitur legatum. Diana *ea par.* 9. *tr.* 15. *reſ.* 21. *verſ. Sed ſi quæras.*

1250 Inter. 7. Legatum amiſſum ob fornicationem, vel ob vitam inhoneſtam, recuperaturne, ſi fœmina redeat ad meliorem frugem, & ſe emendet?

Reſp. Naldus *in Summ. verb. Legatum num.* 40. affirmativè reſpondet, quod

quòd etiam videtur tale dictum probabile, tàm Trullen. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 28. *dub.* 12. *num.* 19. quàm Dicaſtillo *de Juſt. lib.* 2. *tr.* 19. *diſp.* 3. *dub.* 3. *num.* 45. qui tamen probabilius putant oppoſitum cum Sanchez, & aliis, cum quibus tenet etiam Diana *loco prox. cit. verſ. Et tandem*. Et ratio eſt, quia ex communi modo intelligendi, hæc videtur fuiſſe mens Teſtatoris, ut nolit Uxorem frui legato poſtquam turpitudini ſe adjecit. Itaq; concludunt non recuperare legatum amiſſum ob fornicationem, aut vitam inhoneſtam, quamquam ad meliorem frugem redeat, quia deficiente conditione legati, legatum expiravit, & non datur regreſſus. Vide Bonac. *loc. cit. num.* 12.

1251 Inter. 8. Legatum relictum uxori ſub conditione non ineundi ſecundas nuptias, amittiturne, ſi ipſa fuerit fornicata?

Reſp. Non amittitur, quia legatum explicandum eſt juxta verborum ſignificationem: Hæc autem conditio non ineundi ſecundas nuptias non ſignificat amittendum eſſe legatum per fornicationem, ſed per nuptias. Ergò &c. Ità docent Bonac. *de Contra. diſp.* 3. *qu.* 17. *pun.* 8. §. 4. *num.* 16. & alii plures apud ipſum. Idem ſuſtinet Diana *par.* 10. *tr.* 15. *reſol.* 21. *verſ. Et tandem nota*, & hanc eſſe probabiliorem ſententiam fatetur Bonacina *loco citato*.

1252 Inter. 9. Legatum ſub conditione non tranſeundi ad ſecundas nuptias, amittiturne per ſecundas nuptias invalidas, aut per Matrimonium validum, & non conſummatum?

Reſp. Bonac. *ubi ſupra num.* 17. & 18. ex Sanchez, Guttierez, & aliis dicit, quòd non amittitur in foro conſcientiæ per ſecundas nuptias invalidas, quia non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, juxta regulam, *Non præſtat, de regul. jur. in* 6. Idem dicit, ſi Matrimonium nondum fuit conſummatum, quia nomine nuptiarum, ſeù Matrimonii in materia odioſa, ſeù pœnali intelligitur matrimonium conſummatum; & hæc omnia docet etiam Diana *par.* 10. *tr.* 15. *reſol.* 21. *verſ. An verò, & verſ. Sed quid*. Vide Armillam *verb. pœna ſub num.* 1.

TITULUS CXXXIII.

De Libris Prohibitis.

Vide tit. de Parv. Mat. Inter. 9.

1253 Inter. 1. Quam pœnam incurrit, qui libros hæreticorum, aut aliorum prohibitos legit, vel retinet?

Reſp. Qui legit, vel retinet libros, ſeù ſcripta hæreticorum, vel quorumcunque Auctorum damnata, & prohibita, propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, incurrit excommunicationem Indicis *reg.* 10. *ad finem*, quæ tamen nulli eſt reſervata, ac proinde de jure communi poteſt à quolibet Confeſſario per abſolutionem auferri. Qui verò ſcienter legit, retinet, aut imprimit libros hæreticorum de Religione tractantes, aut hæreſim continentes incurrit ipſo facto excõmunicationem Papæ reſervatam in Bulla Cœnæ. Vide Bonac. *de cenſu. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 2. & 3. Lezanam *tom.* 3. *verb. Libri num.* 15. *& ſeqq.* qui alios allegant id aſſerentes.

1254 Inter. 2. Incurritne Excommunicationem Bullæ Cœnæ qui legit libros Hæreticorum de Religione tractantes, hæreſim tamen non continentes?

Reſp. De hoc non eſt dubitandum quia ad incurrendam dictam excommunicationem, ſufficit, quòd alterum horum contineant, vel hæreſim, vel de Religione ex inſtituto tractent; nam Bulla Cœnæ apertè loquitur diſjũctivè, & alterutrum tantùm petit. Ita docet Facundez *in præcep. decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 13. & concordat San-

Sanchez *in Sum. lib.* 2. *tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 33. Suarez *de Fide diſp.* 20. *ſect.* 2, *num.* 10. & Sanctarellus *in tract. de hæreſi cap.* 13 *dub. unic. num.* 10. quos dat, & ſequitur Diana *par.* 6. *tr.* 6. *reſ.* 55. Unde non ſunt audiendi, qui oppoſitum docent. Vide ea, quæ dixi *ad Inter. antecedentem, & dicam ad Inter. ſequentem*. Imò Souſa *in Bulla Cœnæ cap.* 2. *diſp.* 13. *num.* 11. rectè obſervat, lectioné librorū prohibitorū in odiū Auct. interdici, & libri hæretic. prohibētur in pœnā illorū Auctor. quāvis hæreſim non contineant, ut ait Sanctarellus *loco cit. cap.* 14. *num.* 4. Ergo &c. Vide Auguſt. Mattheuc. *in Caut. Confeſ. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 4. *& ſeqq.*

1255 Inter. 3. Qui legit librum hæreticorum tractantem de Religione, aut hæreſim continentem, ſed non intelligit id quod legit, cum ſit Idiota neſciens linguam latinam, incurritne in pœnam Excommonicat. Bul. Cœnæ?

Reſp. Multi dicunt, quòd non incidit in excommunicationem, ut Sanchez, Filiucius, & Suarez cumulati à Diana *par.* 1. *tract.* 11. *reſ.* 36. cum quibus ità ipſe tenet, & ratio horum eſt, quia illa non eſt formalis, & vera lectio, ſed tantum materialis; Unde dicunt, quòd ceſſat ratio legis, cum non ſe exponat pericolo imbibendi hęreſim: Mihi tamen probabilius videtur oppoſitum cum Megala *in* 3. *par. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 45. Bonac. *de cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 14. & aliis quos refert ipſe Diana *par.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 49. quorum fundamentum eſt, quia Eccleſia in prohibitione librorum hæreticorum non habet hunc ſolum finem, ſcilicèt ne Catholici falſa doctrina inficiantur, ſed prætereà legem ſtatuit in pœnam Authorum hæreticorum, atque in odium ipſorum: ad eorumquè dedecus mandat ne legantur eorum libri, etiamſi de Religione non tractent, ut ſunt Dialectici, Rhetorici, Gramatici &c. In quibus non ineſt perverſionis periculum: Ergo dicendum eſt ad incurrendam dictam Excommucicationem non requiri, ut legens legat formaliter, ſcilicet, quòd intelligat, quod legit, quia Bulla Cœnæ in deteſtationem hæreſis, & hæreticorum vult omninò, ne hujuſmodi libri legantur, nec ullo modo retineantur, ſivè curioſitatis gratia, ſive ad eos confutandos, etſi in retentione hujuſmodi librorum non adſit periculum imbibendi hæreſim, ex quo ſequitur, Eccleſiam non habere hunc ſolum finem, ſed prohibere quoque ne legantur, & retineantur, ad obſcurandum, & abolendum eorum nomen, & ne hoc afficiātur honore, ut inter manus Catholicorum hominum voluantur, & in domo propria, ſive aliena ſuo nomine proprio, ſive alterius, retineantur: Concludendum eſt igitur, quòd quando lex habet plures fines, deficiente uno, obligatio legis non deficiat: ergo &c.

1256 Inter. 4. Contrahiturne excōmunicatio ab eo, qui per alium legit aliquem librum prohibitum, vel ſit Hæreticorum, hæreſim continentem, aut de Religione tractantem, ſeu prohibitus ob falſi dogmatis ſuſpicionem?

Reſp. Non conveniunt DD. quos citat Diana *par.* 1. *tract.* 11. *reſ.* 33. tamen non eſſe recedendum ab affirmativa ſententia docet ipſe Diana, nam qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur juxtà regulam Juris in 6. & ità videtur per ſe ipſum legere, qui per alium legit, & pro hac ſententia ſunt Alterius, Sayrus, Graffius, Azorius, Layman, Megala, Suarez, & Reginaldus, qui pro negativa ſententia malè citatur à Bonac. *de cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 11. Tamen diſtinguendum eſt cum Lezana *tom.* 3. *verb. lib. num.* 21. vel enim ille nullo modo fuit cauſa, quod alius librum legeret, vel fuit cauſa, auctoritate, vel mandato; In primo caſu non incurrit excommunicationem, benè tamen in ſecundo. Ità etiam ſi ſolùm fuit cauſa legendi illum librum, dumtaxat ſuadendo, monendo, petendo, con-

conſulendo, non incurrit, niſi id fece-
rit animo audiendi per alium ea, quæ
legit, quia tunc moraliter cenſetur le-
gens, & valet illa regula, qui per alium
facit, &c. Ità ex Layman docet Le-
za ibidem, & in praxi puto tenendum.

1257 Inter. 5. Incurritne excommu-
nicationem Bullæ Cœnæ, qui legit
Epiſtolam, ſeu litteram miſſivam ali-
cujus Hæretici; in qua aliquam hære-
ſim docer? aut Epiſtolam dedicato-
riam, vel Jndicem, &c. ipſius libri?

Reſp. Quoad primum dubium,
Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 29.
Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 15. *num.* 5.
& alii penes Dianam *par.* 5. *tract.* 13.
reſ. 16. dicunt, quòd non; Tamen mihi
probabilius videtur oppoſitum, quod
tuetur Megala, cui adhæret Diana
ibidem, quia licèt Bulla tantùm lo-
quatur de eorum libris legentibus, ta-
men prohibitum eſt Catholicis com-
municare cum Hæreticis eorum ſcri-
pta legendo. Cœterum communis
ſententia docet, legentes proemium,
præfationem, Indicem, Epiſtolam de-
dicatoriam, vel ſimilia reperta in Hæ-
reticorum libris, incurrere excommu-
nicationem *Bullæ Cœnæ*. Vide Leza-
nam *tom.* 3. *verb. lib. ſub num.* 20. &
Dianam *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 46. *verſ.*
Nota hic &c.

1258 Inter. 6. Qui legit Scholia, ſeu
additiones hæreticorum contenta in
libris Auctoris Catholici, eſtne cen-
ſendus excommunicatus?

Reſp. Varii varia dicunt, quidã enim
tenent ſubiacere excommunicationi
làtæ in Indice librorum prohibitorum,
alii verò putànt legentem hujuſmodi
ſcholia affici excommunicatione *Bul-
læ Cœnæ*, poſito quod ſcholia adeò co-
pioſa, & multa ſint, ut liber potius vi-
deatur compoſitus ex ſcholis, & anno-
tationibus, quàm ex textu, ut videre
eſt apud Bonac. *de Cenſ. diſp.* 2. *qu.* 5.
pun. 4. *num.* 6. Sed oppoſitum tenet
ipſe Bonac. cum Sanchez *in Sum. loco
cit. ſuprà num.* 20. *&* 25. & Duardo,
& idem cenſet etiam Diana *par.* 1. *tr.* 11.
reſ. 32. qui ex Souſa contra Suarez ſic
concludit. Liber Auctoris Catho-
lici, licèt Commentarios copioſos ali-
cujus hæretici habeat, ſemper nuncu-
patur liber Auctoris Catholici, à quo
in lucem editus eſt, & non liber Hæ-
retici commentantis, & hoc quidem
probatur, quia revera Summam Divi
Thomæ non appellamus librum Caie-
tani, quamvis majori ex parte conſtet
ex commentariis illis à Cajet. adie-
ctis, ut docet Sanchez ubi ſupra. Ta-
men vide omninò Dianam *par.* 5. *tr.* 13
reſ. 16. ubi citat Hurtadum de Mendo-
za, qui rectè exiſtimat utramque ſen-
tentiam in parte eſſe veram, nam ſi
præter explanationem alia diſputet
hæreticus non facientia textui expla-
nando, ſed quæ adjungi commodè poſ-
ſunt, liber èſt interdictus, quamvis ſit
exiguus, quia verè eſt ab Hæretico
Auctore. Itàque ſcripta illa, à quibus
non pendet textus Auctoris Catholici
explicatus, ſunt prohibita, & liber ob
illa. Hæc ex Hutrado, alia plura di-
cente, quæ brevitatis gratia relinquo.

1259 Inter. 7. Inciditne in excom-
municationem, qui legit, aut retinet
libros, aut tractatus Aſtrologiæ judi-
ciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ,
Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiroman-
tiæ, Negromantiæ, artis Magicæ, aut
in quibus ſortilegia, veneficia, augu-
ria, auſpicia, execrabiles incantatio-
nes, ac ſuperſtitiones continentur?

Reſp. Dico quod qui hujuſmodi li-
bros, ſeu tractatus legit, aut ſcienter
retinet incidit in excommunicatio-
nem, quia prohibiti ſunt ob hæreſim,
vel falſi dogmatis ſuſpicionem, & ta-
lis excommunicatio nemini eſt reſer-
vata, ſi in prædictis libris, vel tracta-
tibus non contineatur hæreſis. Verum
ſi ſunt hæreticorum libri, ſeu tractatus,
ſimulque hæreſim contineant, & ità in
dubio judicandum eſt, excommunica-
tio, quæ incurritur, erit reſervata in
Bulla Cœnæ, ut docent Bonac. *de Cenſ.
diſp.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 4. Lezana
tom. 3. *verb. libri, num.* 29. & Theſau-

rus

rus *depęnis par.2.verb.ſuperſtitio cap.*1. & alii communiter. ultrà alias pœnas impoſitas à Sixto V. in Bulla: *Cœli, & Terræ Creator*, quam confirmavit Urba.VIII.in alia, quæ incipit; *Scrutabilis*, ubi quoque alias pœnas hoc delictum cõcernentes imponit. Et nota quod in hujuſmodi libris, prout ſæpius contingit, affertur modus recedendi à Catholica fide, adorandi Dæmones, & ſimilia veræ fidei contraria, & Auctores Negromantiæ in foro externo meritò præſumuntur hæretici, ut docet Farinaccius *tom.*1. *de hæreſi quæſt.*181. *num.* 36.

1260 Inter. 8. Quam pœnam incurrit, qui legit, aut retinet libros prohibitos, non propter hæreſim, aut falſi dogmatis ſuſpicionem, ſed alio titulo, ſcilicet obſcœnitatem, vel contra bonos mores?

Reſp. Peccat mortaliter, & puniri poteſt ab Epiſcopo, vel Inquiſitore, tamen non incurrit excommunicationem, modò non ſint libri Hæreticorum, quia excommunicatio non incurritur, niſi ſit in jure expreſſa. Ità Bonacina *ubi ſupra num.* 2. *&* 3. & Lezana *ibidem num.* 15. *& ſeqq.* Quibus pœnis puniendi ſint legentes, ſivè retinentes quoſcunque libros prohibitos, docet Diana *par.* 4. *tr.*7. *reſol.* 6.

1261 Inter. 9. Quid facere debet, qui habet apud ſe hujuſmodi libros prohibitos?

Reſp. Tenetur Inquiſitoribus, aut Ordinariis locorum conſignare, quãvis non deſint, qui illum excuſent, ſi propria auctoritate comburat dictos libros, ut videre licet apud Dianam *par.* 1. *tr.*11. *reſ.*37. *& par.*10. *tr.*12. *reſ.*48. *verſ. Sed ſi aliquis*. Sed verior ſententia eſt, quam communiter docent Doctores, non poſſe propria auctoritate libros tales comburere, ſed teneri illos deferre ad Inquiſitores, ut conſtat ex quodam motu proprio Julii III. qui incipit: *Cum meditatio, &c.* & ex Conſt. Greg. XV. quæ incipit: *Apoſtolatus noſter, &c.* Verum eſt tamen, quòd ſi comburat, non incidit in pœnas contra retinentes libros prohibitos, ut ex aliis docet Diana *loc.cit.* Cæterùm libri, ſeù tractatus Aſtrologiæ judiciariæ, Geomantiæ, & alii ſupra relati *ad Int.* 7. ex Bulla Sixti V. debent conſignari Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, prout docet Emm. Sà *verb. Libri*, & Lezana *eo tom.* 3. *eodem verb. num.* 29. Et nota nullo modo licere retinere libros prohibitos, uſque dum adhibita diligentia corrigantur, ut docuit Marchantius, quem ſequitur Diana *par.* 11. *tr.* 8. *reſ.* 26. *in fin.* Nam id fuit reprobatum ab Alexand. VII. & eſt propoſitio 17. reprobata.

1262 Inter. 10. Epiſcopi, & Prælati Regulares, poſſuntne concedere ſibi ſubditis licentiam, ſeù facultatẽ legendi Libros prohibitos?

Reſp. Minimè, quia Urban.VIII. *anno* 1631. & ante illum Gregor.XV. revocavit licentias conceſſas quibuſcunque perſonis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſcunque gradus, ſtatus, conditionis, qualitatis, & præminentiæ, etiam ſpeciali nota, & mentione dignis, Teſte Lezana *in Sum. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *ſub n.* 96. contra Peyrinum *tom.* 1. *privil. Minimor. in Conſt.* 9. *Pauli V. à num.* 9. & hanc opinionem ſecuriorem, & in praxi conſulendam eſſe, inquit idem Lezana. Addo ego, & omninò ſequendam. Hinc Diana *par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 49. teſtatur ſe impetraſſe à Sac.Cong. S. Offic. Generalis, & univerſalis Inquiſitionis licentiam legendi quoſcunque damnatorum Auctorum libros, ſeù alios quomodolibet prohibitos, etiam damnatos in Indice Romano librorum prohibitorum. Vide Lezanam, & Dian. *loc. cit. & par.*11. *tr.* 8. *reſ.* 62. apud quos plura videri poſſunt. Vide etiam Bonacinam *de cenſur. diſp.* 2. *qu.* 5. *pun.* 4. *num.* 10. & iterùm Lezanam *tom.* 3. *verb. Libri num.* 28.

1263 Inter. 11. Poſſuntne Epiſcopi, &

& Inquiſitores legere libros prohibitos ?

Reſp. Non poſſunt legere ſine licétia Papæ, ſeù licentia Sac. Congreg. Inquiſitionis Generalis, Indicis, Magiſtri Sac. Palatii, juxta eorum facultatem. Vide Lezanam *tom.* 3. *verbo Libri num.*28. & Dianam *par.*11 *tr.*8. *reſ.* 62.

TITULUS CXXXIV.

De Litteris, & Scripturis.

Vide tit. de Confeſſ. ſac. Int. 41. 42. 43. *tit. de Feſt. dieb. Int.* 8. 9. *tit. de Jejun. Int.* 21. *tit. de pœn. Int.* 5. *tit. de Præc. an. com. Int.* 2. *tit. de Præl. Reg. Int.* 5. *tit. de Regul. Int.* 45. 103. *tit. de Reliq. ſac. Int.* 6. 7. *tit. de Sac. Bapt. Inter.* 12. *tit. de Sac. Matr. Int.* 10. *tit. de Sigil. Confeſſ. Inter.* 7. 21. 22. *tit. de Simon. Int.* 24. 25. *tit. de Sollicit. Inter.* 3. *tit. de Subdiac. Inter. ult. tit. de Superſtit. Inter.* 5. *tit. de Teſtib. &c. Inter.* 5. *tit. de Tonſ. Inter.* 3. *tit. de Val. Confeſſ. Inter.* 3. 4. *tit. de Val. Diſpenſ. Int.* 1. 2. *tit. de Val. Elect. Int.* 2. 3. *tit. de Verb. Int.* 5. *tit. de Viſit. Int.* 7.

1264 INter. 1. Eſtne peccatum morale aperire, & legere litteras alienas ?

Reſp. Ego abſolutè puto eſſe peccatum mortale legere litteras alienas intercluſas ſigillo, vel alia via, quamvis ex hoc nullum damnum oriatur, quia ut plurimum, omnes cupiunt ea, quæ continentur in litteris, occulta retinere, & ſic fit eis injuria, quæ proculdubio pertingere poteſt ad peccatum mortale; Unde niſi ratione amicitiæ, aut alia de cauſa, quis credat adeſſe interprætativam voluntatem ejus, qui ſcripſit, aut illius, ad quem litteræ ſcribuntur, aperiens, & legens litteras alienas, mortaliter peccat, dummodò non ſit Gubernator tempore Belli, qui hoc facit, vel alius ad præcavendum proprium periculũ, quod ſibi probabiliter timet ab inimicis inferendum, aut denique Superior Regularium, aut Paterfamilias. Vide Emm. Sà *verb. Litteræ*. Bonac. *de reſtitut. diſp.* 1. *qu.* 2. *punct. unico n.* 5. 6. 7. ubi addit ex Molina, & aliis, teneri etiam ad reſtitutionem, qui litteras alterius injuſtè aperit. Cæterũ, qui litteras in publicum locum abjectas legit, non peccat, etiam ſi illarum fruſta colligens id faciat; quia tales litteræ habentur pro derelictis; peccaret tamen mortaliter ſi aliquod ſecretum in ipſis contentum, alteri manifeſtaret, modò in damnum alicujus cederet, ut ex Sylveſtro *verb. Emptio num.*18. & Layman *lib.*3. *ſect.*5. *tract.* 3. *par.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. firmat Diana *par.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 55. Vide etiam Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 8. *num.* 30.

1265 Inter. 2. Eſtne peccatum mortale ſcribere litteras ſine nomine ad Prælatum, in quibus contineantur aliorum delicta ? Et poteſtne Prælatus ex tali notitia ad inquiſitionem delictorum procedere ?

Reſp. Scribere hujuſmodi litteras ad Superiorem, in quibus continentur delicta occulta alicujus, ex genere ſuo eſt peccatum mortale, quia eſt ſpecies detractionis: Verùm ſi hoc fiat ex charitate, & non ex odio, aut malevolentia, ſed ſolùm cauſa correctionis, & emendationis proximi, nullum eſt peccatum, quia ex bono, & honeſto motivo, occultat, & celat ſcribens proprium nomen, nempe, ne ad notitiam veniat illius, contra quem ſcribit, & fiat ejus inimicus. Ità docet Peyrinus *tom.* 1. *de Subdito qu.* 2. *de Pauper. cap.* 2. §. 12. & ex eo Lezana *par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 8. *ſub num.* 31. qui ex Rodriquez addit, & benè, non poſſe Prælatum ex hujuſmodi litteris ad inquiſitionem procedere delictorum, quæ continent; idemque probat *ibidem cap.* 27. *num.* 4. quia hujuſmodi litteræ ſine nomine, nullam

inducunt infamiam, ut colligitur *ex cap. Inquiſitionis de accuſ.* Non prohibetur tamen, ne Prælatus generaliter inquirere poſſit, habita talis notitia, quia ad generalem inquiſitionem faciendam non requiritur infamia. Vide Lezanam *loc. cit.* qui citat Thomam de Jeſu *de Viſitat. Regul. tract. 2. cap. 3. num. 9.* Aldrete *de diſcipl. Regul. lib. 1. cap. 7. n. 31.* & alios.

TITULUS CXXXV.

De Lucris ex Mutuo.

Vide tit. de Mutuo Int. 1.

1266 INter. 1. Quotuplex eſt lucrum, quod illicitè provenit ex mutuo?

Reſp. Eſt triplex, nempè à lingua, ab obſequio, & à manu: Unde qui tradit alteri mutuum cum pacto, ut præſtet munus, & officium à lingua, vel ab obſequio, vel à manu, committit uſuram; & ratio eſt, quia hæc officia ſunt pretio æſtimabilia; quare imponere mutuario obligationem pretio æſtimabilem, ad quam aliàs non tenetur, eſt uſura manifeſta, ut docent Doctores plena manu. Vide Bonac. *de Contr. diſp. 3. quæſt. 3. pun. 3. num. 2.*

1267 Inter. 2. Quodnam dicitur officium à lingua, à manu, & ab obſequio?

Reſp. Officium à lingua eſt alloqui Principem, Dominum, vel ſimile; à manu eſt accipere pecuniam, vel alia bona, aut quid ſimile æquivalẽs, ut agrum colere, domum ædificare, rem conducere, & ſimilia; ab obſequio verò eſt exhibere officia particularia, vel ſigna amicitiæ, ut comitari tanquam Dominum, venerari, &c. Ità S. Thom. 2. 2. *qu.* 78. *ar.* 2. Bonacin. *ubi ſupra num.* 3. Steph. à Sancto Gregorio *lib. 2. de Contract. c.* 30. *num.* 1. & alii communiter.

1268 Inter. 3. Quænam ſunt conditiones, quę requiruntur, ut liceat aliquid in mutuo accipere pro damno emergente, & lucro ceſſante?

Reſp Dico primò, quòd tres conditiones requiruntur, ut Mutuator licitè queat exigere damnum emergens ex mutuo. Prima, ut tempore contractus, in pactum deducatur damnũ, quod re ipſa eveniet, vel imminet; aut revera ſit ſequutum ratione mutui, & per illud mutuans factus ſit impotens ad dictum damnum impediendum. Secunda, ut non deducatur in pactum aliquid ſupra damnum, quia non reciperetur ratione damni emergentis, ſed ſupra ſortem, & per conſequens eſſet uſura. Tertia, ut non cogatur mutuarius potius paciſci de periculo damni, quàm de damno, ſed relinquatur in ſua poteſtate, & ſi eligat paciſci de damno, poterit Mutuator accipere dictum pretium, dummodò ſit juſtum, & juxta qualitatem periculi, licèt damnum non ſequatur. Quando vero adeſſet pactum, ut mutuatarius teneatur ad damnum emergens, ante terminum reſtitutionis aſſignatum, nullo modo poterit mutuator exigere dictum damnum, quia non tenetur mutuatarius, niſi ratione moræ. Ità in terminis firmat noſter Pater Stephanus à S. Gregorio *loco ſupra cit. cap.* 31. *num.* 3. Vide Bonac. *ubi ſup. pun.* 4. *num.* 3. Habenda tamen eſt ratio probabilitatis periculi, & qualitatis ejuſdem, ac ſervata proportione inter periculum, & id quod accipitur. Dico ſecundo, alias tres conditiones requiri, ut liceat in mutuo paciſci de lucro ceſſante, ut docent Doctores communiter, ſed ſub diverſis terminis. Prima, ut mutuatio ſit cauſa, cur ceſſet lucrum, quod habebatur in ſpe certa, vel probabili; Secunda, ut lucrum non ſtatim exigatur, ſed poſt debitum intervallum, aliter non diceretur mutuata tota ſumma, unde ſit, ut ſi quis mutuat centum alteri, non poſſit cum eo paciſci, ut ei ſtatim red-

reddantur quinque ratione lucri ceſſantis. Tertia conditio, ut non tantùm quis exigat, quantùm ſperabat, ſed deductis expenſis, labore, & periculo, nam lucrum in ſpe minus valet, quàm in re. Vide præcitatos Doctores, & alios apud ipſos, & præſertim Tolet. *lib.* 5. *cap.* 32. & 33. Semper tamen præmoneri debet mutuatarius, ut quis poſſit aliquid accipere ultra ſortem, ſicut diximus de damno emergente.

1269 Inter. 4. Quodnam dicitur damnum emergens, & lucrum ceſſans?

Reſp. Omnes Doctores conveniunt dicentes illud dici damnū emergens, quod quis patitur in re ſua ob mutuum alteri datum, quare cogitur ad uſuram accipere ob neceſſitatem pecuniæ, quam mutuo dedit, vel patitur aliquod damnum ex defectu pecuniæ, & cogitur v. g. Domum ſuam minoris juſto pretio vendere ob mutuum, aut domus corruit, quæ non corruiſſet, ſi pecuniam alteri non mutuaſſet: cum ex defectu pecuniæ eam reparare nequivit. In his, & ſimillbus caſibus accidit damnum emergēs. Lucrum autem ceſſans dicitur eſſe cum quis non percipit fructus ratione mutuatæ pecuniæ, ut accidit, quando paraverat pecuniam ad emendum agrum, vel domum, vel ad negotiādum, ſed ea alteri mutuo data non potuit domum, vel agrum emere, & fructus ex eiſdem referre, aut pecuniam negotiationis exponere, & inde lucrum percipere. DD. citati, & alii communiter ità docent.

TITULUS CXXXVI.

De Ludis.

Vide tit. de Jejun. Inter. 20.*tit. de Ingnor. Inter. ult. tit. de Irreg. Inter.* 19. *tit. de Regul. Inter.* 69.

1270 INter. 1. Peccantne mortaliter Clerici ludendo Ludis Alearum, & Taxillorum?

Reſp. Jure Canonico eſt prohibitum Clericis ludere Aleis, vel Taxillis; Imò non tantum ludere, ſed etiam intereſſe hujuſmodi ludis eſt prohibitum Clericis, ut patet *ex cap. penult. de ſtatu, & Vita Clericor. cap. Epiſcop.* 25. *diſt. & cap. inter delictos de Exceſ. Prælat.* quas prohibitiones demum confirmavit Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 1. Et hoc maxime procedit in omnibus Clericis, qui ordine ſacro initiati ſunt, vel ſi in minoribus, habent Beneficium Eccleſiaſticum. Verum tamen eſt, quòd quidam tamen dicunt, eos non peccare mortaliter, ſi animi gratia ſecretò, & modicè luderent abſque ſcandalo; Hos Doctores refert, & ſequitur Dian. *par.* 7. *tract.* 9. *reſ.* 3. Sed Ugolinus *de Offic. Epiſ. cap.* 13. §. 23. *num.* 1. reſolvit, peccare mortaliter Clericos prædictos, qui Aleis, vel Taxillis ludunt. Ideò vide Barboſ. *de Jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 66. & *ſeq. Et in collect. in Trident. loco ſupra cit. ſub num.* 5. & Lezan. *tom.* 2. *verb. Ludus num.* 3. & 4. & *ad Int.* 73. *tit.* 180.

1271 Inter. 2. Quibus pœnis ſunt puniendi Clerici, & Religioſi, qui cum diverſis, & ad longum tempus, & de notabili quantitate, & frequenter Aleis, vel Taxillis ludunt?

Reſp. Ultra peccatum mortale, quod incurrunt, debent deponi ab officio, ut decernitur *in cap. Inter dilectos de Exceſ. Prælat.* & damnari debent juxtà *cap. Epiſcop.* 25. *diſt.* Qui Canones loquuntur de publicis Aleatoribus, aut de eo, qui Aleis eſt nimis deditus, & præterea fiunt Infames, infamia facti, ac proinde Irregulares, & Inhabiles ad Officia, & Beneficia Eccleſiaſtica. Ità docet Theſaur. *in prax. par.* 2. *verb. Ludus cap.* 4. Molina *de Juſtitia tract.* 2. *diſp.* 159. *in fin.* §. *Nihilominus.* Barb. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 43. *n.* 11. & alii, quos refert, & ſequitur Lezan. *tom.* 2. *verb. Ludus num.* 4. à quibus plura haberi poſſunt ad intentum, quādo caſus occurrerit.

1272 Inter. 3. Si Epiſcopus v. g. ſub pœna excommunicationis, aliave cenſura vetat ſuis Clericis uſum aleæ, incurruntne talem cenſuram Clerici ludentes in loco exempto, ut ſunt Monaſteria Regularium?

Reſp. Plures Doctores mox citandi dicunt, quòd non incurrant, quià locus exemptus pro extraneo haberi debet, & hanc ſententiam in terminis tradunt Sylveſter *in ſum. verb. excommun. 2. num.* 12. Layman *tom. 1. lib. 1. tract. 4. cap.* 11. *num.* 5. Peyrinus *to. 1. privil. minim. in addit. ad Conſtit. Pyrri cap. 2. ſub num. 3. & in Conſt. 2. Sixti IV. §. 7. num. 9.* Buſenbaum *lib. 1. tract. 2. cap. 2. dub.* 2. Andreas à Matre Dei *in curſu Theol. Moral. tom. 4. tract. 18. cap. 2. pun. 1. §. 1. num. 9.* Bordonus *tom. 3. reſ.* 78. *num.* 58. *& reſ. 68. num.* 30. & plures alii apud ipſos. Vide Dianam *par. 5. tract. 9. reſ. 37. in fine* idem aſſerentem, & DD. citandos infrà *in tit.* 180. *ad Int.* 72. & 78.

1273 Inter. 4. Epiſcopus ludens aleis contrà conſtitutionem ſub pœna excommunicationis ipſo facto à ſe latam, contrahitne excommunicationem?

Reſp. Minimè, quià legiſlator non ſervans legem à ſe conditam, non ſubjacet pœnis latis contrà tranſgreſſores legis, & conſequentèr dicendum eſt Epiſcopum non ſubjacere excommunicationi in tali caſu. Ità ex Azorio, Salas, & Sayro in Clavi Regia firmat Bonac. *de legib. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 6. num.* 16. ſed vide dicta *in tit.* 83. *de Epiſcopo, & Epiſcopatib. ad Inter.* 41.

1274 Inter. 5. Ludens cum Epiſcopo in caſu dicto, ſcilicet manente edicto continente excommunicationem, inciditne in excommunicationem ab eodem Epiſcopo latam?

Reſp. Si Epiſcopus tunc non ſuſpendit vim ſui edicti, certò in excommunicationem incidit, quià facit contrà edictum Epiſcopi edictum non ſuſpendente. Verum eſt tamèn, quòd tunc Epiſcopus cenſetur ſuſpendere ſuum edictum, ſeù diſpenſare cum illo, qui ſecum ludit, nam probabilitèr cenſetur eum punire non velle, vel ad grave peccatum inducere. Ità aliis citatis docet Bonac. *loco ſupracit. n.* 17. Ego tamèn dico, ſi Epiſcopus eo caſu aleis ludens peccat, paritèr peccare ludentem cum eo, nam ipſius peccato cooperatur.

1275 Inter. 6. Quam pœnam incurrit Epiſcopus, qui ludit cum eo, quem ſcit contraxiſſe excommunicationem à ſe latam proptèr ludum?

Reſp. Incurrit excommunicationis pœnam, quia participat in crimine criminoſo cum excommunicato, juxtà *cap. Nuper de ſenten. excommunicationis*, Bonac. *de cenſu diſp. 2. q. 2. pun. 6. §. 1. num. 8. & ſeq.* ſed hoc intelligendum eſt, dummodò is, cum quo Epiſcopus ludit, ſit excommunicatus vitandus, ut colligitur ex dicto *cap. Nuper cit.* Siquidem poſt Concilium Conſtantienſe, non tenemur excommunicatos toleratos vitare. Ut docet Bonac. *de legib. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 6. num.* 18. cum Sanchez, & aliis, & eſt communis ſententia. Vide quæ dixi *in tit.* 83. *de Epiſc. & Epiſcopis ad Inter.* 62.

TITULUS CXXXVII.

De Luxuria.

Vide tit. de Circumſ. pec. Int. 16. & ad quæſ. tit. de Legat. Inter. 4. tit. de Parum. mat. Int. ult. tit. de Sacril. Int. 6. tit. de Sepul. Eccl. Inter. ult. tit. de Val. Vot. Int. 2. tit. de Veſt. ſac. Int. ultim. tit. de Uſu. conjug. Int. 1.

1276 INter. 1. Quot ſunt ſpecies luxuriæ?

Reſp. Sunt ſeptem. Simplex fornicatio, Stuprum, Adulterium, Inceſtus, Raptus, Sacrilegium, & peccatum contra naturam. Tolet. *lib. 5. c. 10. num.* 2. Bonac. *de Matrim. q. 4. pun. 14. num. 1. & alii comm.*

1277 In-

1277 Inter. 2. Peccatum contra naturam quotuplex eſt?

Reſp. Triplex eſt, ſcilicet mollities, ſeu voluntaria Pollutio, Sodomia, & Beſtialitas.

1278 Inter. 3. Peccata contra naturã poteſtne dici, quod ſint ejuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, ità ut ſufficiat in confeſſione dicere ſe procuraſſe Pollutionem, non explicata Sodomia, vel Beſtialitate?

Reſp. Nullo modo hoc poteſt dici, quia ſolùm conveniunt in ſpecie ſubalterna, & ideò contraria ſententia meritò reprobatà fuit ab Alexandro VII. die 24. Septemb. 1665. & eſt propoſitio 24. damnata.

TITULUS CXXXVIII.

De Mandato.

Vide tit. de Differ. Int. 6. tit. de Eccl. Immun. Int. 7. tit. de Excom. ob Cler. perc. Int. 13. 14. 16. tit. de Injuſt. Int. 1.

1279 INter. 1. Qui mandat per Aſſaſſinium Chriſtianum interfici, quam pœnam in foro conſcientiæ incurrit?

Reſp. Non ſolùm committit graviſſimum peccatum homicidii, ſed etiam excommunicationis pœnà ipſo facto incurrit, etiamſi non ſequatur effectus. Ità namquè decernitur *in c. 2. de Homicidio in 6.* & tradunt Sylv. *verb. Excõm. 8. ſub num. 24. Tolet. lib. 1. cap. 8. n. 8. praope finem*. Verùm hæc excommunicatio nulli eſt reſervata, ut ait Jacobus Mancinus *pra. 4. dub. 9. verſ. ex hac regula*. Sed Vide Armillam *verb. Aſſaſſinus & verb. Excommunicatio 7.*

1280 Inter. 2. Quotupliciter poteſt revocari mandatum?

Reſp. Dupliciter, ſcilicet expreſsè, quando ſine ulla fictione revocatur, vel prohibetur Mandatario, nè ullo modo exequatur mandatum: Virtualiter verò dicitur revocari mandatum, ſi Mandans fecit pacem, vel amicitiam, vel contraxit parentelam cum adverſario, *ſciente tamen Mandatario*; Ità Sylveſter *in ſumm. verb. Homicidium 1. ſub num. 11.* Toletus *lib. 1. c. 34. ſub num. 1.* Bonac. *de Irr. diſp. 7. q. 4. pun. 8. n. 13.* & eſt communis ſententia.

1281 Inter. 3. Qui revocat mandatum expreſsè, vel virtualiter, ut non committatur homicidium, fitne irregularis, ſi Mandatarius occidat?

Reſp. Non fit irregularis, quia tale homicidium non oritur ex priori mandato, ſed ex malitia Mandatarii, ità Henriquez, Sayr, Filliucius, & Ugolinus, quos dat, & ſequitur Bonac. *loco ſupracit.* Vide etiam Tolet. *lib. 1. c. 34. num. 1. & c. 85. n. 4. & 5.*

1282 Inter. 4 Qui mandavit interficere inimicum, & facta revocatione mandati, adhuc prævidet Mandatarium velle mandatum exequi, teneturne ex juſtitia admonere occidendum, ut ſibi caveat?

Reſp. Ex juſtitia non tenetur, nam partes ſuas egit, revocando mandatum impoſitum, cum mandatum ſuaptè natura revocatione extinguatur re adhuc integra: Unde ſi Mandatarius homicidium committit, non imputatur mandanti; Ità S. Antoninus *3. par. tit. 28. cap. 2. §. 2.* Bonac. *de irregularit. diſp. 7. quæſt. 4. pun. 8. ſub nu. 14.* & alii apud Dianam *par. 4. tr. 2. reſ. 14.* Vide etiam Sylveſt. *in Sum. verb. Homicid. 1. ſub num. 11.* qui idem aſſerit: Tamen ex charitate tenetur ipſum admonere; unicuique enim mandavit Deus de proximo ſuo; & qui poteſt impedire peccatum & non impedit, eſt ejuſdem peccati reus.

TITULUS CXXXIX.

De Medico.

Vide tit. de Abor. Inter. 1. tit. de Ebriet. Inter. 5. tit. de Hor. Can. &c. Inter. 5. 6. tit. de Ignor. Inter. 12. tit. de Irreg. Inter. 15. 16. tit. de Met. Inter. 4.

tit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tit. de Mutil. Membr. Inter. 3. tit. de Oper. Int. 2. tit. de Vſura. &c. Int. 14

1283 INnter. 1. Poteſtne Medicus ſine peccato applicare medicinam provocativam effuſionis ſeminis, & pollutionis?

Reſp. Si talis medicina nullum alium habet effectum, nemo illam ſumere, aut ordinare poteſt ſub pœna peccati mortalis, quia illicitum eſt procurare pollutionem per medium contra naturæ ordinem; Nam pollutio eſt intrinſecè mala, & quamvis eã deſiderare quis poſſit ob ſanitatem, ut pluribus relatis docebo *in tit.* 143. *de Mollitie, ſeu Pollutione, ad Inter.* 2. Tamen numquam licet eam procurare ob eamdem ſanitatem, ut rectè docet Diana *par.* 9. *tract.* 9. *reſ.* 59. *verſ. idem, quod dictum eſt.* Vide etiam eumdem Auctorem *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 159. Em. Sà *verb. luxuria num.* 11. & 12. qui teſtatur de communi, & reſpondet ad argumenta contraria egregiè. Vide etiam Toletum *lib.* 5. *cap.* 13. *ſub num.* 2.

1284 Inter. 2. Peccatne Medicus tradens medicamentum Infirmo ad ſumendum de eo experimentum?

Reſp. Quoties non adeſt opinio ſaltem probabilis de illo pharmaco, paccat mortaliter Medicus contra juſtitiam, quia injuſtè vitam proximi exponit periculo, cum prætermittat medicamenta probabiliter utilia, quæ habet adhibendo incerta, ut ex Sayro, Azorio, & aliis firmat Bonacina *de legibus diſput.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 9. *n.* 25. Vide *ad Inter. ſequentem.*

1485 Inter. 3. Fitne Irregularis Medicus, qui præbet ægroto Medicinam, quam neſcit, vel dubitat, an profutura ſit Infirmo?

Reſp. Si Medicus habet remedium certum, & adhibet remedium, ſeu medicamentum incertum, & dubium, utique peccat, & ſecuta morte infirmi irregularitatem incurrit; Nam Medicus ex charitate, & juſtitia tenetur illud medicamentum certum applicare, quia certum pro dubio relinqui, ſine gravi peccato non poteſt, & in hoc omnes Doctores conveniunt. Si verò medicamentum certum non habet, tunc in conſcientia tenetur illud applicare, quod melius eſt, & opportunius juxta probabiliorem ſententiam Medicorum, aliàs mortaliter peccat, & fit irregularis, ſi infirmus moriatur, nec ſufficit, quòd applicet id, quod ſalutiferum probabiliter arbitratur, ut docent quidam apud Dianam *par.* 2. *tract.* 13. *reſ.* 7. Nam faceret contra conſcientiam, quæ petit, ut certiori modo, quo poſſumus, proximo ſubveniamus, ne ponatur periculo mortis, relinquendo opportunius remedium ſecundum probabiliorem Doctorum ſententiam, pro medicamento probabili, ac dubio; fieri enim poteſt, ut infirmus propter illud medicamentum ex hac vita decedat. Quando vero Medicus nullum habet medicamentum certum, aut opportunius, tunc non peccat, nec fit irregularis præbendo pharmacum dubium, & minus probabile an ſit profuturum, vel nociturum, quia melius eſt aliquod medicamentum applicare cum ſpe ſalutis, quàm nullum adhibere relinquendo infirmum in illo ſtatu diſperatæ ſalutis. Ità ex aliis docet Bonacina *tom.* 1. *de Cenſur. diſp.* 7. *quæſt.* 4. *pun.* 6. *n.* 3. & *tom.* 3. *de legibus diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 9. *num.* 20. & *ſeqq.* Alios Doctores vide apud Dianam *par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 132.

1286 Inter. 4. Poteſtne promoveri ad Ordines ille Medicus, cujus cauſa Ægrotus interiit?

Reſp. Si ex culpa, vel imperitia illius, mors ſequatur infirmo, certum eſt cum eum peccare, & fieri irregularem, cum ſit cauſa illius mortis, & per conſequens ad Ordines promoveri non poteſt. Verùm ſi citra ejus culpâ moriatur infirmus, mors illi non imputatur, licèt illi vetitum eſſet mederi, ac proinde ad Ordines non prohibetur

betur

betur aſcendere, vel promoveri, quia nullam Irregularitatem contraxit. Ità pluribus relatis docet Bonacina *tom, 1. de cenſur. diſp. 7. quæſt. 4. pun. 5. num. 2.* Vide Toletum *lib. 1. cap. 81. num. 7. & 14. & lib. 5. cap. 7. ſub n. 3.*

1287 Inter. 5. Medicus, qui vocatus recuſat venire, peccatne mortaliter, & ſitne irregularis ſi hac de cauſa moriatur Infirmus?

Reſp Quoties infirmus ex notabili culpa, & negligentia Medici moriatur, proculdubio ipſe Medicus non ſolùm mortaliter peccat, ſed etiam irregularitatem incurrit; nam eo ipſo quòd ſe obligavit ex mercede infirmos curare, eſt obligatus ad curandum illos in omni eventu, immò tenetur gratis mederi pauperibus ſolvere non valentibus, & peccat mortaliter, ſi non vult pauperi mederi, & ſi habet publicum ſtipendium nihil poteſt recipere, etiamſi ſalarium ſit tenue, & tenetur reſtituere, ſi accipiat; quamvis ultrò ſit oblatum. Navarrus *cap. 25. num. 60. & 62.* Sylveſt. *verb. Medicus num. 5. & 6.* Em. Sà *eodem verb. num. 2.* Tolet. *lib. 1. cap. 81. ſub num. 7. & lib. 5. cap. 7. ſub num. 4.* Alloza *verb. Medicus num. 9. & 12.* & eſt communis ſententia. Præterea Medicus, qui eſt à Communitate Salariatus ex juſtitia tenetur curare omnes infirmos illius loci, in quo recipit ſalarium, ac etiam Religioſos, ſi adſint, quia Conventus Religioſorum, & ex illo ſinguli ſunt Cives illius Urbis, vel loci, ubi eſt Eccleſia, ut tradunt Bartolus *in l. 1. ff. ad municipalem num. 10.* Navarrus *conſ. 1. de conſec. Eccl. num. 3.* Em. Sà *verb. Civitas num. 4.* & alii omnes. Immò Religioſi ſunt magna pars Reipublicæ Chriſtianæ, in qua jus publicum coſiſtit, ut habetur *ex lib. 1. §. hujus ſtudii ff. de Iuſtit. & Jure*, & docet Navarrus *conſ. 33. de Regul. ſub num. 10. propè fin.* ergò &c. Vide quæ dicam *in tit. 154. de Operibus, ad Interr. 2.*

1288 Inter. 6. Quomodo debent ſe gerere Medici, ſi ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ne peccent mortaliter, & multarum pœnarum reos ſe conſtituant?

Reſp. B. Pius V. in quadam ſua Bulla, quæ incipit *Supra gregem* edita anno 1566. præcipit, quòd omnes Medici cum ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, ut idoneo Cofeſſario omnia peccata ſua, juxta Ritum Sanctæ R. E. confiteantur, neque tertio die ulterius eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo ejus conſcientiam onerat, conceſſerit, & eis per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit, quòd infirmi peccata ſua confeſſi fuerint. Immò Medici juxta præfatam Bullam, dum licentiam medendi accipiunt, jurant ſe illos ſervaturos. Itaque Medici tranſgreſſores, ultra alias pœnas in dicta Bulla contra eos impoſitas, peccant mortaliter, & ſunt perjuri. Vide Em. Sà *verb. Medicus num. 1.* & alios mox citandos. Præterea Sacra Cardinal. Congregatio anno 1682. juſſu Sanctiſſimi, ſcripſit Epiſtolam omnibus locorum Ordinariis, ſuper publicatione, & obſervantia dictæ Bullç, ut videre licet in quodam libello, cui eſt titulus *Avvertimenti di S. Carlo a' Confeſſori*; & ibi *pag. 155. uſque ad pag. 158.* incluſivè plura videri poſſunt ad hoc propoſitum. Et Emmin. Cardinal. Vicarius juſſu Sanctitatis ſuæ an. 2699. publicavit Edictum in confirmatione Bullæ B. Pii V. & abſolutè mandavit ſub eiſdem pœnis, & ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, ne Medicus poſt tertium diem viſitet ægrotum cujuſcunque gradus, conditionis, aut dignitatis, & pro quàcunque infirmitate, etiamſi videatur levis, niſi viderit in ſcriptis fidem Confeſſarii, qui ejuſdem ęgroti confeſſionem audierit. Unde cautè legen-

Digitized by Google

legendi ſunt Doctores. quos refert, & ſequitur Diana *par. 3. tract. 4. reſ. 93.* Bonacina *tom. 2. de legib. diſp. 4. qu. 1. punct. 16. num.* 10. & alii: Cæterùm, ſi infirmus pertinax ſit in renuenda Confeſſione, Medicus non debet illum deſerere, præſertim ſi gravis ſit Infirmitas, quia præcepta humana non videntur obligare contra charitatem, ſecus autem ſi infirmitas non ſit gravis, & non timeatur mortis periculum, quia in tali caſu non adeſt cauſa cur dicatur præceptum non obligare, ut rectè, aliis relatis, reſolvit Bonacina *ubi ſup. num.* 14. licèt Diana *loc. cit.* dicat, quòd non ſit infirmus deſerendus à Medico, quoties ejus abſentia eſſet graviter ægroto nocitura. vide iterum ipſum Dianam *par. 11. tr. 1. reſ.* 22. Nota denique, medicos hæbreos non eſſe admittendos ad curandos infirmos Chriſtianos *ex Bulla Greg.* XIII. incip. *Altæ Piæ*; Et Medicos Chiſtianos teneri profeſſionem fidei emittere antequam promoveantur, ex Bulla Pii IV. quæ incipit *In Sacroſancta*. vide Armillam *verb. Judæus num. 9. & verb. Medicus ſub n.* 1. & Rotarium *de Exam. Cler. c. 9. ſect. 12. num.* 2.

1289 Inter. 7. Teneturne Medicus in conſcientia nunciare mortem Infirmo, quam præcognoſcit citò, & certò venturam?

Reſp. Certò tenetur per ſe, vel per alium hoc facere, quia talis prænunciatio prodeſt valdè animæ infirmi, & confitebitur ſi fortè habuerit conſcientiam de mortali; & etiam prodeſt, quia poteſt diſponere de rebus ſuis dum tempus habet; Et licèt Medicus dubitet, an hæc prænunciatio profutura ſit necnè, adhuc tenetur, quia in dubio debet, ſi poteſt commodè homo avertere à proximo ſuo damnum notabile; præſertim, quia bono corporis, bona animæ ſunt præferenda: Unde non eſt audiendus Galenus dicens, Medicos erga infirmos deploratos, debere ſemper ſanitatem ſpondere; Nam Galenus loquutus fuit tanquam conſcius vitæ temporalis; omninò vitæ ſpiritualis ignorans. Vide Sylveſt. *verb. Medicus num. 4. verſ.* 4. Fragroſum *de Repub. tom. 1. lib. 5. diſp. 13. §. 9. num.* 224. Armillam *verb. Medicus ſub num.* 1. Et Dianam *par. 11. tract. 1. reſ. 22. verſ. Non deſeram.*

TITULUS CXXXX.

De Memoria peccatorum.

Vide tit. de Abſ. à reſer. Inter. 10. *tit. de Celebr. Miſ. Inter.* 8. *tit. de Contrit. Inter.* 3. *tit. de Jubil. Inter.* 10. *tit. de Val. Conſ. Inter.* 1.

1290 INter. 1. Qui accedit ad confeſſionem nulla præmiſſa diligentia, ut peccata omnia ad memoriam reducat, facitne validam confeſſionem?

Reſp. Qui prius non conatur peccata ad memoriam reducere, non facit validè confeſſionem, & licèt poſtea ſubirent in memoriam, adhuc invalida eſſet confeſſio, quia expoſuit ſe periculo aliquod peccatum omittendi, & conſequentèr denuo ex integro facienda. Vide Tolet. *lib. 3. cap. 8. num. 1. & cap. 9. num. 1. & cap. 10. num. 5. in fin.* Cajet. *in Sum. verb. Confeſſio verſ. decima*, & eſt communis ſententia.

1291 Inter. 2. Sejus acceſſit ad Communionem, ſed dum erat cum aliis in circulo recordatur eſſe in ſtatu peccati mortalis, ob unum, vel plura peccata oblita confiteri, at quia ſine nota infamiæ, vel ſcandalo diſcedere non poterat, & Confeſſionem præmittere, non confeſſus, imò ſine prævia contritione Communionem ſumpſit, quæro an ipſe Sejus peccaverit mortaliter, vel non?

Reſp. Quod non peccavit aſſerunt aliqui, niſi ex conſcientia erronea id fecerit, putans in tali caſu peccare, & ratio

ratio horum eſt, quia de duobus malis minus eſt eligendum, nam ſicut eſt de Jure Divino vitare irreverentiam Sacramenti, ac illud ſine mortali recipere, ita pariter eſt de Jure Divino ſcandalum proximi evitare, & ſic poteſt ſuam tueri famam; Unde quia majora mala ſequuntur ex ſcandalo, quàm cum peccata communicare, ideò dicunt, non peccaſſe Sejum in dicto caſu, quamvis teneatur poſtea quàmprimum confiteri (ſed adverte, quod præceptum Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. de confitendo quamprimum, non afficit laicos, ſed ſolum Sacerdotes celebrantes neceſſitate urgente. Ita Gabriel à S. Vinc. *de rem. ignor. diſ.* 13. *dub.* 11. *in fine, & alii*, quos Ego citavi *in tit.* 130. *de Laicis ad Int.* 5.) Favet dictæ reſponſioni Victoria *in Summ. de Euchar. n.* 72. *in fine*, & Suarez, quos dat, & ſequitur Em. Sà *verb. Euhar. num.* 24. Sanchez *in Sum. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. *in fine*, cum Vaſquez, Medina, Azorio, & aliis; Bonac. *de Euch. diſp.* 4. *q.* 6. *pun.* 1. *num.* 17. *&* 18. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 77. cum Henriquez, & Reginaldo, Immò apertius loquitur *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 98. cum aliis ibi congeſtis: Mihi tamen probabilius dicendum videtur peccaſſe mortaliter, eo quia actum contritionis non elicuit, cum in quacumque anguſtia temporis poſſit quis actum contritionis elicere, maximè cum Deus ſemper ſit paratus nobis præbere auxilium ſuum ut rectè concludit ipſe Dian. *loco prox. cit. in fin.* Sed de actu contritionis vide dicta *in tit.* 34. *de Celeb. Miſſæ ad Int.* 8. *& in tit.* 49. *de contrit. ad Int.* 4.

TITULUS CXLI.

De Mendacio.

Vide tit. de Teſtib. &c. Inter. 2. 7. 8.

1292 INter. Quid eſt mendacium?

Reſp. Mendacium eſt falſa ſignificatio verborum cum intentione fallendi; ſeù falſum dicendi. Magiſter Sentent. *in* 3. *diſt.* 38. cui diffinitioni adhærent communiter Doctores. Vide Navar. *in Man. cap.* 18. *num.* 3. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 54.

1293 Inter. 2. Quotuplex eſt mendacium?

Reſp. Eſt triplex, pernicioſum, officioſum, & jocoſum. DD. communiter.

1294 Inter. 3. Libenter ſcirem quale ſit mendacium Pernicioſum, Officioſum, & Jocoſum?

Reſp. Pernicioſum eſt quando eſt in damnū, & detrimentū alicujus. Officioſū, quod potiùs eſt in utilitatem alicujus; Jocoſum, quod nec in detrimentum, nec utilitatem alicujus eſt. Eſt communis ſententia.

1295 Inter. 4. Eſtne ſemper peccatum dicere mendacium?

Reſp. Omne mendacium univerſaliter loquendo eſt peccatum. Tolet. *ubi ſuprà num.* 3. ac etiam officioſum, quod videtur mendacium minus culpabile.

1296 Inter. 5. Eſtne ſemper peccatū mortale dicere mendacium?

Reſp. Pernicioſum mendacium, ex genere ſuo, ſemper eſt mortale, niſi excuſetur inadvertentia, aut levitate materiæ, tunc enim fit veniale. Sicuti mendacia officioſa, ex ſe venialia ſunt, quæ ſi cum Juramento fiant, ſemper erit peccatum mortale; Tolet *loco cit. ſub num.* 3. & eſt communis ſententia. Omne mendacium in Judicio eſt mortale. Cajet. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 1. non autem in materia levi, niſi ſit cum juramento.

1297 Inter. 6. Mentiri in Confeſſione eſtne peccatum mortale, vel veniale?

Reſp. Mentiri in Confeſſione, quoad materiam peccati mortalis, eſt peccatum mortale, ſecus autem erit tantùm veniale; Sed hoc intelligendum eſt, dummodò peccatum veniale non ſit tunc materia neceſſaria confeſſionis ex eo, quod, Pœnitens aliud pecca

Digitized by Google

cum non habent. Ità Tolet. *lib.* 3. *c.* 9. *num.* 2. Sed Victoria *in Sum. de Confeſſione num.* 120. dicit, quod etiam ſi Pœnitens habeat intentionem efficiendi materiam Confeſſionis ex venialibus, & mentiretur circà illa, nō peccaret mortaliter; Verùm hæc doctrina valet, in caſu, quod Pœnitens non unum, ſed plura venialia haberet. Vide Em. Sa *verb. Confeſſ. num.* 12. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 12.

TITULUS CXLII.

De Metu.

Vide tit. de Cler. ad quæſ. 2. tit. de Denunc. Inter. 15. tit. de Homic. Inter. 6. tit. de Ingr. in Rel. Inter. 14. tit. de Mutil. Membr. Inter. 2. tit. de Regul. &c. Inter. 95. tit. de Reis mort. Inter. ult. tit. de Simul. Inter. 2. 3. 4. 5. tit. de Uxor. Inter. 3.

1298 INter. 1. Ordinatus per metum gravem, tenetur ne ad caſtitatem, & ad perſolvendum divinum officium; vel poteſt ducere Uxorem?

Reſp. Qui ad Ordines Sacros per metum gravem, & cadentem in conſtantem virum fuit promotus, ſi non habuit voluntatem illos ſuſcipiendi, non eſt validè ordinatus; ſi verò quando illos ſuſcepit voluit verè ordinari, licèt, ſi non adeſſet metus, ordines quidem non ſuſciperet, validè ordinatus fuit, & recepit characterem, ut rectè notat ex Coninchò Dian. *par.* 10. *tract.* 13. *reſ.* 28. & eſt communis ſententia. Dico igitur initiatum Sacris Ordinibus ex tali metu non obligari ad continentiam, nec ad perſolvendum divinum officium; conſequenter etiam Uxorem ducere poſſe, modò tamen non ratificaverit ſponte ordinationem verbis, aut facto, ut ſemel, vel pluries liberè utendo ordine ſuſcepto; quia per illàm liberam ratificationem virtualiter elegit in eo ordine permanere. Sed hoc intelligendum eſt, ſi ſciens, & prudens exerceat actū Ordinis ſuſcepti; nam ſi per errorem faciat, non cenſetur ratificare. Ità docet Dicaſtillus apud Dianam *ubi ſupra verſ. Sed ex his.* Vide Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 29. *num.* 5. *& ſeqq.* Emm. Sà *verb. Ordo. num.* 24. & alios, quos citat Victorellus ibidem. Bonac. *tom.* 1. *de Matrim. quæſt.* 3. *pun.* 9. *ſub num.* 12. Tandem ſi non ratificat ordinationem verbo, vel facto, aut per errorem ratificat, remanet ſuſpenſus ab uſu Ordinis ſuſcepti, & matrimonium validè, licitèque contrahere poteſt. Verùm in foro externo debet probare coactionem, licèt non deſint Doctores aſſerentes, quod ſi expreſsè non contradixit, quando ſuſcepit ordines Sacros, teneatur ſervare caſtitatem, donec probata coactione talis obligatio ab Eccleſia remiſſa non fuerit, quod mihi durum videtur. Vide igitur Dianam *loco cit. tract.* 11. *reſ.* 12. *verſ. & tandem Quæro, & par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 193. & Sylveſtrum *verb. Ordo* 4. *ſub num.* 1. Denique adverte ea, quæ à nobis dicta ſunt, intelligenda eſſe de metu injuſto; ſecus verò dicendum eſt in caſu, quo quis initiaretur Sacris per vim, vel metum juſtè incuſſum; nam tunc ſic initiatus lege continentiæ teneretur, & ſi nuberet, matrimonium eſſet irritum. Vide Leandrum *par.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 13. *quæſt.* 57.

1299 Inter. 2. Eſtne validum matrimonium ex levi metu contractum?

Reſp. Non eſſe validum docet Navar. *in Man. c.* 17. *ſub num.* 29. *& c.* 22. *ſub n.* 51. & alii plures apud Sanchez *de Matrim. tom.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 16. *n.* 2. quia ad reddendum actum inefficacem coram Deo ſufficit quilibet timor, etiā minor juſto, quando eſt cauſa, ut ſine eo metu non fieret. Verùm communis ſententia docet oppoſitum, nempe nō ſufficere quemlibet metum, ſed requiri juſtum, qui cadat in conſtantem virum, quo minus malum, majoris evitandi cauſa eligitur, licèt minor metus

tus ſit juſtus mulieri, quam viro, tamen qui operatur ex metu levi nō dicitur neque vi, neque metu operari, imò imprudenter operatur, cum ſit in ſua poteſtate metum repellere; ideoq; cenſetur liberè operari, cum facilè ex eo metu liberari poſſit, ergo metus levis non cenſetur juſtus ad invalidandū matrimonium. Sanchez *ubi ſup.* Rebellius *lib.* 2. *q.* 11. *ſect.* 1. *concl.* 3. Baſil. Pontius *de Matrim. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 2 qui *n.* 5. ſolvit obiectiones in contrarium adductas. Em. Sè *verb. Metus n.* 3. Vide Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 230. Bonac. *de Matrim. q.* 4. *pun.* 8. *n.* 8. Tol. *lib.* 6. *c.* 12. & iterum Dian. *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 117. *in fin.*

1300 Inter. 3. Titius ſtupravit Bertam, ſed metu mortis comminatæ ei à Patre, vel Fratre dictę Bertæ, niſi ducat eam in uxorem, contrahit matrimonium cum ea ne occidatur, vel ſaltem ne accuſetur, aut prodatur juſtitiæ, & à Judice puniatur, eſtne validum tale matrimonium per metum celebratum?

Reſp. Utor diſtinctione, & dico primo, quod ſi celebravit matrimonium cum Berta metu mortis inferendæ ei à Patre, fratre, vel alio conſanguineo dictæ Bertę, invalidum eſt matrimonium, quia privata auctoritate metus incutitur modo illicito, & injuſtè à Patre, vel Fratre Bertæ. Dico ſecundo, quod ſi contraxit matrimonium, quod offertur, vel exigitur in præmium ne prodatur juſtitiæ, & à Iudice puniatur, matrimonium eſt validum; quia metus juſtè incutitur, ut jniuria compenſetur per ſententiam Judicis. Ità docet Bonac. *de Matrim. q.* 3. *pun.* 8. *n.* 11. & 15. Baſilius Pōtius *de Matrim. lib.* 4. *c.* 19. *n.* 10. Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 228. & alii communiter, ſed hoc eſt intelligendum quando Berta involuntariè violata fuit, aut extet lex, quod ſtuprator ducat puellam violatam, ſecus autem non erit validum matrimonium; ut docent præcitati Doctores.

1301 Inter. 4. Contrahiturne validè matrimonium à Sempronio ægroto, quem Medicus curare nolebat, niſi propriam filiam duceret in uxorem?

Reſp. Dico eſſe validum matrimonium ſi contrahatur inter filiam Medici, & ægrotum, quem Medicus alioquin mederi nolebat, & ratio eſt, quia metus mortis non eſt incuſſus à Medico, ſed a morbo, ut ex Sanchez, Conincho, Filliuc. & aliis, docet Bonac. *loco prox. tit. n.* 23. Em. Sa *verb. Imped. dirim. ſub n.* 9. & eſt cōmunis ſententia.

1302 Inter. 5. Si Uxor metu gravi cadente in conſtantem virum fornicetur, talis fornicatio, & adulteriū eſtne cauſa ſufficiens pro faciendo divortio?

Reſp. Multi dicunt non eſſe cauſā ſufficientem, quia non ex Malitia, & dolo fuit commiſſum adulterium; Doctores ità ſentientes refert Diana *par.* 9 *tr.* 8. *reſ.* 38. *verſ. Sed ſi quæras*; Ipſe tamen ſuſtinet oppoſitum aſſerens illam Uxoris fornicationem eſſe ſufficientiſſimam divortii cauſam, ac poſſe maritum ſuam Uxorem jure optimo à ſe repellere, tanquam adulteram; quia metus ille, quantumvis gravis, non excuſat fœminam à culpa mortali, nec à pœnis adulteris debitis, & pro ſe citat Coninchum, Sanchez, & Henriqnez: idem tenet etiam Bonac. *de Matrim. q.* 4. *pun.* 5. *ſub n.* 14. *verſ.* 4. *caſus*. Secus dicendum eſt ſi Uxor carnaliter cognita fuiſſet per violentiam, ſivè præciſè per vim fuerit oppreſſa, ut benè advertit ipſe Bonac. & docet etiā Sylveſter *verb. Divortium ſub n.* 13.

TITULUS CXXXXIII.

De Mollitie, ſeù Pollutione.

Vide tit. de Circumſt. pec. Int. 17. 18. *tit. de Confeſſ. ſacr. Int.* 31. *tit. de Conjuct. Int.* 2. 3. 6. *tit. de Medic. Int.* 1. *tit. de Paroch. Int.* 12. *tit. de Peccat. Inter.* 7. *tiat. de Regul. &c. Int.* 26. *tit. de Relig. liq. part. Int.* 2.

1303 INter. 1. Peccatne, qui pollutionem cœptam in ſomno

non reprimit in vigilia, immò gaudet de ea?

Reſp. Non peccat ipſam non reprimendo, nam ſufficit non placere, Em. Sà *verb. Luxuria num.* 10. Verùm ſi ob ſanitatem gaudeat, vel quia iſto modo ſtimuli carnis ceſſabunt, non autem ob pollutionem ipſam, nullum quidem peccatum committit. Eſt communis ſententia. Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 1. *& ad Inter. ſequentem.*

1304 Inter. 2. Eſtne licitũ aliquando deſiderare pollutionem, aut de illa jam ſecuta gaudere?

Reſp. Affectu libidinis, vel propter ipſius delectationem, nunquam eſt licitum, nam hoc eſſet conſentire directè in pollutionem, quod utique mortale peccatum eſt, ſi autem ob Sanitatem optetur, vel ob ſedandam tentationem, modò tamen nulla ei detur cauſa, non eſt peccatum, ſaltem mortale, nec eſt illicitum illam deſiderare, aut etiam de illa jam ſecuta gaudere; ut docet Em. Sà *verb. Luxuria num.* 11. Bonacin. *de Matrim. q.* 4. *pun.* 10. *num.* 13. Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 21. ubi præter Sà, quem Ego adduxi in Reſp. antec. dum dixi cœptã in ſomnis pollutionem non teneri Evigilantem reprimere (quod intellexi, dummodo abſit periculum conſenſus) alios concordantes adducit, quidquid in contrarium ſentiat. Tolet *lib.* 5. *c.* 13. *num.* 1. *& alii*; Cæterum gaudere de pollutione in ſomnis cœpta, non ob delectationem carnalem, ſed ob ſanitatem, ſeu quia ità tentationes ceſſabunt, nullum eſſe peccatum, neque veniale afferunt Tannerus, Villallobos, Sancius, Sanchez, & alii apud ipſos, teſte Diana *loco ſupracit.* Vide etiam Layman. *lib.* 3. *ſect.* 4. *num.* 17. & alios plures, quos refert idem Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 87. Quod autem pollutio voluntaria ſit peccatum graviſſimum, & quale remedium ſit adhibendum, jam dixi *in tit.* 47. *de conſuet. ad Int.* 2.

TITULUS CXLIV.

De Monialibus.

Vide tit. de Abbatiſ. &c. tit: de Ætat. &c. Int. 1. *tit. de Confeſſar. extr. Mon. tit. de Eccl. Immun. Int.* 32: 39. *tit. de Hor. Can. &c. Int.* 3. *tit. de Illegitim. Int. ult. tit. de ingreſſ. in Mon. &c. tit. de Jub. Int.* 7. *tit. de Largit. Mun. Int.* 2. 3. *tit. de Legat. Int.* 3. *tit. de Novit. Int. ult. tit. de Parv. mat. Int.* 10. 11. *tit. de Prel. Reg. Int.* 13. *tit. de Regul. &c. Int.* 28. *tit. de Teſtam. Relig. Int.* 2. 3. *tit. de Verb. cum Mon. tit. de Virg. Int. ult.*

1305 INter. 1. Si Monialis aſcendat ſupra tecti tegulas, cenſetne Monaſterii clauſuram violaſſe?

Reſp. Sicut qui inventus eſt ſupra tegulas Eccleſiæ, vel Monaſterii non poteſt capi pro aliquo delicto commiſſo, dummodo non ſit de exceptuatis in Bulla Gregoriana, quia dicitur eſſe in ipſa Eccleſia, vel Monaſterio, & ideo ejus gaudet immunitate, itâ à pari Monialis, ſupra tecti Monaſterii tegulas aſcendens, dicitur eſſe in Monaſterio, & conſequenter clauſuram violare non dicitur, dummodo locus ille, ad quem pervenit non ſit extra clauſuram Monaſterii, ſed perpendiculariter illam reſpiciat. Ita docet Texeda, quem refert, & ſequitur Diana *par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 88. nec diſſentit Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 25. *n.* 20. qui citat Sanchez, & Navarrum.

1306 Inter. 2. Deflorans Monialem quot peccata committit? & qua pœna puniri debet?

Reſp. Committit graviſſimum ſcelus; nam committit ſtuprum, quia eſt virgo, ſacrilegium, quia eſt perſona Deo dicata, & etiam reductivè poteſt dici, quod adulterium committat, cum Monialis ſit Sponſa Chriſti. Vide S. Thomam 2. 2. *q.* 154. *art.* 10. *& qu.* 99. *art.* 3. *ad* 3. Pœna vero

qua

qua ſecundùm legem civilem puniri debet, eſt pœna vitæ; immo tale ſcelus tantùm attentans, capite plectitur; habetur *ex leg. Si quis non dicam rapere C. de Epiſc. & Cler.* & docet Zecc. *de caſ. reſ. caſ.* 10.

1307 Inter. 3. Monaſteria Monialium exemptarum, poſſuntne viſitari à Capitulo Sede vacante?

Reſp. Licèt hujuſmodi Monaſteria poſſint ab Epiſcopo viſitari, tamen id facere nequit Capitulum Sede vacante, quia Epiſcopus non vigore poteſtatis ordinariæ illa viſitare valet, ſed tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, ut colligitur ex Clem. 2. *de ſtat. Monach.* & patet ex Conc. Trid. *Seſſ.* 24. *cap. 9. de Regul.* & hanc eſſe opinionem Rotæ docet Merolla *tom.* 3. *diſp.* 7. *dub.* 1. *num.* 50. apud Dianam *par.* 8. *tract.* 4. *reſ.* 14. qui alios pro hac ſententia adducit. Dicendum eſt igitur Capitulum Sede vacante poſſe viſitare Monialium cœnobia, non autem exempta, ut reſolvunt Azor. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 37. *qu.* 5. Garzia *tom.* 1. *de benef. par.* 5. *cap.* 7. *num.* 45. Franciſ. Leo *in Theſaur. for. Eccl. par.* 1. *c.* 10. *num.* 8. *verſ.* 10. Barboſa *de pot. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 73. *num.* 25. *& in collect. ad Trid. Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 3. *n.* 7. & alii plures penès ipſos, quidquid aliqui in contrarium ſentiant. Vide Dianam *loco cit.* qui ex Bavunio *in Schol. mor. tom.* 1. *tr.* 11. *qu.* 24. ad argumenta contraria reſpondet, & iterum Diana *par.* 7. *tr.* 12. *reſ.* 27. idem docentem. Et ità etiam docet Armilla *verb. Capitulum ſub num.* 2.

1308 Inter. 4. Tertiariæ, quæ vulgò appellantur Bizoche, poſſuntne à Sacerdotibus ſuarum Religionum in articulo mortis ſumere Viaticum, & extremam Unctionem, & poſt mortem, ſine interventu Parochi, ad eorum Eccleſiam tranſferri, & ſepeliri?

Reſp. Dicendum eſt, quod non, prout apparet *ex Epiſtola Sacræ Cong.* 17. *Junii anno* 1639. directam ad Epiſcopum Civitatis Mutinenſis, quam per extenſum refert Diana *par.* 6. *tr.* 8. *reſ.* 30. ubi præterea addit, quòd circa ſepulturam dictarum Tertiariarum in caſibus occurrentibus Parochi, & Superiores Religionum recognoſcant declarationes Sacr. Congreg. appoſitas à Julio Lavorio *in ſuis elucubrationibus variis tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 102. *&* 103. ſed vide etiam Lezanam *tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 14. *num.* 31. *& ſeq. & to.* 3. *verb. Tertiarii, & Tertiariæ,* qui ex Bulla Leonis X. in Concilio Lateran. edita, plura refert notatu digna de Tertiariis, eorumque obligationibus, & privilegiis, nec non plurimas adducit Sac. Congregationis declarationes circa hujuſmodi Tertiarios, & Tertiarias, ſeù Bizochas, aut Beatas. Adi ipſum, & non pigebit. Ego enim brevitati ſtudeo.

TITULUS CXLV.

De Monopolio.

1309 Inter. 1. Quid eſt Monopolium, & quotupliciter fieri poteſt?

Reſp. Monopolium eſt quædam coventio inter mercatores, ut nullus eorum vendat, aut emat, niſi pretio ab ipſis determinato, & quadrupliciter fieri poteſt. Primò quando conveniunt, ut nullus eorum audeat emere, aut vendere, niſi ſub uno pretio ab ipſis conſtituto. Secundò, quando conveniunt inter ſe ad emendum omnes merces, vel frumentum, &c. ut poſtea illa vendant pretio, quod illis libuerit. Tertiò, quando prædicti mercatores impediunt mercedes, ne advehantur in Civitatem. Quartò denique, quando Princeps concederet uni tantùm, ut poſſit vendere aliquod genus mercium, vel frumenti, &c. ad hoc ut carius illa vendantur. Qui omnes modi peccaminoſi cenſentur ſecùdùm Navar. *in Sum. cap.* 23. *num.* 92. & Leſſium *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 25. quibus ſub-

ſubſcribit Steph. à S. Gregorio *de contract. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 8. *& ſeq.* Vide Bonacin. *de Contract. diſp.* 3. *q.* 2. *pun.* 5. *num.* 2. *& ſeq.* & Armillam *verb. Monopolium*.

1310 Inter. 2. Danturne alia genera Monopolii illiciti?

Reſp. Utiquè dantur, ut ex aliis docet Bonac. *loco ſup. cit. num.* 10. Nam conventiones quæ fiunt inter artifices, ut nullus perficiat opus ab alio inceptnm, vel nullus artem doceat, niſi ſoluto certo pretio, dicitur Monopolium illicitum; Ità etiam, ſi mercatores fingant litteras, in quibus exprimatur naves eſſe ſubmerſas, unàcum mercibus certi generis, ut hac de cauſa poſſent pretium augere, vel ſi vendens ſub aſta apponit fictum licitatorem, qui plus offerat, ut cæteri Emptores aſcendant in pretio. Cætera vide apud eundem Bonac. *loco cit.* Dianam *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 76. & Steph. à S. Greg. *ubi ſup. ſub num.* 12. Ego enim brevitati ſtudeo.

1311 Inter. 3. Monopolium facientes, peccantne contra charitatem, vel contra juſtitiam; & in quo caſu peccant contra juſtitiam, vel ſolùm contra charitatem?

Reſp. Aliquando peccant contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur; aliquando verò ſolùm contra charitatem. Quando Mercatores conveniunt, ut non excedatur pretium legitimum, non peccant contra juſtitiam, ſed contra charitatem, quia poſſent emptores emere medio, vel infimo pretio; ſed ſi fraude, & minis impedirent alios, ne minoris venderent, tunc peccarent contra juſtitiam, & ad reſtitutionem emptoribus tenerentur: Ità ſimiliter quando inter ſe convenirent, ut nullus emat, niſi viliori pretio infra infimum, non eſſet contra juſtitiam: Si autem conveniant ſolùm, ut emant infimo tantùm pretio, vel ut non vendant niſi ſupremo, peccant contra charitatem, dummodo abſint fraus, & minæ, nè aliter vendant. Verùm tamen eſt, quòd in tali caſu emptores couvenire poſſunt, & determinare, ut nullus emat, niſi infimo pretio, & ſic clavus clavo truditur, & Monopolium monopolio depellitur; ſed ceſſante uno monopolio, & aliud ceſſare debet, ut æqualis juſtitia ſit inter eos. Quando autem fraude, aut vi impediunt ne merces advehantur in Civitatem, ut ipſi cariùs vendant, peccant contra charitatem, & etiam contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur, non ſolùm illis, quibus impedimentum dederunt, ne ad vendendum venirent in Civitatem, ſed etiam Reipublicæ, quæ cariùs emit. Si verò conveniant inter ſe, ut omnes merces, vel frumenta ab ipſis emantur, & ad eorum libitum aliis poſtea vendantur, peccant item contra juſtitiam, & contra charitatem, quia cauſant caritatem, & inopiam in Civitate. Tandem Monopolium, ideſt Privilegium conceſſum a Principe vendendi aliquod genus mercium, vel aliarum rerum erit licitum, ſi concedatur taxato pretio, & rationabili cauſa interveniente, tenetur tamen ex officio Princeps impedire damna Reipublicæ. Vide Leſſium *loco ſupra cit.* Navar. *cap.* 23. *num.* 92. & Bonac. *de contr. diſp.* 3. *qu.* 2. *pun.* 5. *per totum*; & Stephanum à Sancto Gregorio *loco proximè cit.* qui fusè de hac tractat materia, & plures refert DD. à quibus multa alia haberi poſſunt ad propoſitum. Vide etiam Sylveſt. *verb. Emptio qu.* 18. Em. Sà *verb. Venditio num.* 5. qui loquuntur de privilegio Principis &c. & Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 17. §. 7. *num.* 42.

1312 Inter. 4. Mercator, qui non interfuit Monopolio, poteſtne licitè vendere merces prętio currenti, quod per Monopolium fuit auctum, & quæ eſt pœna a lege contra Monpolia facientes impoſita?

Reſp. Nullo modo licet Mercatori, aut alteri, qui Monopolio non interfuit, vendere pretio per Monopolium aucto

arcto, quia eſt injuſtum, & contra juſtitiam commutativam. Vide DD. quos refert, & ſequitur Diana *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 14. Pœna verò contra facientes Monpolia eſt exilium, & publicatio bonorum, ut patet *ex l.* 1. *C. de Monopolio*, & docet Azor. 3. *par. lib.* 8. *cap.* 28. §. 1. teſte Stephano à S. Gregorio ubi ſupra *n.* 12. *in fin.* Imò in aliquibus Diœceſibus, Epiſcopi rectè ſibi hunc caſum reſervant, cum Monopolium ſit peccatum admodum grave.

TITULUS CXXXXVI.

De Moribundis, & Morti proximis

Vide tit. de Celeb. Miſſ. Int. 17. 19. *tit. de Confeſſ. extr. Mon. Int.* 3. *tit. de Confeſſ. Sacr. Int. ult. tit. de Denunc. Int.* 9. *tit. de Laic. Int.* 1. 2. *tit. de Monial. Int. ult. tit. de Novit. Int. ultim. tit. de Paroch. Int. ult. tit. de Pixide ad quæſ. tit. de Regul. &c. Int.* 81. 82. 92. 93. *tit. de de Sacr. Bapt. Int.* 10.

1313 INter. 1. In caſu neceſſitatis, puta mortis, eſtne confeſſio facienda Laico, quando nullus adeſt Sacerdos?

Reſp. Certum eſt, non eſſe neceſſariam, vel debitam; quia non eſt præceptum, nec debet fieri eo ſenſu, & animo, ut ſit verè Sacramentalis confeſſio, & quod Laicus poſſit abſolvere, nam hoc dicere eſſet hæreticum, prout habetur ex *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 6. *can.* 10. cum ſolus Sacerdos ſit hujus Sacramenti miniſter, & ego breviter dicam *ad Inter. ſequentem.* Putant tamē quidam fieri poſſe ad majorem humilitatem, & contritionem ad placandam iram Dei, & ad redimendam aliquam partem pœnæ peccatis debitæ, quia erubeſcentia, cum ſit valdè difficilis, plurimum juvat, favente charitate, ad. ad minuendam ejuſmodi pœnam &c. Vide Sylveſt. *verb. Confeſſor* 1. *num.* 1. Victoriam *in Sum. de confeſſ. n.* 131. & pro hac ſententia citant S. P. Auguſtinum, S. Thom. & alios: Alios Doctores refert Dian. *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 73. qui tamen eam non admittit, immò ineptam putat confeſſionem illam, quā quidam nautæ in tempeſtatibus, & periculis extremis, deficiente Sacerdote, efficiunt alii aliis peccata ſua confitentes, & huic ſententiæ adhæreo, licèt negare non audeo, quod licitè fieri poſſit, & quod ſit bonum, ſi fiat, præſertim cum aliquo gravi viro, ac prudente, atque magna adhibita circumſpectione, non ſolùm propter verecundiam, ſed ad auxilium, vel conſilium capiendum, tamen quia hoc non eſt amplius in uſu, idcircò mihi videtur in dicto periculo conſulendum, ut Fideles de ſalute curent per actum contritionis cum propoſito tunc confitendi ſi poſſet, ut dixi *tit.* 17. *de Attritione, ad Inter.* 2. quod quidem ſufficit pro obtinenda ſalute, abſque eo ſe diffament ſine ſpe obtinendi abſolutionem à Laico.

1314 Inter. 2. Poteſtne quis, ſaltem in extrema neceſſitate, utpotè in mortis periculo cōfiteri ſacramētaliter nō Laico, ſed Subdiacono, aut Diacono?

Reſp. Nunquā validè id fieri poteſt, quia ſolus Sacerdos eſt hujus Sacramēti Miniſter, ut patet ex Concil. Florent; Conſtant. & Triden. *ſeſſ.* 14. *c.* 6. Nam poteſtas clavium ſolùm Sacerdotibus fuit collata à Chriſto Domino ut habetur ex Jo: c. 10. quando dixit, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* & docet Sylv. *verb. abſolutio* 1. *ſub n.* 2. *in fine, & verbo Clavis num.* 5. Bonac. mox citandus, & alii communiter: Ex quo ſatis conſtat, confeſſionem Sacramentalem factam Laico, Subdiacono, vel Diacono nullam penitus eſſe. Sylv. *verb. Confeſſ.* 1. *num.* 1. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *ſect.* 5. *pun.* 1. *num.* 1. *& ſeq.* & eſt comm. ſent.

1315 Inter. 3. Qui eodem anno confeſſus eſt, teneturne iterum confiteri, quan-

quando eſt in probabili mortis periculo conſtitutus?

Reſp. Maximè, quia præceptum divinum confeſſionis, ſi unquam obligat, obligat quidem, & ſine dubio quando quis eſt in periculo mortis. Vict. *in Sum. ubi de confeſſ. n.* 123. & alii multi ità rectè docent.

1316 Inter. 4. Qui non eſt Confeſſus in periculo mortis, teneturne poſtea, quàm primùm confiteri?

Reſp. Verum eſt, quod adeſt præceptum Divinum confitendi in articulo, ſeu periculo mortis, ut docui *in Reſponſione antecedente*, tamen eo periculo elapſo, non obligat. Unde qui haberet conſcientiam peccati mortalis, & prætermitteret confiteri, eo tranſacto non teneretur confiteri quam primùm, niſi periculum mortis adhuc perſeveraret, quia præceptum confitendi in articulo mortis, ſeu probabili periculo, obligat propter periculũ damnationis, ſed ſublato periculo mortis, periculũ damnationis abeſt, ergo nõ obligat amplius tale præceptum. Ità contra Henriquez docet Bonac. *de Sac diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *puncto* 4. *n.* 28. & ex eo Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 140. & alii penes ipſos.

1317 Inter. 5. In articulo mortis poſt confeſsionem factam cum attritione cognita, teneturne quis neceſſariò habere actum contritionis omnium mortalium, quæ in vita commiſit pro obtinenda ſalute?

Reſp. Affirmat Suar. *in* 3. *par. to.* 4. *diſp.* 17. *ſect.* 4. *num.* 17. Nugnus *in* 3. *par. tom.* 2. *quæſt.* 2. *ar.* 4. *dub.* 4. Tannerus, Præpoſitus, & alii, quos citat, ſed non ſequitur Diana *par.* 3. *tra.* 4. *reſ.* 98. *& par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 76. Et putant, quod ſaltem vir doctus teneatur in morte actum contritionis elicere, vel amoris Dei ſuper omnia, alioquin mortaliter peccet, quia bona fides ei ſuffragari non poteſt, ut Ruſticis, & ignorantibus. Sed ego teneo quemlibet cùm ſola attritione confeſſum in articulo mortis, debere actum perfectæ contritionis elicere, vel ſaltem actum amoris Dei ſuper omnia dilecti, alioquin mortaliter peccare, quia præceptum charitatis per ſe, & ex vi ſua obligat maximè tempore mortis, ut docent DD. communiter.

1318 Inter. 6. Titius in mortis periculo conſtitutus vocat Confeſſarium, & ei confitetur etiam quædam peccata, quæ ſunt ſuperiori reſervata, imò habet unum peccatum, cui annnexa eſt excommunicationis pœna, vel alia cenſura reſervata; abſolvitur à ſimplici Confeſſario, deinde Titius convaleſcit, & ex illo evadit periculo: Quæro, an Titius prædictus teneatur comparere coram Superiore quamprimum adhoc ut iterum abſolvatur à Superiore, tam à peccatis reſervatis, quàm ab ipſa excommunicatione, vel alia cenſura, & ſi hoc non faciat, quam pœnam incurrat?

Reſp. Pro caſibus, ſeu peccatis reſervatis, quibus nulla erat annexa cenſura, minimè comparere tenetur, quia in mortis periculo, omnis reſervatio ceſſat; Tenetur tamen pro excommunicatione, vel alia cenſura reſervata comparere, ſed non, ut iterum abſolvatur, ſed ut obtemperet Superioris mandatis, & obedientiam præbeat Eccleſiæ, & ut recipiat majorem pœnitentiam, ſi à Superiore injungatur: Quatenus verò non compareat, reincidit in eandem cenſuram. Sylv. *in Sum. verb. Abſolutio* 1. *ſub.* 8. Navar. *in Man. cap.* 26. *num.* 27. Zeccus *de Excom. fol.* 36. & alii communiter. Imò dico, quod Confeſſarius in dicto caſu, antequam pœnitentem abſolvat, tenetur ipſum pœnitentem monere, quod ſi convaluerit, quamprimum ſe præſentet coram Superiore pro cenſura dumtaxat, non autem pro reſervatis, ut dixi. Vide Dianam *par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 67. *Vide etiam Inter. ſequentem.*

1319 Inter. 7. Abſolutus in articulo mortis, ſeu probabilis mortis periculo à caſibus reſervatis, teneturne, ſi ex illo evadit periculo comparere coram Superiore ſicut tenetur, ſi fuerit abſo-

lurus

lutus ab aliqua cenſura reſervata ?

Reſp. Non tenetur, quidquid in cōtrarium dicat Gaſpar Hurtado *de Sac. Pænit. diſp.* 11. *diffic.* 13. nam hæc opinio eſt contrà torrentem DD. Vide igitur, quæ dixi *ad Inter. immediatè præcedentem* Siquidem, quod ibi firmavi, eſt probabiliſſimum, & pręter Doctores, quos citavi, docent etiam Suarez, Sanctorius, & Mercerus, quibus ſubſcribit Dian. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 199. Concordat etiam Sylv. *verb. Confeſſ.* 1. *num.* 21. cum Paludano, & Paſqualigus *de privil. eorum, qui in periculo mortis conſtituuntur q.* 112. *n.* 3.

1320 Inter. 8. Berta ſcit ſe contraxiſſe matrimonium cum impedimento dirimente, quod tamen probare non poteſt, undè non vult, neque poteſt cum viro habitare, propterea fuit ab Epiſcopo excommunicata, modò quia reperitur in articulo mortis vocat Confeſſarium, qui recuſat eam abſolvere, niſi juret ſe velle cum viro habitare poſito quod ex illo evadat periculo; teneturne Berta jurare, & ſi non moritur; tale juramentum adimplere ?

Reſp. Ad hunc Caſum reſpondet Navar. *in cap.* 12. *num.* 9. *verſ. & Conſequenter*, & docet, quod debeat jurare, adhoc ut à Confeſſario poſſit abſolvi, ſed debeat concipere intra ſe conditionem illam, ſi id ſine peccato jurari poſſit, & licèt poſteà non adimpleat juramentum, nullatenus erit perjurii rea. Ità Navar. Sed mihi abſolutè reſpondendum videtur, nullo modo poſſe Confeſſarium cogere Bertam ad jurandum, & multo minus pòſſe ipſam uti mentali reſtrictione, cum ſit reprobata ab Innocent. XI. ut patet ex 26. propoſitione in ſuo Decreto edito Anno 1679. Dico igitur quod Berta jurare non debet, & Confeſſarius ipſam abſolvere poteſt, quia in foro conſcientiæ, & coram Deo nullam excommunicationem contraxit; Excommunicatio enim ſupponit peccatum mortale, quod revera in tali caſu non adeſt, & ſic, quia nititur falſa præſumptione, ideò ut injuſta in foro conſcientiæ non ligat; Ità docet Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 4. *n.* 17. Vide quæ dixi *in tit.* 97. *de Fornicatione, ad Inter.* 2.

1321 Inter. 9. Qui mane Miſſam celebravit, vel Sacram Synaxim ſumpſit, ſi poſt prandium incidat in mortis periculum, poteſtne eadem die licitè iterum communicare ?

Reſp. Circa tale dubium hinc indè adſunt ſcribentium auctoritates, ut videre licet apud Dianam *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 196. *& par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 33. ac demum *par.* 6. *tr.* 6. *reſ.* 18. Tamen mihi valdè probabile videtur id, quod aſſerit ipſe Diana cum aliis, quos ipſe refert, nempè, quod qui mane communicavit, vel Sacrum fecit, poſſit licitè per modum Viatici Sacram Synaxim, hoc eſt Sacram Euchariſtiam, ſumere eadem die licèt non ſit jejunus. Siquidem probabile eſt præcepto ſumendi Viaticum non ſatisfieri extra mortis periculum; nec obſtat Eccleſiæ prohibitio de nō ſumenda bis in die Euchariſtia. ut habetur *c. conſuluiſti, de celebr. Miſſæ c. ſufficit de conſec. diſt.* 1. quia quando occurrunt duo præcepta, quæ ſimul ſervari non poſſunt, majus quidem præponderat, & eſt anteponendum; Unde quia de Jure Divino tenemur communicare tempore mortis, ideo hoc debet prævalere præcepto Eccleſiaſtico de non ſumenda bis in die Sacra Synaxi. Quod autem ſit de Jure Divino communicare tempore mortis, non eſt opus pluribus probare, eſt enim S. Thom. ſententia in ſuo ultimo teſtamento, ſcilicet 3. *parte q.* 80. *ar.* 11. & cū eo ſentiunt innumeri Theologi: Vide Dianam *lotis ſupracitatis, & præſertim par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 33. ubi pluribus relatis hanc ſuſtinet ſententiam, & meritò, utpotè favorabilem, & multum conſolatoriam in dicto caſu. Vide ſeq. Reſp. ac etiam Paſq. *de Privilegio eorum, qui in periculo mortis conſtituuntur qu.* 272. docentem, teneri iterum ſumere per modum

Viatici, præſertim ſi probabile ſit, quod non ſit ſupervicturus uſque ad ſequentem diem.

1322 Inter. 10. Poteſtne quivis Sacerdos illicò poſt mediam noctem Nativitatis celebrare ad dandum Viaticũ Infirmo periclitanti? aut etiam poſt Meridiem?

Reſp. Licèt jure communi non poſſit celebrari Miſſa, neque ante Auroram, neque poſt Meridiem, tamen caſu raro, & exiſtente rationabili cauſa, ut eſt pro communicando ægroto extremè laborante, puto licere, cum Epiſcopi licentia, ſaltem præſumpta; Miſſam celebrare ſtatim poſt mediam noctem, & tres horas poſt meridiem *Sacerdoti jejuno*, Nam juxta probabiliorem ſententiam, eſt de Jure Divino communicare tempore mortis; ut docet S. Thomas 3. *par. quæſt.* 80. *artic.* 11. & alii multi Theologi, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 33. & *par.* 9. *tract.* 9. *reſ.* 46. *verſ. dicendum eſt itaque &c.* ac proinde eſt anteponendum Juri poſitivo de non celebrando ante Auroram, aut poſt Meridiem, ac pro hac ſententia refert idem Diana *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 26. *verſ. Nota hîc* plures Doctores, quos ipſe ſequitur, qui etiam putat; quòd non ſit neceſſaria Epiſcopi licentia; ſed hoc ego non admitto in caſu, quo facilè haberi poſſit. Vide quæ dixi *tit.* 34. *de Celebratione Miſſæ ad Inter.* 19. nam ad tale dubium affirmativè reſpondi, ut nunc facio, quidquid in contrarium dicat Henriquez *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 5. & alii; Siquidem hanc nòſtram ſententiam præter Doctores à me ibidem citatos, docet etiam Victoria *de Euchariſt. num.* 95. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 3. & alii teſte Diana *par.* 1. *tract.* 14. *reſ.* 33. *in fin.*

1323 Inter. 11. Poteſtne licitè Parochus, vel alius Sacerdos pro audienda confeſſione Infirmi moribundi relinquere Miſſam inchoatam, etiam poſt conſecrationem?

Reſp. Si non ſit alius Sacerdos, qui poſſit illius Confeſſionem audire, certò poteſt, ac debet Parochus, aut quivis alius Sacerdos, licèt ſit in Altari, Miſſam inchoatam relinquere, etiamſi peracta fuerit conſecratio: ſed debet ſervare hoſtiam conſecratam in Tabernaculo, aut alio honeſto loco, & ſecum devotè deferre aliquam particulã conſecratam ſi adeſt, & extremam unctionem pro communicando infirmo, & præbendo illi etiam Sacramentum extremæ unctionis: & ità audita ejus Confeſſione, & data Euchariſtia, & extrema unctione, omiſſis tamen pſalmis pœnitentialibus, redire debet ad Eccleſiam, & Miſſam inchoatam perficere. Si verò Confeſſio Infirmi fuerit ità longa, ut media hora perfici nequeat, Sacerdos tranſacta dicta media hora abſolvat moribundum, & dicat ei, ut poſt Sacrũ inceptum completum faciat eum vocare ad ſe, & ſic de novo audiat, & abſolvat. Ità ex Zambrano *de Sac. pænit. cap.* 4. *dub.* 6. *n.* 5. firmat Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 70. & rectè quidem, Immò nota quod Confeſſarius poteſt abſolvere Infirmũ, quem credit ſtatim moriturum audito uno tantùm peccato mortali, & deinde reliqua audire. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 3. *num.* 17. & ſequentem Reſponſionem.

1324 Inter. 12. Parochus dum fert ad Infirmum Communionem, ſi ei dicat velle reconciliari, & inter reconciliandum inveniat illum multas Confeſſiones invalidas feciſſe, quid facere debet talis Parochus?

Reſp. Idem Zambranus *loco ſupra cit. num.* 6. & 7. docet quod ſi infirmitas ſit ità periculoſa, ut meritò timeri poſſit mors, ſi Confeſſio, & abſolutio differantur in aliud tempus, audiat illum Confeſſarius per dimidiam horam, niſi fortè dubitet fore, ut infirmus morte corripiatur, & decedat ſine abſolutione; nam tunc, ut docet Bonac. *loco proximè citato* ſufficit unũ tantum peccatum mortale audire, & abſolvat, & conveniat cum pœnitente

te de ejus reditu ad perficiendam dictâ Confeſſionem, ſumpta occaſione alicujus negotii, & interim miniſtret ei Euchariſtiam; nam ità occurritur omnibus incommodis, ſubvenitur Infirmo abſolutione Sacramentali, præmiſſa Confeſſione poſſibili pro temporis opportunitate, miniſtratur viaticum neceſſarium, & vitatur ſcandalum, quod facilè contingere poſſet, ſi longiſſimo tempore expectaretur à multis Sanctiſſimum Sacramentum comitantibus. Si autem Infirmitàs non ſit ità periculoſa, & Confeſſionem per dimidiam horam integrè fieri poſſe probabiliter nō ſperetur, tunc Parochus curare debet, ut faciat verum contritionis actum, ſcilicèt ut doleat de peccatis propter Deum ſuper omnia dilectum cum propoſito non peccandi de cætero, & præbeat illi viaticum, monens inſuper illum de obligatione, quam habet integrè confitendi eo, vel ſequenti die, acerſito Confeſſario prætextu alicujus negotii; ità namque occurritur ſcandalo, quòd eveniret, ſi non communicaret, & ex alia parte eſt minus inconveniens communicare in dicto caſu ſine Confeſſione præmiſſâ, quàm ea facta præproperè, & non integrè, ſicut dixi in *tit.* 140. *de Memoria Peccatorum, ad Inter.* 2. de illo, qui dum erat cum aliis in circulo pro recipienda Sacra Synaxi, recordatur ſe eſſe in peccato mortali; nam majora mala ſequuntur ex ſcandalo, quam ex Cōmunione cum peccato. Unde optimè loquitur Zambranus in tali caſu, quomodo Parochus, vel alius Confeſſarius ſe gerere debeat, & ità etiam docet Jacobus Granadus apud Dianā *loco proximè citato reſ.* 75. qui etiam addit, & bene, quod præcipuè in villis, & paruulis oppidis advertere debeant Parochi, aut quivis alius Confeſſarius, antequam deferant Infirmo Sacram Communionem, aliquem mittere, qui illum interroget, an velit de aliquo peccato ſe reconciliare, priuſquam deferatur Sacra Communio, ut ſupradicta incommoda omninò evitentur.

1325 Inter. 13. Si Confeſſarius inveniat Moribundum, qui nulla contritionis ſigna dare valet, nec antea petiit Confeſſionem, poteſtne ipſum abſolvere?

Reſp. Si Chriſtianam duxerit vitā poſſe ſub conditione abſolvi, docent quamplurimi Viri do:ti. Tamen oppoſitum eſt multò probabilius. Vide Dianam *par.* 3. *tr.* 3. *reſ.* 8. 9. & 10. & *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 92. ubi utriuſque partis Aſſertores refert. *Vide ſeq. Reſp.*

1326 Inter. 14. Moribundus nulla ſigna Contritionis oſtendens, poteſtne ſub conditione abſolvi?

Reſp. Dicunt quidam poſſe abſolvi, qui ſenſibus omninò deſtituitur, & nullo pacto petit Confeſſionem, ſi conſtet fuiſſe ſolitum vivere more Chriſtiano. Hanc ſententiam multi ſequuntur Auctores, ut dixi *ad Inter. antecedentem, & dicam ad Inter. ſequentem*, & eſt quidem probabilis. Hos Doctores refert Diana *in par.* 3. *tr.* 3. *reſ.* 8. 9. & 10. & *par.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 20. & alibi. Vide Em. Sà. *verb. Abſolutio num.* 10. qui fatetur huic affirmativæ ſententiæ nunc adhærere. Tamen communis Doctorum ſententia eſt in contrarium, ut teſtatur idem Diana *cit. par.* 9. *tract.* 6. *reſ.* 20. *in fin.* ubi adducit Card. de Lugo *de pœnit. diſp.* 17. *ſect.* 5. & validis, ſolidiſque rationibus & Auctoritatibus probatur. Nihilominus, in facti contingentia, poſſe abſolvi ſub cōditione puto, quia Confeſſarius adminiſtrando hoc Sacramentum cum opinione probabili, nullam illi injuriam affert, ex alia parte conſulitur, quantum fieri poteſt ſaluti morituri, qui in tali articulo poteſt præſumi ſaltem attritus, conſequenter mihi quoque videtur teneri Confeſſarius ratione charitatis erga proximum ei illud adminiſtrare ſub conditione, ut dixi. Vide tamen Lezanā *tom.* 2. *verb. Confeſſio num.* 11. & Campionum *Inſtr. pro Ordin. cap.* 40. *ſub num.* 14.

1327 Inter. 15. Si quis dum actualiter peccat, incideret in mortis periculum, & ex improviſo ſenſibus deſtitueretur, poteſtne ſub cōditione abſolvi?

Reſp. Doctores communiter docent, quod non, quia hoc Sacramentum, ſicut cœtera, conſtare debet materia, & fòrma; Licèt aliqui, & præſertim Tambur. *in Methodo exped. Conſ. lib.* 2. *c.* 10. §. 1. *à num.* 12. doceant abſolvi poſſe ſub conditione, nam inquit Tamburinus, quod rariſſimè evenit, quod tam citò ſēſibus quis deſtituatur, dum peccat, ut vicinus morti non velit ſuæ ſaluti conſulere per aliquam attritionem.

1328. Inter. 16. Si Confeſſarius Pœnitentem in articulo mortis conſtitutum invenerit excōmunicationis vinculo innodatum, ob omiſſam denunciationem in S. Offic. ſcienter, & malitioſè de ſollicitatione ſibi facta, poteſtne ipſum abſolvere?

Reſp. Poteſt, ac debet abſolvere illum monendo tamen, & injungendo, quòd ſi ex illo evadit periculo ſub pœna reincidentiæ debeat ad Sanctū Officium Sollicitantem denunciare, quod quidem certiſſimum eſt, & indubitatum: Vide Cabrinum *in Elucidar. caſ. reſ. par.* 1. *reſ.* 42. §. 9. *propè finem*. Nam eſt communis doctrina.

1329 Inter. 17. Poteſtne quivis ſimplex Sacerdos abſolvere Ægrum, vel alium in probabili mortis periculo conſtitutum, à caſibus, & cenſuris reſervatis, etiamſi adſit Parochus, aut alius approbatus Sacerdos?

Reſp. Magna quidem eſt opinionum diverſitas circa præſentem petitionem: Affirment nonnulli præſertim Sylv. *in Sum. verb. Confeſſor* 1. *num.* 16. Em. Sà *verb. Abſolutio n.* 3. Barboſa *de poteſtate Epiſc. par.* 2. *alleg.* 25. *num.* 15. *de Offic. Paroch. par.* 2. *c.* 19. *num.* 4. & in collect. ad Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *num.* 12. Diana *par.* 1. *tra.* 5. *reſ.* 5. *par.* 3. *tr.* 4. *reſp.* 57. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 161. & *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 60. Peyrin. *tom.* 2. *de Prælato qu.* 1. *cap.* 4. §. 4. *ſub num.* 82. & alii plures apud Dian. & Barboſ. *loco cit.* Vide Paſqu. *de privileg. eorum, qui in periculo mortis conſtituuntur qu.* 184. *num.* 4. *q.* 185. *num.* 6. & *qu.* 186. *num.* 3. Dicunt enim, quòd Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. ſine ulla limitatione declarat omnes Sacerdotes poſſe in articulo mortis ab omnibus peccatis, & cenſuris abſolvere, & per conſequens omnes facit æquales: Verùm hæc ſententia, licèt ſit probabilis, tamen videtur probabilior oppoſita cum Laym. *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 12. *num.* 14. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 7. *pun.* 1. *num.* 10. *verſ. hoc tamen*, Cardin. de Lugo *diſp.* 18. *de pœnit. ſect.* 2. *num.* 24. Cabrin. *de caſ. reſer. par.* 1. *reſ.* 75 & pluribus aliis penès ipſos, & ratio ſuadet, nam aliquid quando conceditur urgente neceſſitate, conceſſio durat ſolùm dum urget neceſſitas, ſed præſente Parocho, vel alio Sacerdote approbato ad confeſſiones excipiendas, nulla adeſt neceſſitas, ergò neceſſitas in dicto caſu non urget, cum abſolutio dari poſſit à proprio Parocho, vel Confeſſario, & conſequenter non eſt extendenda extraordinaria facultas ad ſimplicem Sacerdotem præſente Parocho, vel approbato; Aliæ rationes videri poſſunt apud citatos Authores, & præſertim Cabrin. *loco cit.* quæ certò concludunt: & quidem in praxi ita eſt tenendum, nam ut benè advertit Cardenas *in Criſi Theol. diſp.* 2. *qu.* 6. *num.* 9. *in fin.* ex duobus mediis, præſertim in articulo mortis, certius eligendum eſt. Ad quod conducit eruditio inſignis, quam affert Nicolius *in lucubrationibus par.* 2. *lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 43. §. *Verùm tamē* Et per decretum Sac. Congreg. quod ſe vidiſſe teſtatur in libro annotationum b. m. Cardinalis Caraffæ. Decretum verò eſt tenoris ſequentis: *Cuſtoditum ſemper fuit &c. Congregatio cenſuit, Sacerdotem alioqui idoneum, non tamen ad àudiendas Confeſſiones approbatum juxta cap.* 15. *ſeſſ.* 23. *non poſſe validè à peccatis mortalibus abſolvere*

vere

vere pænitentem in articulo mortis conſtitutum, ubi citra mortis periculum haberi poteſt copia Sacerdotis approbati: & longe id minus, ſi ipſe Parochus præſens id prohibeat, paratuſque ſit infirmi Confeſſionem audire, illumque abſolvere, nec ulla ſubſit cauſa Parochum ipſum recuſandi. Vide alia ibi notatu digniſſima.

Quær. An liceat Baptiſmum infanti proximè morituro miniſtrare, ſi ex illa miniſtratione cognoſcatur ei mortem accelerandam eſſe? Et an ſi moriatur infans, ipſe Baptizans irregularis remaneat?

Reſp. Non ſolùm hoc eſt licitum, ſed etiam omninò illum baptizare tenemur, ne abſque Baptiſmo moriatur, quia non per ſe, ſed per accidens ex tali actione mors ſequeretur infanti, aliàs morituro: Immò nunquam debet omitti Baptiſmus propter periculum infantis morituri, dummodò tamen in adminiſtrando Baptiſmo omnis diligentia humano modo poſſibili adhibeatur, cum hoc non ſit directè occidere infantem, ſed indirectè, permittendo ſcilicèt vitæ detrimentum, quod aliqua ratione proveniet ex actione bona, nempè ex Baptiſmo, & rectè quidem poteſt quis exponere vitam manifeſto vitæ diſcrimini, propter maximum bonum ſpirituale; unde cum ex Baptiſmo pendeat in dicto caſu ſalus æterna infantis, licitè permitti poteſt ejus vitæ temporalis detrimentum, ac proinde ſequitur Baptizantem in caſu noſtro, nullam incurrere irregularitatem, quamvis reverà ſequeretur infantis mortis acceleratio. Ità firmat Diana *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 8. *& par.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 20. *verſ. Sed ut verum fatear*, in quibus locis plura videri poſſunt circa hanc quæſtionem, & etiam plures Doctores, qui de hac re perdoctè agunt. Præterea itidem vide ea, quæ dico *in tit.* 227. *de valid. Sac. Bapt. in reſp. ad Inter* 3. quæ ſanè valde faciunt ad propoſitum in ſupradicto caſu, & aliis ſimilibus, qui ſolent, aut contingere equidem poſſunt ubique.

TITULUS CXLVII.

De Mutilatione membrorum.

Vide tit. de Eccl. Immun. Int. 18. 20. 24. 32. 33. *tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 27. 31. *tit. de Excomm. ob Cleric. perc. Int.* 21. *tit. de Irreg. Int.* 10. 11. 14. *tit. de Oper. Inter. ult.*

1330 INter. 1. Si Cajus præcipiat Titio, ut ſibi præcidat digitū, & niſi id faciat, vult ei ſecare collum, & interficere, poteſtne Titius ſine peccato mortali ſibi abſcindere digitum?

Reſp. Hoc facere poſſe ſine culpa, probabilius videtur mihi, quia tunc utiliter gerit negotium ſui corporis, & facit ad május vitandum malum; Favet Tolet. *l.* 5. *cap.* 6. *ſub num.* 4. Vide Inter. ſequentem.

1331 Inter. 2. Si Judex, vel Tyrannus minatur occidere Sejum, niſi amputet ſibi membrum, poteſtne ſine peccato ipſe Sejus ſibi membrum amputare ob metum mortis?

Reſp. Dico, quòd ſic, nec peccat, & ratio eſt quia partem periculo exponit, ut totum ſervet, & utiliter agit negotium totius corporis, cum homo plus diligat ſe, quàm ſui partem, undè quia majus bonum præfert minori, ideò non peccat. Ita docet Toletus *lib.* 5. *cap.* 6. Em. Sà *verb. homicidium num.* 24. Leſſius, & Filiucius, quos refert & ſequitur Bonac. *de Reſtitut. dſp.* 2. *qu. ult. ſect.* 1. *pun.* 6. *num.* 4. Diana *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 32. §. *Et tandem*, vide quod dixi ad Inter. antecedentem.

1332 Inter. 3. Cauſa infirmitatis corporalis, ex medici conſilio, poteſtne aliquis ſine peccato ſibi membrum aliquod abſcindere?

Reſp. Maximè, quia in hoc nullum peccatum committitur. Tamen non tenetur, ut docet Em. Sà *verb. Vita*

ſub

*ſub n.*1.VideDian.*par.* 5.*tr.* 4.*reſ.* 32.

1333 Inter. 4. Pro ſalute Spirituali Animæ, utpotè ad repellendas tentationes carnales, eſtne licitum ſeipſum caſtrare, vel propter humilitatem, vel reverentiam, ſibi digitum præſcindere, ut fecit Sanctus Marcus, ne fieret Sacerdos?

Reſp. Nunquam hoc eſt licitum, nec fieri poteſt ſine gravi peccato, niſi Spiritus Sancti motu fieret, ut fecit S. Marcus, non Evangeliſta, ſed Anachoreta, ut dicit Baronius ad annot. 45. ſibi digitum abſcindendo, ne fieret Sacerdos, & Origenes ſe caſtravit, ſed minus rectè fecit, nam tentationes carnis multis modis poſſunt repelli, & ſuperari. Vide Sylv. *verb. Homicid. num.* 4. *Et ad Inter.* 2. *tituli* 60. *de defenſ. pudic.*

1334 Inter. 5. Peccatne mortaliter Pater, qui conſentiente filio, facit illum caſtrare, ut voce, & cantu Eccleſiæ inſerviat?

Reſp. Solonius *in* 2.2.*tom.* 1. *q.*65. *art.*1. *cont.*2. quem refert Diana *par.*3. *tr.* 5. *reſ.* 38. *&* *par.* 6. *tr.* 6. *reſ.* 35. §. *Sed quia* dicit quod Pater non peccat in dicto caſu: Tamen oppoſitum puto verius cum Diana *locis citat.* & aliis apud ipſum, & ratio eſt, ut ait Diana, quia talis caſtratio eſt intrinſecè mala, cum nemo ſit Dominus membrorum ſuorum, nec ſunt facienda mala, ut eveniant bona; alias rationes aſſignat ipſe, ad quem me remitto, ut ſolitam brevitatem amplectar; Vide Dianam *par.*6. *tr.*8. *reſ.*36. ubi fortioribus terminis id probat. & etiam *in tit.* 73. *de Epiſ. &c. Inter.* 31.

TITULUS CXLVIII.

De Mutuo.

Vide tit. de Deb. ex contr. Int. 2. *tit. de Diff. Inter.* 24. *tit. de Jur. Int.* 10. *tit. de Reſt. accep. Int.* 2. *tit. de Reſt. Da. Int* 18. *tit. de Vendit. &c. Int.* 7. *tit. de Vſura &c. Int.* 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

1335 INter. 1. Qui mutuat aliquid ſpe lucri ex mutuo, committitne uſuram mentalem.

Reſp. Qui ſperat lucrum ex mutuo non principaliter, puta quando etiamſi illud non ſperaret nihilominus mutuaret ex debito conſcientiæ, vel charitatis, vel amicitiæ, non committit uſuram; unde ſi aliquid ei donetur à mutuario, licitè recipere valet. Si verò ſpes lucri ſit principaliter intenta, ſcilicèt quia mutuans ſperat lucrum, itàut ſi non ſperaret, non mutuaret, proculdubio committit uſuram, ſive talis ſpes antecedat mutui dationem, ſive committetur, ſive ſequatur, & quidquid poſt hanc accipitur ultra ſortem, uſura eſt, etiamſi gratis accipiatur. Ità Juribus, & Doctoribus allegatis docet Sylveſt. *verb. Vſura* 1. *ſub num.* 2. Vide Bonac. *De contract. diſp.* 3. *qu.* 3. *punct.* 2. *num.* 5. *& dicenda in tit.* 244. *de uſura, &c. ad Int.* 19.

1336 Inter. 2: Involuiturne peccato uſuræ mentalis, qui non vult mutuare alicui, quem putat, aut novit ingratum, & libenter mutuat illi, quem videt gratum?

Reſp Nullam uſuram committit, quia ſequitur inclinationem, qua actiones noſtras ad eos, qui digni, & grati ſunt dirigimus. Cajet. *in Summ. verb. Vſura mentalis verſ. Adverte quoque*, & rectè dicit, nam nemo tenetur ingrato beneficium facere. Vide *cap. omnis* 5. *qu.* 5.

1337 Inter. 3. Qui mutuat aliquid cũ pacto, ut ille, qui recipit mutuum, conferat Officium, vel Eccleſiaſticũ beneficium, committitne uſuram, vel ſimoniam?

Reſp. Committit uſuram, & ſimoniam ſimul; nam quatenus pro mutuo intendit rem ſpiritualem, quæ de jure pro temporali dari nequit, ſimoniam committit. Quatenus autem ex mutuo

tuo intendit rem, quæ licèt de jure comparari nequeat, tamen eſt pretio æſtimabilis, quia tollit libertatem collatori præſtandi, & ſic uſuram committit. Unde habere tale Officium, vel beneficium eſt uſura, & non ſolùm uſura, ſed etiam ſimonia. Vide Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 25. *cap.* 11. *n.* 190. & *num.* 202. Aragonium *in* 2. 2. *q.* 68. *ar.* 2. *dub.* 2. Rebellium *prr.* 2. *lib.* 8. *quæſt.* 4. *n.* 23. Alia plura vide apud Dianam *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 61. quæ mihi non placent, quia res eſt valdè periculoſa.

TITULUS CXLIX.

De Neotigatione Clericorum, & Rligioſornm.

Vide tit. de Gabel. Int. 2. 3. *tit. de Reg. Int.* 68.

1338 Inter. 1. Clerici poſſuntne licitè aliquid lucrari ex honeſto artificio.

Reſp. Epiſcopus Antonellus *de Regimine Eccleſ. Epiſc. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 14. affirmativè reſpondet, etiamſi id fiat ſine neceſſitate, & hoc probat *ex cap. namque de conſecr. diſt.* 6. *cap. Clericus victum, & cap. ſequen.* 91. *diſt.* Aſſerit inſuper negotiationem differre ab artificio, quia negotiatio tunc dicitur, quando res empta non mutata forma alteri venditur; Artificium verò dicitur, quando prima forma totaliter eſt mutata, & pro ſe refert Genuenſem. Licitum eſt igitur Clerico artificium exercere, ut more Apoſtolico ſuis manibus vivat, ut habetur ex citatis juribus *cap. namque, & cap.* 3. *diſt.* 91. ubi ex Conc. Carthag. Clericus victum, & veſtitum ſibi ex artificio, vel agricultura abſque officii ſui detrimento paret, & *cap.* 4. Clericus quantùlibet verbo Dei eruditus, artificio victum parat. v. g. faciendo aut ſcribendo libros Gloſ. *c.* 3. *diſt.* 91. Turrecremata *in cap. Canonum q.* 14. & *cap. negotiatorem diſt.* 78. *num.* 2. apud Dianam *par.* 11. *tract.* 6. *reſol.* 41. *verſ. Item illa mutuatio. Vide tit.* 180. *de Regul. ad Inter.* 68.

1339 Inter. 2. Eſtne cenſendus negotiatur Clericus qui alienos agros conducit?

Reſp. Affinis negotiationi prohibitæ per ſacros Canones Clericis, & Religioſis eſt conductio. Colligitur *ex cap.* 1. & 3. 21. *quæſt.* 3. *cap.* 2. *ne Clerici, vel monachi.* Vide quæ dicam *in hoc tit. ad Inter.* 8. ſed non quælibet cōductio eſt ipſis prohibita, quià ſi conducunt agros, ut per ſe, ſuoſque Colonos in ſui ſuſtentationem colant, non peccant ſicut ſi proprios agros aliis locent, ut docent Doctores communiter; nam hoc pertinet ad œconomiam Domus. Conductio autem prohibita eſt illa, quæ ſupponit empitionem eo fine conductionis factam, vel eſt conductio ſpectans vēditionem ſubſequentem, ut ſi conducant agros colendos non in ſui ſuſtentationem, ſed ad vendendos fructus, & indè lucrum comparandum. Ità docet Caſtropalaus *tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 4. *pun.* 13. *n.* 4. Dicendum eſt igitur, quod Clericus in ſacris non dicitur negotiator quando conducit agros, aut prædia ad ſuam, ſuorumque ſuſtentationem non lucri cauſa, ſi verò cauſa propriæ ſuſtentationis id non faceret, eſſet negotiator, & incurreret peccatum mortale, & alias pœnas. Vide Cardin. de Lugo *de juſtit. tom.* 2. *diſp.* 26. *ſect.* 2. *num.* 30.

1340 Inter. 3. Eſtne cenſendus negotiator ille Clericus, qui ex portione hæreditatis acquiſivit aliquos boves, quos aliquando poſt culturam ſuorum prædiorū aliis pro mercede locat?

Reſp. Talis Clericus non eſt cenſendus negotiator, quia non emit boves, ut eos aliis locet, ſed ex portione hæreditatis ipſe acquiſivit. Favet Molina *de Juſt. tom.* 2. *tr.* 2. *diſ.* 347. immò Aldanus *in Compend. canon. reſol. lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 3. & Barboſa *in collect. deciſ. verb. Clericus pag.* 178. aſſe-

Digitized by Google

aſſerunt, Sac. Congregationem declaraſſe, quòd Clerici Beneficiarii poſſint operas ſuorum bovum, quos pro laborandis prædiis ſuis patrimonialibus, ſeu beneficialibus, aut ad eos quoquomodo ſpectantibus retinent, dum ſibi vacant, aliis locare pro certa mercede abſque periculo ſpolii, & pœnarum Clericis negotiatoribus impoſitarum, dummodo tot juga bovum retineantur, quot ſunt pro prædiis neceſſaria, vel ſi ultra neceſſitatem boves illis nati ſint ex vaccis, quæ pro neceſſitate culturæ prædiorum, vel alio licito modo retineantur; Unde Diana *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 62. ex hac Sac. Congregationis deciſione, & ex doctrina Molinæ, & Card. de Lugo refert, dictum Clericum non eſſe negotiatorem, ſi illos boves aliis locet. Adi ipſum, & nõ pigebit, Vide etiam Sylveſtrum *verb. Cleric.* 3. *ſub num.* 2.

1341 Inter. 4. Eſtne licitum Clericis in Sacris conſtitutis emere pecora, vel agnos, & in propriis paſcuis alere, & poſtea vendere?

Reſp. Certò eſt eis licitum, quia vendunt fructus ſuorum prædiorum, & agrorum. Molina, Leſſius, Card. de Lugo, quos refert, & ſequitur Buſenbaum *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 8. *ar.* 2. quibus addo Layman. *tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 5. *cap.* 17. §. *ſub num.* 40. Mendo *Epit. Opin. Moral. verb. Negotiatio num.* 1. Lezanam *tom.* 3. *verb. Negotiatio ſub num.* 4. & eſt communis ſententia, quia hæc non eſt propriè negotiatio, ſed potius dicitur artificium, ſeù induſtria, & pertinet ad œconomiam Domus, & ideò videtur Clericis permiſſa, ut probat idem Lezana *loco cit.* maximè ſi aliqua ſubſit juſta cauſa. Et idem dicendum eſt de aliis rebus, quæ emuntur, ſi poſtea mutatæ cariùs vendantur. Vide Sylveſtrum *verb. Clericus* 3. *quæſt.* 2.

1342 Inter. 5. Poſſuntne Clerici, & Religioſi animalia emere, ut in propriis agris, & prædiis nutriant, & cum creverint, & partus excuſſerint, illa, illorumque fructus vendere?

Reſp. De hoc minimè eſt dubitandum; nam negotiari propriè dicitur quando quis emit rem, & eam ſic manentem revendit, qui autem emit oves, Agnos, pullos &c. non emit, & revendit eos ſic manentes, ſaginantur enim ex fructibus ſuorum prædiorum; Item poſſunt licitè mulam, aut jumentum emere, ut cum creverit, & inſervierit carius vendant. Ità Card. de Lugo *loco proximè cit.* Layman *tom.* 1. *lib.* 2. *tr.* 5. *cap.* 17. §. 7. *ſub num.* 40. Mendo *Epit. opin. moral. verb. negotiatio num.* 1. Buſenbaum *lib.* 3. *tract.* 3. *dub.* 8. *art.* 2. & alii apud ipſos. Vide quæ dixi ad Inter. præcedentem.

1343 Inter. 6. Poſſuntne licitè Clerici, vel Religioſi in propria dòmo, vel Monaſterio vendere vinum ex propriis Vineis collectum?

Reſp. Dummodo id faciant per ſuos Famulos, non videtur ipſis prohibitum, quia revera non dicuntur negotiatores, nec ad gabellam tenentur, imò ità praxis obſervat, & conſuetudo hæc, prout vidi, eſt communiter recepta; unde non bene aſſerunt Rebellius *part.* 2. *de contract. lib.* 18. *qu. ult. ſect.* 2. & Layman. *lib.* 3. *trac.* 4. *cap.* 17. §. 7. *num.* 40. non decere, neque conceſſum eſſe, ut in propria domo, vel Monaſterio tabernam conſtituant Clerici, & Regulares ad vendendum vinum ex eorum prædiis collectum, ideò contra illos meritò inſurgit Renatus à Valle apud Dianam *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 26. Alia plura videri poſſunt àpud eundem Dianam *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 52. qui hanc difficultatem reſolvit.

1344 Inter. 7. Poſſuntne Clerici in Terra Baronis aperire tabernas, & vẽdere vinum, & alia ex eorum prædiis collecta?

Reſp. Non obſtante Baronis edicto, aut ſtatuto de non habendis pluribus tabernis, adhuc poſſunt Clerici aperire tabernas, & res ſuas vendere, quia Baro non poteſt eis arctare privile-

privilegium, quod habent de Jure, aliàs incurrit ipſe Baro in pœnas, & cenſuras Bullæ Cœnæ, ut pluribus relatis, & de communi teſtatur Diana *par.* 5. *tract.* 1. *reſ.* 20. *& par.* 1. *tr.* 2. *reſ.* 69. *&* 70. Idem docuerat; Inmò in dictis reſolutionibus probat, poſſe etiam Clericos licitè extrahere bona, vel fructus ex eorũ prædiis collectos, ac etiam pariter introducere in Civitatem, vel locum, vinum, aut aliud extra territorium recollectum, non obſtante ſtatuto hoc prohibente, quia Clerici, & Eccleſiaſtici ſunt omninò exempti, neque includuntur, neque includi poſſunt in tali ſtatuto; nam ſtatutum per quod tolluntur Clericis ea, quæ de jure communi illis competunt, eſt contra Eccleſiaſticam libertatem, ut rectè docent Decius, & Felinus *in cap. Eccleſia S. Mariæ de conſt.* hic *à num.* 69. ille *à num.* 8. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *num.* 271. Megala *in* 3. *par. lib.* 3. *cap.* 10. *quæſt.* 1. *num*, 56. & alii communiter. Vide Dian. *par.* 6. *tr.* 8. *reſ.* 4. *& ſuprà in tit.* 37. *De Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis ad Inter.* 1.

1345 Inter. 8. Qualiter, & quomodo negotiatio, & mercatura eſt prohibita Clericis, & Religioſis?

Reſp. Clericis præſertim in Sacris, Beneficiariis, & Religioſis omnibus, eſt prohibita mercatura, ſeu negotiatio merè lucrativa, quæ conſiſtit in hoc, quod aliquid emitur, ut immutatum carius vendatur, & hæc propriè dicitur negotiatio, quæ quidem ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, ac depoſitionis eſt illis prohibita *in cap.* 2. *Ne Clerici, vel Monaci; cap. Sed nec* eodem titulo *cap. Conſequens* 88. *diſt. & cap. penult.* 91. *diſt.* Et licet hujuſmodi pœnæ non ſint latæ ſententiæ, ſed ferendæ, tamen obligant ſub mortali, ſaltē quando ad eum terminũ pervenerint transgreſſores, ut digni ſint, quod illis applicentur. Sylveſt *verb. Cler.* 3. *quæſt.* 3. ex Archid. & Paludano, Leſſius *de juſt. & jure lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *num.* 4. Naldus *in Sum. verb. Cenſura num.* 4. *& verb. Clericus num.* 36. ex Molina, & aliis. Et de communi teſtatur Lezana *tom.* 3. *verb. Negotiatio ſub num.* 3. Vide Bonac. *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *pun.* 5. *n.* 18. Verum eſt tamen, quod ſi quis ſemel, vel iterum negotiaretur non peccaret mortaliter pro ut ex Cenedo, Graffis, & Salas tenet Diana *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 72. nec diſſentit Lezana *loco cit. ſub nu.* 4. Hoc tamen benè limitat Buſenb. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 2. ſi ſiat materia non gravi.

1346 Inter. 9. Clerici in Sacris conſtituti, vel Religioſi, poſſuntne licitè negotiari per alium, ſcilicèt per interpoſitam perſonam?

Reſp. Probabile quidem eſt dictas pœnas non incurri a prædictis Eccleſiaſticis, non per ſe, & immediatè, ſed per interpoſitas perſonas, ſeu per alios negotiationem exercentibus, ut pluribus relatis tenet Diana, *loco proximè cit. & loco mox citando*, qui teſtatur de communi. Et ratio eſt, quia ſolùm prohibitum eſt, ne per ſe Clerici negotientur, ac proindè negotiando per alios ceſſat ratio prohibitionis. Mihi tamen videtur res valdè periculoſa, cum ſit multis periculis expoſita, ideoque indecens, & non expediens eorum ſtatui, & conſequenter vix excuſarem eos a peccato, niſi aliqua juſta cauſa interveniat. Vide Bonac. *loco ſupra cit. num.* 19. *& ſeq.* Cæterum Religioſo particulari nullo modo id licèt, quia debet vacare Deo, fugere periculum contrà paupertatem, & negotiis Sæcularibus non ſe implicare, ut benè notat Lezana *loco ſupracit. & tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 9. *ſub num.* 39. quidquid in contrarium ſentiat Diana *par.* 9. *tract.* 7. *reſ.* 69. Nam certò puto hujuſmodi mercimonium, & ſtatum Religioſum dedecere, & vix abſque alio peccato fieri poſſe.

TITULUS CL.

De Negotiationis Societate.

Vide tit. de Vſura &c. Inter 8.

1347 INter. 1. In ſocietate negotiationis Titius poſuit centum nummos aureos, & Cajus ſuas operas, poteſtne tuta conſcientia Titius finita ſocietate, & ſalva manente ſorte principali, illam pro ſe totam accipere, vel debet dividi inter illum, & ſocium illa ſors principalis?

Reſp. Opinio vera, & certa docet, totam principalem pecuniam, integram reſtituendam eſſe illi, qui eam poſuit, Ità S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 74. *ar.* 2. *ad* 5. Cajetanus ibid. & *in Sum. verb Mercimonialis Societas.* Sylveſter *verb. Societas* 2. *quæſt.* 3. Sotus, Tabiena. Angelus, & alii plures, quos refert, & ſequitur Azorius 3. *par. lib.* 9. *cap.* 3. *quæſt.* 1. & patet etiam ex Bulla Syxti V. quæ incipit *Deteſtabilis*: ubi habetur, ſortem principalem finita ſocietate, ſi extat, eſſe reddendam ei, qui in cōmune contulit. Imò Baldus *in lib.* 1. *C. pro ſocio num.* 1. afferit, quod quādo contrahitur ſocietas animalium, ut v. g. Unus ponit centum Oves, & alter ſuas operas; ſi ſalvæ manſerint Oues finita ſocietate, non ideò dividuntur Oves; ergo idem faciendum eſt de pecunia, niſi aliter conventum fuerit inter Socios in initio ſocietatis, cum licitè poſſint inter ſe paciſci, ut dividatur pecunia, ac ſi ea communis eſſet. Itaque concludendum eſt in caſu noſtro, poſſe Titium tuta conſcientia finita ſocietate accipere ſuos centùm nummos aureos, & dividere lucrum cum Socio: Si autem lucrum non adſit, Titius accipit centum nummos, quos poſuit, & perdit fructus, quos reportare poterat ex illis, & Cajus ſimiliter ammittit ſuas operas, ex quibus lucrum reportare poterat, & ſic ſunt pares, nec unus eſt majoris, vel minoris conditionis altero, ut inquit idem Azorius *ubi ſupra*, cui ſe ſubſcribit noſter P. Stephanus à S. Gregorio vir quidem doctus, ut ſua opera teſtantur. Vide igitur ipſum *lib.* 2. *de contract. cap.* 77. *num.* 8. 9. *& ſeq.* & Bonac. *tom.* 2. *de contract. diſp.* 3. *q.* 6. *pun.* 3. *num.* 3. 11. *&* 12. & alios penes ipſos, ac etiam Toletum *lib.* 5. *cap.* 41. *per totum.*

1348 Inter. 2. Quotupliciter fieri poteſt Societas animalium, & quæ conditionis neceſſariò ſervandæ ſunt, ut juſtè, ac licitè fiat?

Reſp. Societas animalium licitè fieri poteſt, tam de animalibus majoribus, ut ſunt boves, equi, aſini, & ſimilia animalia, quàm etiam de minoribus, ut ſunt oves, capræ, porci, & hujuſmodi. Societas animalium majorum contrahi ſolet ad quinquennium, & minorum ad triennium dumtaxat; tamen in hoc ſervandus eſt uſus, & conſuetudo communis cujuſcumq; Patriæ, ſed omnino in quacumque ſocietate communes debent eſſe animalium fætus, & lucrum, ſicut & damna, & expenſæ, ideoque Doctores communiter aſſignant tres conditiones neceſſarias ad hoc, ut licitè fiat ſocietas. Prima eſt ut animalia ſint periculo ejus, qui ea ponit in ſocietate, ità, ut ſi caſu fortuito pereant in totum, vel in partem, aut deteriora fiant, damnum ſentire debet ipſemet Animalium Dominus, & alter, qui ponit laborem, & induſtriam, tenetur de dolo, & lata culpa in conſcientia, ſi animalia ſua culpa etiam levi perirent, aut dolo. Sed notandum eſt poſſe periculum in alterum reiici facta gravaminis compenſatione; unde ſi pactum ſit, quod periculum capitalis non ſit commune, non erit licitus contractus in foro animæ, niſi is, qui alleviatur in uno, in alio æquivalenti gravetur, ut benè dicit Sylveſt. *verb. Societas* 2. *quæſt.* 6. & alii. Secunda conditio eſt, ut omninò ſervetur æqualitas inter Socios, tam in impenſis, quàm

quàm in fructibus, & damnis &c. Tertia denique eſt, ut ſocietas in bonum, non autem in malum contrahatur. Item licitum cenſetur pactum, ut lucrum ſit commune, & ſi quæ perierint animalia, eorum pretium Domino ſolvatur, v.g. Si Sejus dat centum Oves Cajo hoc pacto, ut omne lucrum integrè ſervetur uſque ad finem Societatis, eaque finita : ſi quæ interierint illarum, pretium Domino perſolvatur ex ipſo lucro recepto, & poſtea dividantur æqualiter inter Sejum & Cajum tam Oves, quæ remanſerunt, quã luctum ex eis receptum, & ideò eſt licitum tale pactum, quia uterque æquali periculo ſe ſubiicit. Pactum autem, ut Animalia in omni caſu ſalva reſtituantur Domino, & ſolum fructus diuidatur, eſt iniquum, & omninò damnatum; ſed ſi fieret pactum, ut v. g. centum Oves ſemper manuteneantur ex fœtibus ipſarum Ovium, ſi adfuerint, & ſi caſu fortuito oves pereant, Domino pereant, & non Socio, tale pactum quidem non cenſetur injuſtum, & iniquum, tamquam uſurarium, quia quod idem numerus Ovium ſemper ſervetur, proculdubio eſt in commodum, utile, ac beneficium utriuſque Socii. Item valet Societas, ut accipiens animalia, habeat medietatem, ſic, ut quoque ſubjaceat periculo ſortis, & de cætero emolumenta ſint communia, ut docet Florentius Cocq. *de Juſt. & Jure tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 4. Ità circa tale dubium rectè reſolvit Stephanus à S. Gregorio *lib.* 2. *de contract. cap.* 79. *à num.* 1. *uſque ad ſextum incluſivè*, qui etiam alios id afferentes adducit, & per totum illud capitulum tractat de ſocietate animalium; Quare, qui plura ſcire deſiderat, ipſum adeat; & videat etiam Sylveſtrum *verb. Societas* 2. & Bonacinam *tom.* 2. *de contract. diſp.* 3. *qu.* 6. *pun.* 5. *per totum*. Nam ego, ut ſæpè dixi, in his meis lucubrationibus brevitati ſtudeo.

1349 Inter. 3. In ſocietate animaliũ poteſtne quis licitè facere pactum, ut qui animalia ſuſcipit, ſuo ſuſcipiat periculo, ſoluto tamen ei pretio pro tali gravamine?

Reſp. Communior ſententia affirmat tale pactum non eſſe illicitum, & damnatum, ſed juſtum, dummodo tamen juſta mercede interveniat pro gravamine; ſed quia ut plurimum Domini animalium capiunt libenter ſecuritatem, raròque ſoluunt juſtum pretium, ſcilicet æquivalens dicto gravamini; ideoque meritò multi dicunt, tutius eſſe in praxi, ut ab hujuſmodi pacto ſe abſtineant contrahentes ſocietatem; ſiquidem cum difficulter ſolvant Domini juſtum pretium ob tale onus; ſæpè quidem intervenit uſura, ſaltem palliata, & utinam hoc verum non eſſet; Tenacitas enim, & avaritia multum quidem prædom inari ſolet in hominibus, & ideò non immeritò tale pactum tamquam injuſtum non admittitur ab Angelo *verb. Societas* 2. *num.* 3. neque à Sylveſtro *eodem verb. quæſt.* 8. & aliis multis, quorum opinionem in praxi ſecuriorem vocat Azorius 3. *par. lib.* 9. *cap.* 7. *quæſt.* 10. & noſter Stephanus à S. Gregorio *loco proximè cit. num.* 3. quibus libenter me ſubſcribo. Cæterum quia, ut docet Cajetanus *in Sum. verb. Mercimonialis Societas in fine* in qualibet Patria, varia eſt conſuetudo ineundi ſocietatis contractus; ideò quiſque videat id, quod fieri ſolet in ejus Patria à viris probis, & ſecundum morem à viris probis, doctis, & pjis approbatum faciat, & ipſe, ut ſecurus ſit in conſcientia, & ante omnia videre procuret, aut videre faciat Bullam Syxti V. de ſocietatibus ad ſaluum capitale, quæ incipit *Deteſtabilis avaritia &c.*

1350. Inter. 4. Societas illa, quæ vulgo dicitur *à godere* eſtne licita; & in quo caſu illicita erit?

Reſp. Hæc ſocietas dupliciter quidem fieri poteſt, aut aliquis dat alteri per viginti dies v.g. bovem ſuum, & hic cotractus reducitur ad contra-

F 2 tum

ctum innominatum, ſcilicet, do, ut des, quia non poteſt dici locatio, cum tribuatur pecuniaria merces, neque commodatum, cum non fiat ex gratitudine; ergò in contractum innominatum eſt reducendus, atque licitus cenſeri debet, dummodo aliqua pacta illicita non contineant. Aut quis dat rem fructiferam, & alter pecuniam ad fruendum cum pacto, ut liberum ſit utrique, quandocunque rem ſuam, vel pecuniam repetere, & reſtitutionem facere de re, vel pecunia recepta, & in hoc caſu eſt diſſenſio inter DD. an id licitè fieri poſſit: multi enim putant, tale pactum uſuræ ſpeciem, ac figuram continere, quia dicunt eſſe mutuum palliatum, cum tradens pecuniam, recipit lucrum, & utitur re accepta, non computato pretio uſus in ſortem, ideo niſi adſit titulus lucri ceſſantis, vel damni emergentis erit contractus uſurarius, atque mutuum palliatum, conſequenter illicitus. Ità tradunt Navar. *in comment. de Vſur. num.* 97. Em. Sà *verb. Vſura num.* 9. Filliucius *tom.* 1. *tr.* 36. *cap.* 5. *num.* 91. Sotus *de Juſt. lib.* 6. *qu.* 5. *ar.* 1. & fuſiſſimè Azorius 3. *par. lib.* 9. *c.* 20. *per totum,* qui etiam refert contrarium docentes. Verùm quia hic contractus ſæpiſſimè in praxi frequentatur, ideò ego puto, quòd ſi in eo adſint duæ conditiones, licitè fieri poſſit. Prima conditio eſt, ut lucrum ceſſet illi, qui pecuniam tradit. Secunda, ut in tali contractu apponatur pactum retrovendendi in favorem utriuſq: contrahentis, ita ut tradens pecuniam obliget ſe ad rem acceptam reſtituendam ſi quis pecuniam accepit, illam reſtituerit, & econtra, & ſic ſufficit translatio dominii, ut non dicatur uſura palliata; Si autem non adſit titulus lucri ceſſantis, & damni emergentis, & pactum retrovendendi, prædictus contractus erit uſurarius, & mutuum palliatum, ac proinde illicitus. Vide Bonacinam *de contract. diſp.* 3. *q.* 2. *pun.* 7. §. 1. *num.* 7. Dianam *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 28. & 82. Stephanum à S. Gregorio *lib.* 2. *de contract. cap.* 46. *num.* 4. & *cap.* 72. *num.* 9. & alios apud ipſos, à quibus plura haberi poſſunt ad intentum.

TITULUS CLI.

De Novitiis.

Vide tit. de Circumſt. ſec. Interr. 5. *tit. de Prael. Reg. Int.* 13. *tit. de Relig. aliq. partic. ad qu.* 1. *tit. de Val. Abſolut. Inter.* 7.

1351 INter. 1. Quis poteſt abſolvere Religioſos Novitios, ſi in caſus Epiſcopo reſervatos incidant?

Reſp. A quibus Confeſſariis ſint à reſervatis abſolvendi Novitii, controvertitur inter DD. Quidam enim putant illos abſolvendos eſſe, vel ab Ordinario, vel ab habente facultatem ab illo, quia Novitii, veluti ſæculares reputantur in ordine ad ſacramentalem abſolutionem, & pro hac ſententia plures allegat Cabrinus *de Caſ. reſ. par.* 2. *reſ.* 30. quam probabiliorem eſſe exiſtimat. Alii verò arbitrantur poſſe abſolvi à Prælato Monaſterii, vel ab habente facultatem ab eodem Prælato; & ſicut Profeſſi per ſimplicem Confeſſarium à ſuo Prælato deputatum, poſſunt abſolvi a caſibus reſervatis Epiſcopo loci, ita pariter, & Novitii, cum ipſi in favorabilibus ſub nomine Religioſorum comprehédantur, & hanc ſententiam, quam docent Henriquez, Peregrinus, Corduba, & Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 11. cumulati ab eodem Cabrino, puto in praxi amplectendam eſſe; nam omnes Doctores aſſerunt Novitios gaudere favorabilibus Regularium, non autem includi in pœnalibus; ergo &c. Vide ad Inter. 3. tituli 180. *de Regular. ſeù Religioſis,* & *ſeq. Reſp.*

1352 Inter. 2. Novitii gaudentne privi-

privilegiis conceſſis aliis Religioſis profeſſis?

Reſp. Non ſolùm gaudent privilegio tori, & Canonis, ut aliis citatis, docet Lezana *par. 1. tom. 1. cap. 24. num. 4. & tom. 2. verb. Novitii n. 34.* Sed omnia alia privilegia Religionis communicare poſſunt, quia licèt Novitius non ſit verè, & propriè Religioſus; tamen in favorabilibus habetur tanquam Religioſus, & Profeſſus; immò, ut notat Rebuffus apud Dianam infra adducendum: Novitius largo modo dicitur Religioſus, & Monachus; & ità illum vocat Cancellaria Apoſtolica. Vide Dianam *par. 3. tr. 2. reſ. 73.* qui ſic reſolvit contra Rodriquez, & Portellum, & pro ſua tuenda ſententia refert quoddam Privilegium Patribus Societatis Jeſu conceſſum, cujus vigore omnia Societatis privilegia Novitii communicare valent, & aliarum Religionum Novitii illius privilegii per communicationé privilegiorum, participes fiunt, & conſequenter privilegiis conceſſis Religioſis profeſſis omuinò gaudent.

1353 Inter. 3. Religioſus profeſſus loquens cum Novitio ſine licentia Magiſtri, peccatne mortaliter?

Reſp. Peyrinus, quem refert Diana *par. 9. tr. 7. reſ. 1.* aſſerit peccare mortaliter, niſi excuſetur ex parvitate Materiæ: ſed illum optimè refellit idem Diana, & rectè cõncludit, malè facere Profeſſum cum Novitiis loquendo abſque Magiſtri licentia (addo ego ſine urgenti neceſſitate), ſed non peccare mortaliter, ſecluſis tamen aliis circùmſtantiis, & ità puto tenendum.

1354 Inter. 4. Regulares poſſuntne tuta conſcientia expellere Novitium è Religione abſque juſta cauſa?

Reſp. Cardinalis de Lugo *de Juſt. & Jur. tom. 1. diſp. 9. ſect. 3. in Appendice num. 54. & ſeqq.* rectè probat eos peccare contra Juſtitiam, & contra charitatem, idem docet Sanctorus *in Conſt. Minor. ſtat. 2. qu. 4.* cum quibus tenet Diana *par. 7. tr. 11. reſ. 26.* Rationes videri poſſunt apud citatos Auctores; Unde qui negat ſuffragium Novitio idoneo ad profeſſionem peccat mortaliter, ut ex Lugo, Bordono, & Garcias docet idem Diana *par. 10. tr. 13. reſ. 6. in fin.* & tandem Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 24. ſub n. 28.* ſic habet: Hinc graviter peccat Religioſus, qui Novitio, aliàs idoneo, denegat votum, vel ſuffragium ad profeſſionem: Impedit enim illum à conſequutione boni ſpiritualis, quod eſt contra charitatem: Imò Novitius expulſus ſine juſta cauſa, jus habet agendi contra Religionem, quia ſic expellens impedivit opus bonum ipſius, tùm quia indè reſultat, ut plurimum aliqua nota Novitio, quod eſt contra juſtitiam. Et pro ſe citat Cordubam *in Regul. S. Franciſci cap. 2. qu. 1. & 11.* Cajet. *in 2. 2. D. Thomæ qu. ult. art. 4. dub. 3.* & Paſſarellum *in Priv. minor. cap. 43.* Ideò non ſunt audiendi qui oppoſitum docent.

1355 Inter. 5. Quando quis dubitat, an Monaſterio expediat admittere Novitium ad profeſſionem, poteſtne illum tuta conſcientia reprobare?

Reſp. Circa hanc difficultatem pugnant inter ſe duo viri docti, nempè Caramuel, & Bardi: Primus affirmat, ſecundus verò negat, aſſerens non poſſe abſque injuſtitia à Religioſo, ſolùm dubitante de habilitate Novitii, ferri ſuffragium, per quod poſitivè reprobet Novitium illum, ne ad profeſſionem admittatur. Diana *par. 10. tr. 12. reſ. 44.* præfatos Auctores refert, ac utriuſque partis rationes; ipſe tamen noluit ſuam interponere ſententiam: ſed ſolùm aſſerit utramque opinionem eſſe probabilem. In noſtris autem conſtitutionibus *par. 2. cap. 2. num. 11.* ſic decernitur: *In approbandis, vel reprobandis Novitiis bono communi Congregationis potiùs, quàm privato cujuſcunque Novitii conſulendum eſt, Spirituale bonum*

tempo-

temporali omninò præferendum, & in dubio tutior pars eſt eligenda, reprobando, & expellendo eum, de quo timetur, an nocivus ſit Congregationi. Mihi verò dicendum videtur, hoc eſſe intelligendum de dubio practico, non de dubio ſpeculativo dumtaxat, ideoquè neceſſarium puto, inquirendam eſſe veritatem, ut diligenter inveſtigare conditiones, & qualitates illius Novitii, antequam ſuffragium feratur; tùm maximè quia in dubio quilibet præſumitur bonus, & innocens, dummodò contrarium non appareat, præſertim ſi fuerit bonæ notæ, & famæ, ut colligitur *ex l. meritò ff. pro ſocio, l. quoties 18. §. qui dolo ff. de probat. c. unico de ſcrutinio, cap. dudum, & cap. ult. de præſumpt.* apud Marcum Paulum Leonem *in praxi ad litter. M. Pœnitent. fol. mihi 361. verſ. ſi ad id*, vide etiam Lezanam *tom. 2. verb. Reus num. 5. in fine, & tom. 4. conſ. 49. num. 2.* Itaq; maxima prudentia adhibenda eſt, ne temerè proferatur ſententia contra Novitium, de cujus idoneitate ambigitur, utrum Monaſterio expediat illum ad profeſſionem admittere, ob rationes in præcednti reſponſione allatas.

1356 Inter. 6. Poteſtne Epiſcopus admittere ad profeſſionem Monialem Novitiam morti proximam, non expleto probationis anno, & an idem poſſint Prælati Regulares cum ſuis Novitiis?

Reſp. Dico, quòd tàm Epiſcopus, quàm Prælati Regulares licitè id facere poſſunt cum ſuis Novitiis, qui ante peractum tempus novitiatus in articulo mortis ſunt conſtituti, ità namque eis conceſſit B. Pius V. in quodam motu proprio expedito *die 23. Aug.* 1570. & docet Mendo *Epit. opin. mor. verb. Novitius num. 2.* & ante ipſum docuerat Diana *par. 3. tr. 2. reſ. 17. & part. 7. tr. 12. reſ. 3.* in quibus locis alios concordantes refert. Verum eſt tamen, quod talis Novitius, ſeù Novitia debet habere ſexdecim annos completos, juxta diſpoſitionem Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 15. de Regul.* nam B. Pius V. ſolùm diſpenſavit quoad annum probationis, non verò quoad ætatem ſexdecim annorum, ut in Tridentino mandatur, & quia tale privilegium fuit conceſſum pro conſolatione Noviciorum tempore mortis, ideò in omni tempore anni novitiatus, ſi mors acciderit eo, uti poterût, ac etiam poſt tres dies habitus ſuſcepti. Vide *eam reſol. 3. ſupracit. Dianæ*.

TITULUS CLII.

De Oblationibus Fidelium.

1357 Inter. 1. Oblationes, quæ fiunt à Chriſtifidelibus alicui Sacello, Imagini, vel Cappellæ Eccleſiæ ubi eſt Confraternitas, cui cedere debent?

Reſp. Cedunt Rectori, ſeù Parocho, aut Superiori Regulari illius Eccleſię, qui eſt veluti Parochus in ea Eccleſia, non autem pertinent ad Confratres. Ità pluribus relatis, firmat Lezana *tom. 1. par. 2. cap. 15. n. 74. & tom. 2. verb. Oblatio num. 3. & 4.* Vide etiam Emm. Sà *verb. Oblat. n. 1.* Verum eſt tamen, quòd ſi dictæ oblationes factæ ſint à Fidelibus ad certum finem, puta pro Miſſis celebrandis, fabrica, ornatu Altaris, vel Cappellæ: tunc voluntas ipſorum offerentium adimpleri debet. Vide Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. par. 3. alleg. 80. num. 15.* & Lezanam *verb. Oblatio num. 5.* Quandò autẽ non conſtat, quòd dictæ Oblationes factæ ſint ad certum, & determinatum aliquem finem, cedere poſſunt in utilitatem Parochi, vel reſpectivè ipſorum Religioſorum. Cæterùm Epiſcopus, aut alius Ordinarius, non poteſt ſe intromittere in prædictis oblationibus Regularibus factis, prout habetur *ex cap. 1. & cap. Nimis iniqua de exceſſ. Prælat.* ubi Gloſſ. & Doctores communiter, teſte eodem Lezana *loc.*

Digitized by Google

loc. prox. cit. ſub n. 2. Armilla *verb. Eccleſia, num.* 9. *& verb. Oblatio numer.* 2.

1358 Inter. 2. Poſſuntne Regulares recipere triticum, uvas, ligna, & ſimilia, antequam Parochus receperit ſuas primitias?

Reſp. Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Interpetrum, quam refert Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 12. *n.* 41. ad dubium tertium decimum reſpondit, non eſſe id prohibitum Regularibus. Vide etiam Peyrin. *tom.* 1. *privil. Minim. in Conſt.* 7. *B. Pii V. & Barboſam de Offic. Parochi cap.* 12. *à numero* 12.

Quær. An obventiones, & incerta, quæ Parochus, ſeù Curatus acquirit, debeant numerari inter ſcuta centum eidem aſſignata à Sac. Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 13. pro ſua congrua ſuſtentatione?

Reſp. Videtur non eſſe computanda, quia obventiones, atque incerta non attenduntur à lege; neque habentur in conſideratione. Ità Oltradus cum Rota, & aliis, quibus ſubſcribit Gratian. *diſcept.* 399. *num.* 16. & 17. Nam ſcuta centum, quæ aſſignantur Parocho à Trid. ſunt, ac ſervire debent pro ſuſtentatione, & manutentione ejuſdem, ne mendicare, vel aliquam artem minùs decentem, & honeſtam exercere cogatur, ſiquidem venter non patitur dilationem, et ſic dependere non debet ab incertis, voluntariis, atque eventibus fortunę ſubiectis. Gratian. ubi ſup. *num.* 18. *&* 19.

Hæc autem incerta non recipiuntur veluti Beneficii Eccleſiaſtici fructus, ſed veluti ſtipendium, aut eleemoſyna operum perſonalium, ut docent Covar., & Perez *de Anniverſ. & Cappellaniis*, ubi in terminis dicunt, quòd minimè computari debeant inter Beneficii valorem juxtà deciſionem Mohædani 6. *de Præb.* quam ſequitur idē Gratian. *loco cit. num.* 21. *&* 22. *& ſeqq.* Et benè quidem, nam appellatione fructuum, & proventuum, non veniunt fructus incerti (ubi agitur de ſtatuenda congrua) ut ſunt funeralia, oblationes nuptiales, eleemoſynæ, & ſimilia, niſi tales redditus ſoleant quotannis locari pro certa pecunia, ut ait Felinus *in cap. ad aures n.* 14. *de reſcr.* Puto tamen, quòd funeralia locari non poſſint ex decr. Sac. Cong. ideò cautè procedendum, quia annexa juri ſpirituali cenſentur. Nec dicti fructus ſunt computandi in congruam, licèt Papa in eam fructus etiam incertos computari mandaſſet, quia hoc eſſet intelligendum de incertis, quæ habēt quamdam certitudinem, ut ſunt Decimæ frumenti, & vini, aliique fructus incerti ſolùm ratione ſummæ, ſed non de fructibus omninò incertis, ut ſunt funeralia, & eleemoſynæ, &c. Rota *dec.* 230. *par.* 6. *recen.* quia venter, ut dixi ſupra non debet pendere ab incerto, cum non patiatur dilationem. Rota coram Bich. *deciſ.* 255 *à num.* 14. *uſque ad* 17. Nec obſtat, quòd Extravagantes, & Clementinæ cum aliis Summorum Pontificum diſpoſitionibus, quando decimas imponunt pro neceſſitatibus Eccleſiæ occurrentibus dicant eſſe ſolvendas etiam de obventionibus, & incertis, quia ex hoc probatur non eſſe computanda hujuſmodi incerta ex ſui natura inter Beneficii valorem, nam ſi computarentur, opus non eſſet, ut dicerent, eſſe quoque ſolvendas de obventionibus, & incertis, cum ſatis eſſet dicere, ut ex fructibus Beneficii ſolvantur, ſiquidem in Bullis, & diſpoſitionibus Pontificiis nihil debet abūdare. Inſuper confirmatur aſſertum, ex eo quia poteſt dari caſus obventiones, & incerta minimè contingere, vel quia nemo moritur, aut non fiunt Matrimonia, aut Baptiſmata non ſequuntur &c. Et ſic Parochus, ſive Curatus neceſſaria ſuſtentatione careret, necnon cogeretur ex neceſſitate ſtipem mendicando quærere, aut aliquam artem vilem, vel ignominioſam cum dede-

core

core ſtatus Sacerdotalis exercere. Imò ad intentum reſolvunt Riccius, & Barboſ. *in ſuis decis.* quòd ab illis centum certis deduci quoque debeant expenſæ quæ fieri ſolent à Parocho pro cera, ſeu candelis, & pro ſervitio unius Clerici, & Cappellani, quod mihi ſanè valde probabile videtur in gratiam præcipuè illorum Parochorum, qui libenter, ac patienter portant pondus diei, & æſtus, rectèque muneri ſuo ſatisfacere curant.

TITULUS CLIII.

De Occaſionibus.

Vide tit. de Conſuetud. Int. 7. tit. de differ. Inter. 7.

1359 INter. 1. Quid eſt occaſio proxima?

Reſp. Occaſio proxima eſt illa, qua poſita, difficilè peccatum vitatur, quia eſt adeò præſens, quòd poteſt dici potiùs ipſam invenire peccatorem, quàm Peccator ipſam: vel ut docet Tambur. *in Opuſc. lib. 3. cap. 3.* §. 1. & alii apud Card. de Lugo *diſp.* 14. *de Pœn.* *ſ.* 10. *num.* 149. eſt illa, qua nunquam, vel ferè nunquam utitur homo conſideratis circumſtantiis, abſque novo peccato, ut qui detinet Concubinam Domî, raro, vel nunquam deſinet facto, verbo, vel cogitatione peccare. Vide etiam Bonac. *de Matr. q. 4. pu.* 14. *num.* 11. Ego autem dico omnino ſufficere ad hoc, ut aliqua occaſio ſit proxima, quòd ſit talis, ut in ea conſtitutus peccet frequenter, ut etiam docebo in hoc titulo *ad int.* 5.

1360 Inter. 2. Quænam eſt occaſio remota?

Reſp. Eſt illa, qua poſita, facilior eſt evitatio peccati, quia niſi Peccator eam inquirat, raro, vel difficulter committit peccatum; Nam remota non eſt talis, ut dictum eſt de occaſione proxima. Vide Tambur. *loc. cit.* ubi plura ad intentum.

1361 Inter. 3. Ille qui habet occaſionem extrinſecam, & proximam peccandi, poteſtne ſtatim abſolvi, ſi ore proferat ſe dolere, & proponit emendationem?

Reſp. Non eſt abſolvendus, niſi prius eam deſerat, dummodo ſit in ejus poteſtate. Tambur. *loco prox. cit.* §. 3. vide ipſum, & non pigebit; Contraria ſententia damnata fuit ab Innocentio XI. anno 1679. & eſt propoſitio 61. Vide etiam Dian. *par.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 107. §. *Verum.*

1362 Inter. 4. Si filius familias ſolitus ſit peccare cum famula Domus ſuæ, vel ſi Frater turpia habet cum ſorore, poſſuntne iſti tales in confeſſione abſolvi?

Reſp. Maximè, quia cum non ſit in libertate dicti filii ſervam expellere, neque fratris ſororem, non dicuntur verſari in occaſione voluntaria electa. Tamen ſunt adhibenda opportuna remedia juxtà prudentiam Confeſſarii, nè iterum relabantur in peccatum, quod ſi non ſe emendent, ſuſpendenda eſt illis abſolutio, aliquo temporis ſpatio, ac demùm omnino deneganda; Sed vide Bonac. *de Matrim. qu.* 4. *pun.* 14. *num.* 13.

1363 Inter. 5. Poteſtne Confeſſarius abſolvere Pœnitentem, qui ex rationabili, & juſta cauſa Domi retinet perſonam, cum qua ſolùm bis, ter, vel quater in anno peccavit?

Reſp. Si dictus Pœnitens habet ſufficientem dolorem, firmum propoſitum non peccandi in futurum, fiduciam auxilio Dei nixam non relabendi, ac denique juſtam, & rationabilem cauſam ipſam perſonam è Domo ſua non expellendi, poteſt, ac debet à Cõfeſſario abſolvi, quia nõ dicitur eſſe in occaſ. prox. peccandi, cũ occaſio proxima illa ſit, quæ ſẽper, vel ferè ſẽper, aut ſaltẽ frequẽter ad peccatũ inducit; ergo dicẽd. eſt, quòd ſit in occaſione remota, quæ ſuaptè natura non eſt peccatum, vel ſaltèm peccatum lethale non eſt; Unde ſi ſolùm bis,

ter,

ter, vel quater per integrum anni circulum ſimul peccant, eſt per accidens, cum non proveniat ab occaſione proxima, quæ non adeſt, ſed à propria fragilitate, & ob humanæ voluntatis mutabilitatem: Et ità expreſsè Navar. *in Man. cap. 3. num. 15. & num. 21. verſ. Et tamen quæſtio*, Graſſius *lib. 1. dec. aur. cap. 28. num. 13.* Bonac. *de Matrim. qu. 4. pun. 14. num. 12. & 17.* Cabrin. *de caſ. reſ. par. 2. caſ. 5. pag. 118. propè finem*, nec diſſentire videtur Layman *l. 5. tr. 6. cap. 4. num. 9.* Em. Sà *verb. Abſolutio num. 12.* ubi ſic ait: Abſolvi poteſt, qui ex rationabili, & juſta cauſa non vult omittere peccandi occaſionem, modo proponat firmiter non peccare, etiamſi aliquoties ſit relapſus; hoc tamen intelligi debet de occaſione non proxima, ſed remota, ut in caſu, de quo agitur: Nam proxima occaſio peccandi eſt fugienda, etiam quando aliqua cauſa utilis; aut honeſta non fugiendi occurrit: Nèc aliter affirmari poteſt poſt Decretum Innoc. XI. in quo 62. propoſitio affirmativa fuit damnata. Cæterùm ipſe tali Pœnitenti, hoc unum conſiderandum proponerem, ſcilicèt, quòd Mus iu pera, ignis in ſinu, ſerpens in gremio, malè ſuos remunerant hoſpites, ut habetur *ex cap. Si Judæos 13. de Judeis, &c. cum Eccleſias 9. Idem præcipit Dominus 13. qu. 1.*

1364 Inter. 6. Pecatne mortaliter, qui ſe exponit periculo peccandi mortaliter?

Reſp. Non ſolùm qui ſe exponit formali, & proximo peccandi periculo, peccat mortaliter, ſed etiam, qui ſe exponit probabili peccandi periculo; Unde v. g. qui cognoſcit ſe ſæpè labi in mortale, cum ſolùm alloquitur fœminas, tamen vult, confidens ſuis viribus alloqui, mortaliter peccat, & quàvis confidet divinæ gratiæ; cum hoc ſit Deum tentare; nam non debet quis hujuſmodi periculis ſe exponere, quia eſt maxima præſumptio, ut rectè docet Tolet. *lib. 8. c. 22. num. 2.* Navar. *in man. cap. 14. num. 2.* Em. Sà *verb. Peccatum num. 6.* & alii, quos ſequitur Dian. *par. 7. tract. 11. reſ. 29.* contra Caramuelem, qui ſuis ſubtilitatibus, aliter conatur probare: ſecùs verò dicendum eſt, quando quis non haberet talem notitiam periculi, cui ſe exponit. Vide quæſo *in tit. 160. de Parochis, ad Inter. 12.* & nota quod amans periculum, peribit in illo; ſapiens timet, & declinat à malo; ſtultus autem tranſilit, & confidit, ut dicitur *c. 14. Proverbior.* Sed vide præſertim Suarez. *de charitate diſp. 9. ſec. 2. num 8.* Diana *par. 3. tract. 5. reſol. 3. verſ. Verùm.* Tandem ſi ſcire deſideras, quænam differentia ſit inter occaſionem proximam, & periculum peccandi, vide ea, quæ dixi *in tit. 70. de Differentiis, ad Inter. 19. Ita etiam vide in tit. 36. de circumſtantiis Peccatorum, ad Inter. 30.*

1365 Inter. 7. Si Mulier in Choreis publicis ſciat ſe ab alio libidinosè tãgi, vel cum prava intentione &c. peccatne ſi non ſe retrahit, & contactum non impedit?

Reſp. Quando tactus non ſunt impudici, & extrinſecus cenſentur honeſti, & fiunt ſecundum conſuetudinem Patriæ, & in aliorum præſentia, aut in Publico, dico, quod Mulier non conſentiens, non peccat mortaliter ſe non retrahendo, & illum non repellendo à contactu; Ita docet Bonac. *de Matrim. quæſt. 4. pun. 10. n. 10.* Diana *par. 3. tract. 5. reſ. 22.* cum Filliucio, & aliis penes ipſos, & innuere videtur etiam Laym. *lib. 3. ſect. 4. num. 16. & lib. 1. tract. 3. cap. 5. n. 6.* idem docet Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 154. *ar. 6.* ſi mulier non poſſit ſine ſcandolo ſe retrahere.

1366 Inter. 8. Mulier ſi ſciat ſe concupiſcendam ab aliquo laſcivè dum ad Miſſæ Sacrum accedit, teneturne Miſſam prætermittere, vel Miſſam audire?

Reſp. Multi multa dicunt, ut videre licet apud Bonac. *de Sac. diſp. 4.*

quæſt. ult. pun. ult. num. 15. & apud Dianã *par.* 5. *tract.* 7. *reſ.* 22. Em. Sà *verb. miſſ. auditio num.* 3. putat poſſe relinquere ſacrum, ſed non teneri: Alii verò reſpondent per aliquod tẽpus in tali caſu abſtinendum eſſe à ſacro; & tandèm non deſunt qui dicunt interdum poſſe hoc tali fœminæ licere, imò, & eſſe neceſſarium. Mihi tamen magis placet id quod docet Navar. *in man. quæſt.* 14. *num.* 30. Scilicet teneri Miſſam audire, quia hoc damnum, & ſcandalum per accidens ſequitur, de quo non eſt curandum, nec ſunt prætermittenda præcepta propter ſcandalum paſſivum, maximè cum unuſquiſque habeat jus ad faciendum, quæ non ſolùm ſunt bona, ſed etiam obligatoria, præſertim ſub gravi præcepto. Vide Caſtropalao *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 1. *pun* 16. *num.* 4. Azor. *par.* 2. *lib.* 12. *cap.* 18. *quæſt.* 12. & alios apud Dianam *ubi ſup.* Favet etiam Cajet. 2. 2. *quæſt.* 154. *ar.* 4. & alii, quos citat, & ſequitur Bonac. *loc. cit. & de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 9. *num.* 17. ubi plura ad intentum, & concordat Caſſianus à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Audient* §. 4. *num.* 52.

1367 Inter. 9. Peccantne Parẽtes, aut Domini, qui præbent Filiis, aut Famulis occaſionem furandi, ut eorum fidelitatem experiantur?

Reſp. Quidam dicunt, non licere alicui præbere occaſionem peccandi, ut furandi, adulterandi &c. propter aliquem bonum finem; nempè ut in tali crimine deprehenſus, reſipiſcat, quia hæc non eſt actio indifferens, ſed potiùs opus intrinſecè malum, & cooperatio ad peccatum, quæ ſine peccato fieri non poteſt. Ita docent Em. Sà *verb. peccatum num.* 7. Sanchez *to.* 3. *de Matrimonio lib.* 10. *diſp.* 12. *n.* 13. Bonacina *tom.* 2. *de peccat. diſp.* 2. *q.* 4. *punct.* 2. §. *unico num.* 31. & alii; ſed ſolum putant non peccare Parentes, vel Heros, qui filiis, aut Famulis non auferunt occaſionem furandi, cum eos ad furandum propenſos norunt, ut ſic in furto deprehenſi, emendentur, quia in hoc caſu non faciunt, vel petunt actionem aliquam intrinſecè malam, ſed juſta de cauſa negativè ſe habent permittentes furtum ob majus bonum. Immò excuſant Maritum etiam, qui cum habeat de Uxoris adulterio ſuſpicionem, aſſumit ſecum teſtes idoneos ad obſervandum, num adulteretur, ut eam poſſit de adulterio convincere, & facere cum ea divortium; ſed apponere directè Uxori occaſionem, ut adulteretur, aut Filiis, vel Famulis, ut furentur, nullo modo putant licere. Alii verò oppoſitum ſuſtinent, ut Petrus Navarra *de Reſt. lib.* 3. *cap. ult. in nova editione num.* 104. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 5. Sancius *in ſelectis diſp.* 35. *num.* 12. quos refert, nec impugnat Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 18. Et ratio horum eſt, quia id non eſt formaliter, cooperari ad peccatum, ſed materiam, & occaſionem peccandi miniſtrando illud permittere, non quod permittes intendat malum peccati fieri, ſed potius aliquod malum impedire; Sed prima ſententia, mihi videtur congruere damnationi propoſiticnis 63. factæ ab Innoc. XI. quæ propoſitio videtur habere aliquam affinitatem cum hac ſecunda ſententia.

TITULUS CLIV.

De Operibus.

Vide tit. de Differ. Inter. 4. *tit. de Ebriet. Inter.* 4. *tit. de Eleem. Inter.* 14. 15. *tit. de Feſt. Dieb. Inter.* 3. *& ſeqq. tit. de Jejun. Inter.* 19. 20. 21. 21. 23. *tit. de Jubil.* 12. 13. *tit. de Negot. Soc. Inter.* 1. *tit. de Prel. Reg. Inter.* 27. *tit. de Satisf. pœn. Inter.* 7. 8. 11. *tit. de Superſt. Inter.* 7. *tit. de Uſur. & c Inter.* 15.

1368 INner. 1. Quænam ſunt opera illa, quæ dicuntur mortua, & quæ ſunt mortificata?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Opera mortua ſunt ea, quæ fiunt in peccato mortali, mortificata verò, quæ fiunt in gratia ſed poſtea per peccatum mortale mortificata remanent, ſed per pœnitentiam, & adveniente gratia reviviſcunt,

1369 Inter. 2. Advocatus, Medicus, vel Chirurgus, peccantne mortaliter non ſubveniendo indigenti opera ſua?

Reſp. Azorius, Vaſquez, Filliucius, Corduba, & alii, quos dat, & ſequitur Bonac. *de Præcep. Decal. diſp. 3. quæſt. 4. pun. 6. num. 9.* affirmativè reſpondent, & de hoc ego non dubito. Vide quæ dicam *infrà in tit. 243. de Uſura, & Uſurariis, ad Int. 14.*

1370 Inter. 3. Peccatne mortaliter famulus, qui ne malè tractetur à Domino ſuo, vel è Domo eiiciatur ipſum ſcienter adjuvat aſcendere per feneſtras, ut rem habeat cum Fœmina?

Reſp. Si famulus timeat malè tractari, aut è Domo Heri expelli, ſine peccato poſſe pedem Domini ſui ſuſtinere, vel ſcalam apponere ipſumque adjuvare &c. (nam facit actionem indifferentem, nec cooperatur ad malum, ſed tantum illud aliquo modo permittit, ad grave damnum ſibi imminens avertendum, docet Caſtropal. *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. pun. 11. num. 5.* & ante ipſum docuit Nav. *lib. 5. conſ. 5. in 2. edit. conſ. 5. de pæn. circ. fin.* Merolla, & alii, quibus aſtipulatur Diana *par. 5. tract. 7. reſ. 28.* Verùm cum talis opinio ſit ſcandaloſa, & improbabilis, atque in praxi perniciosa, jure meritò ipſam condemnavit Innocen. XI. in ſuo Decreto edito anno 1679. & eſt 51. propoſitio ab eodem Pontifice profligata; nam talis Famulus certò mortaliter peccat, quia cooperatur ad peccatum Heri, quod eſt intrinſecè malum &, ubi culpa, & peccatum eſt, potiùs vitam perire tenemur permittere, quam peccatum admittere.

1371 Inter. 4. Peccatne mortaliter, qui cooperatur ad minus malum, ut evitet majus, ut ſi volenti alterum occidere, præſtet opem ad ſecandum brachium, vel pedem?

Reſp. Certò mortaliter peccat, quia cooperatur actioni intrinſecè malæ, ut optimè docent Suarez, Filliuc. Sanchez, Rebell. & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Irregul. diſp. 7. quæſt. 4. pun. 8. num. 19. in fin.* & eſt communis ſententia: Vide etiam Dianam *par. 5. tract. 7. reſ. 19. circa fin.* qui idem docet ſatis quidem doctè.

TITULUS CLV.

De Opinione.

Vide tit. de Confeſſor. Inter. 8. tit. de Dub. Inter. 12. 13.

1372 Inter. 1. Quid eſt opinio?

Reſp. Eſt cognitio motivum habens intrinſecum, qua judicamus aliquid ità eſſe, quod non videmus, nec firmiter credimus, cum formidine, ne contrarium ſit verum: Ità Nicol. *in Floſ. in verb. Opinio num. 1.* vel ut ait Em. Sà *eodem verb.* Opinio, eſt aſſenſus cum formidine de oppoſito: Vide Bonac. *de Peccatis diſp. 2. qu. 4. pun. 6. num. 4.* ubi docet quid ſit opinio, quæ differt à dubio, quia in opinione eſt aſſenſus, qui deeſt in dubio.

Hic autem notandum puto, quòd licèt ego *in tit. 73. de dub. ad Int. 12.* dixerim non peccare qui in dubio ex duabus opinionibus contrariis unam eligit, & ſecundùm illam operatur, dum certò credat opinionem ab eo electam eſſe veram, tamen ſenſus talis meæ Reſponſionis non eſt quem forte aliqui prætendunt, ſed juxtà dicenda *ad Int. 6. hujus tituli*, quod quidem manifeſtè apparet in ſenſu germano limitationis à me ibidem datæ, dum dixi, credendam eſſe opinionem electam (utique non purè arbitrariè) eſſe certò veram, quod ſine ratione, ſaltem ad veritatem proximius accedente eſſe non poteſt. Præterquàm

G 2 quod

quod dubium propriè verſatur, cum dubium eſt, vel purè negativum, vel ſi ſit poſitivum eſt inter opiniones æquales, (ſi tamen iſtæ reperiri poſſent) quo caſu licet ſequi utramque dummodo dubium practicè deponatur, ſeù dummodo non ſit circa formale prudentiæ, licitum ſcilicet, & illicitum; ſed circa materiale prudentiæ, quod eſt dubitare purè ſpeculativè, an ſcilicet caſus ſit necne ſub lege comprehenſus; Quandoquidem tunc homo eſt in ſtatu obiectivæ indifferentiæ, & hæc fuit olim opinio, ſeù ſententia P. Binii piiſſimi viri ex Inclita Societate Jeſu, & P. Paſſerini Præclariſſimi Sacri Ordinis S. Dominici. Unde cenſurari non debet Reſponſio ibi à me data prout jacet: Quinimmò ad non aperiendam viam laxitatibus, afferui bona ratione ex animo dubietatem expellendam: At bona ratio in controverſia opinionum æquè probabilium eſt, quod neutra in pondere ullo, ſeù attentis omnibus, ſuperet aliam; Et in dubio negativo, quod nihil penitùs conſtet; quod eſt certè eſſe permiſſum, ſeù nulla lege, aut dictamine prohiberi, aut conſtare eſſe permiſſum.

1373 Inter. 2. Opinio eſtne idem ac ſententia?

Reſp. Dico quòd ſit idem, & ità habetur *ex Lege à Proconſulibus* 19. *C. de appell. ubi Gloſſ. in verb. Opinionis, & leg. Sciendum 6. ubi Gloſſ. in verbo Opinionem ff. de appell. recip.*

1374 Inter. 3. Quænam eſt opinio probabilis?

Reſp. Eſt illa, quæ innititur rationi, ſeù fundamento alicujus momenti, ità tamen, ut pro oppoſita parte nihil convincens ſit. Lezana *tom.* 2. *verb. Opinio num.* 2. cum Sanchez, & Portello *in dub. Regul. verb. Opinio eligenda num.* 1. Vide Bonacin. *de pecc. diſp.* 2. *qu.* 4. *pun.* 9. *num.* 1.

1375 Inter. 4. Quænam eſt opinio probabilior?

Reſp. Opinio probabilior illa cenſetur, quæ pluribus fundamentis, ſeù melioribus rationibus innititur. Lezana *loco ſup. cit.* & alii communiter.

1376 Inter. 5. Eſtne idem opinio probabilis, quod tuta, & probabilior, quod tutior?

Reſp. Non eſt idem, quia opinio tuta eſt illa, quæ aliquo modo vitat peccatum; tutior verò, ſeù ſecurior eſt ea quæ magis, & ſecuriùs vitat illud. Sed probabilis, vel probabilior dicitur reſpectu fundamentorum, quibus innititur; tuta, vel tutior, ex eo quod peccatum vitet, vel aliquo modo, vel ſecurius, ut ſupra dixi. Lezana ubi ſupra ex Sanchez, & Bordono, & in hoc omnes Doctores conveniunt.

1377 Inter. 6. In concurſu opinionum quarum una eſt probabilis, & altera probabilior, poteſtne quis tuta conſcientia ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & magis tuta in praxi?

Reſp. Affirmat Sanchez *in Summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 14. Layman *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 7. Bonacina *de Peccatis diſp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 9. *num.* 4. *& ſeqq.* Lezana *tom.* 2. *verbo Opinio num.* 5. Diana *par.* 2. *tr.* 13. *reſ.* 1. *& par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 4. Cardenas, Eſparſa, Mendo, & alii plures poſt ipſos. Tamen diſcedendum non eſt à negativa Sententia, & probo: Qui enim agit ex opinione probabili faventе libertati in concurſu probabilioris faventis legi, & rectæ rationi, non eſt certus moraliter in operando, ſiquidem operatur cum formidine, morali de oppoſito, atq; incertitudine, majorique pericul o violandæ Legis Divinæ, quod eſt quidem proprium opinionis quamvis probabilis in concurſu probabilioris, quæ utique eſt melioribus rationibus, & fundamentis fulfulta, quapropter excludit omnem moralem in operante formidiné, quare ſi ita ab eo cognoſcatur, & nihilominus vult ipſam opinionem probabilem ſequi, relicta probabiliori, &

ri, & tutiori, quæ periculo peccandi caret; jam peccat, quia nunquam licet cum periculo de peccato operari, ut omnes fatentur. Dicendum eſt igitur, quod qui ſequitur opinionem certò probabilem, prudenter agat, modò tamen alia probabilior illi non appareat; Unde Clemens V. *in Clem. de Summ. Trinit.* §. *fin.* ſic inquit Opinionem ſecundam tanquam probabiliorè ſequendam eſſe duximus, & rectè quidem, nam probabilior concurrens ſupponitur apparere talis operanti, ſed quod apparet probabilius, judicatur verum, ergò nequit operans judicare verum oppoſitum contradictorium, & conſequenter probabilior eſt ſectanda, ut vera. Ità docent D. Antoninus *par.* 1 *tit.* 3. *c.* 10. §. 10. *reg.* 4. Sylveſt. Cajet. Corradus, Sotus, & alii, quos refert Diana *loco cit.* Fagnan. *de opinio. prob. & in c. Capellanus de feriis lib.* 2. *Decret. num.* 3. *& in c. ne innitaris de Conſtit. num.* 380. P. Sim. à S. Cruce *in ſuo Memor. Theolog. tom.* 1. *tit. de act. hum. quæſito* 21. qui licèt parum dicat, argumentum tamen mihi indiſſolubile format; & latè, ac luculenter ſcribit Pater Gonzalez Almæ Societatis Jeſu Generalis meritiſſimus, atque inclytum decus, *de rect. uſu opin. diſſer.* 1. *num.* 41. *& ſeqq. & diſſer.* 2. *&* 3. *per tot.* Comitolus, Cand. Filal. & Hyacinthus Parpara *in Indice copioſior.* præſertim in 3. parte 6. 6. *&* 7. & in ſcholaſtica veritatis Lùcerna *q.* 6. 7. 8. & 9. ubi rem perdoctè tractat, & Adverſiorum dicta ſatis retundit. Alias rationes, & Authores libens prætereo: Ego enim brevitati ſtudeo.

1378 Inter. 7. Confeſſarius poteſtne ſequi Opinionem probabilem pœnitentis, contra ſuam, quæ videtur ſibi probabilior?

Reſp. Quando opiniones ſunt verè probabiles, & ſuos proprios Aſſertores habent, Confeſſarius tenetur ſequi opinionè, Pœnit. eumq; abſolvere debet. Victoria *in Sum. de Confeſſ. ſub n.* 164. Emm. Sà *verb. Abſolutio num.* 15. & fortius probat Diana *par.* 2. *tr act.* 13. *reſ.* 11. qui teſtatur de communi faveт etiam Tolet. *lib.* 3. *c.* 20. *ſub num.* 2. *verſ. notandum*. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 7. §. 1. *ſub num.* 26. *&* 27. Excipe tamen dum agitur de valore Sacramenti, aut de damno tertii. Sed vide, quæ dixi *in tit.* 73. *De Dubiis ad Int.* 2. *& quæ dicam in hoc titulo de opinione ad duas Int. ſeqq.*

1379 Inter. 8. Teneturne Confeſſarius ſequi opinionem probabilem pœnitentis contra ſuam probabiliorem?

Reſp. Docui in reſp. ad Int. antecedentè immediatè Confeſſariū teneri in hoc caſu ſequi opinionem pœnitentis, niſi tamen agatur de valore Sacramēti, aut de damno Tertii; Sed jam prius ad Interogat. 6. docui, in concurſu opinionum, quarum una eſt probabilis, & altera probabilior, non poſſe quem tuta conſcientia ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori; Ne igitur videar mihi contradicere, ſic me declaro cum P. Fratre Petro Martyre Petruccio Ord. Prædicatorum in libro, cui titulus, Lucerna Moralis, edito Romæ 1698. à fac. mihi 399. Et dico primo, quando pœnitens bona fide ſuam opinionem probabiliorem judicat, & in ſe verè probabilis eſt, licèt minus, tunc Confeſſarius debet illum abſolvere. Dico 2. Cōfeſſarius inquirere debet, an verè pœnitens, facta ſufficienti diligentia ſecundum qualitatem, & conditionem perſonæ, illā ſententiā bona fide probabiliorem putet. Sed vide Interrogationem proximam ſequentem.

1380 Inter. 9. Debetne Confeſſarius inſtruere pœnitentem de probabiliori ſententia, & ipſum ad illā trahere, vel debet illū relinquere in ſua bona fide?

Reſp. Dico primo cum eodem Petruccio ubi ſupra. Si ex inſtructione iſtā fructus aliquis non ſperetur, tunc non deberet, & multò minus dum potius pœnitens rueret in pejora, ſed relinquendus eſſet in ſua bona fide. Dico 2. non tenetur inſtruere, quando pœ-

pœnitens eſt vir doctus, & in moralibus ſatis inſtructus, itaut prudenter judicare poſſet, illum optimè diſcuſſiſſe utriuſque partis rationes, & Confeſſario conſtat, quod ipſi pœnitenti probabilior apparet ſententia, quam ſequitur. Aliàs enim de hoc ſaltem interrogare debet, quia non eſſet aliter in bona fide. Dico 3. Confeſſarius nõ tenetur, nec debet, quando pœnitens, licèt indoctus, verè bona fide putat probabiliorem, quam ſequitur, vel dicamus veriorem, ſeù abſolutè verã, quia ſcilicet, vel rationis, vel gravis Doctoris auctoritate ad taliter judicãdum inducitur, prudenterque judicat Confeſſarius, quod non de facili ſuis acquieſcet conſiliis; id enim eſſet illum in dubietatem, & peccandi periculum inducere, cum ante bona fide ſecurus incederat. Poterit nihilominus probabiliorem ſententiam proponere, ſed proteſtando ſe ipſum ad opinionem ſequendam non aſtringere, at ſolùm tanquam tutiorem conſulere.

1381 Inter. 10. Poteſtne licitè Epiſcopus aut alius Judex judicare ſecundum probabilem opinionem, communi, & probabiliori relicta?

Reſp. Dico quod non, quia Epiſcopus, aut alius Judex ex officio tenetur reddere unicuique ſuum juxta magis probabilem opinionem, nec poteſt licitè judicare juxta opinionem minus probabilem, ſivè probabilitas ſit circa jus, ſivè circa factum, ſed tenetur ad id quod probabilius eſt, nam in diverſitate opinionum, quorum una eſt probabilis, & altera probabilior, ſequenda eſt probabilior, ſeu melioribus rationibus fulcita, ut dixi ad Interrogationem 6. cum Fagnano *in cap. Capellanus de feriis lib. 2. decreto n. 3.* & aliis ibidem congeſtis. Imò Rota Romana nõ movetur ex numero Doctorum, ſed ex rationum momentis, ut dicitur *in deciſ. 17. num. 4. par. 9. recent.* teſte eodem Fagnano *loco citat.* Undè in caſu propoſito non eſt audiẽdus Liara *par. 2. tr. 13. reſ. 3.* cum Doctoribus ab eo citatis pro affirmativa ſententia, falſum eſt enim aſſerere Judicem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem; Vide 2. propoſitionem reprobatam ab Innoc. XI. anno 2677.

1382 Inter. 11. Poteſtne excuſari Parochus, & alius Sacerdos, qui de ejus licentia excipit Confeſſiones abſque licentia expreſſa Epiſcopi loci, ſi ducti opinione probabili quorumdam Doctorum docentium poſſe Parochum dictam licentiam concedere?

Reſp. Doctus Raynaldus *tom. 1. obſerv. ad cap. 10. Supplem. 1. pag. 140. num. 45.* abſolutè docet, quod non debent excuſari, & in aliquo relevari ob contrarietatem opinionum, ſeù ob opinionem probabilem; nam ut rectè obſervat idem Doctor, hodie nullatenus poteſt ſubſiſtere id quod dicitur de opinione probabili, cum ſit damnata illa propoſitio, quæ aſſerebat, non eſſe illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, ut patet ex Decreto emanato *die 2. Martii 1679.* ſub Innocent. XI. felicis recordationis, & eſt prima propoſitio ibidem reprobata. Ideò caveant Parochi, & Sacerdotes, nec in praxi recedere audeant ab iis, quæ ſupra firmavi circa tale dubium.

TITULUS CLVI.

De Oratorio privato.

Vide tit. de circumſtant. pec. ad quæſ. tit. de Eccleſ. Immun. Inter. 43.

1383 Inter. 1. Poteſtne Epiſcopus extra ſuam Diœceſim cum Altari portatili celebrare per ſe, vel per alium in præſentia ſua?

Repſ. Quod Epiſcopus poſſit dicere ubique Miſſam in ſua Diœceſi cum Altare portatili, ubi receptum eſt Tridentinum, omnes Doctores con-

concedunt, ſed in alia Diœceſi Putant quidam eſſe neceſſariam licentiam Epiſcopi loci. Em. Sà *verb. Epiſcopus n.* 24. Ego verò ſentio cum illis, qui dicunt poſſe abſque alia licentia, quia Epiſcopus celebrando Miſſam in aliena Diœceſi cum Altari portatili in Oratorio privato non exercet juriſdictionem contentioſam, ut patet, ſed voluntariam. Quod autem hæc voluntaria juriſdictio, ſeù potius privilegium perſonale poſsit exerceri in alterius Diœceſi, præter alios, docet Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 19. *num.* 7. Immò Portellus *in Reſppon. Regular. par.* 3. *tom.* 1. *cap.* 20. *num.* 7. rectè probat, non ſolum id, quod dixi, ſed etiam poſſe Epiſcopum non obſtante Concil. Trident. & Decreto Urbani VIII. & licèt non ſit infirmus, aut in itinere erigere Oratorium in ſuo Palatio, & in Villa rurali, & ibi celebrare, vel per ſe, vel per alium, & præterea poſſe ſecum portare in itinere Altare Viaticum, & ſicut in ſua, ita in aliena Diœceſi Miſſam celebrare, & celebrari facere, excepto in Urbe Roma propter reverentiam Summo Pontifici debitam; & hanc ſententiam docent etiam Gavantus *in Man. Epiſcop. verb. Epiſcopus n.* 8. & 9. cum Ugolino, Alzedo, Venero, & aliis, quibus adhæret Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 15. & latè pluribus relatis hoc ſuſtinet *par.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 38. & 39. Vide Barboſ. *in Trid. ſeſſ.* 22. *de Sac. Miſſæ cap.* 8. *num.* 16.

1384 Inter. 2. Familiares Epiſcopi, eo abſente, poſſuntne audire Miſſam in Oratorio ſui Palatii, aut ibidem reſpectivè Miſſam celebrare?

Reſp. Nec Miſſam celebrare, nec ibi Miſſam audire licet. Et ratio eſt, quia illud privilegium non eſt reale, nempè illi Oratorio conceſſum, ſed eſt privilegium perſonale Epiſcopo dumtaxat conceſſum, dum celebrat, vel cū ibidem Miſſam audit, & conſequentèr cœteri Sacerdotes abſente Epiſcopo non poſſunt tali privilegio gaudere, nec relevat ſi dicatur, quod familiares gaudent privilegio audiendi Miſſam in Oratorio conceſſo alicui viro nobili à Pontifice, etiam ipſo abſente, ut docet Diana *mox. cit. reſol.* 2. Nam eſt diſparratio, quia in hoc caſu Papa concedit privilegium Domino, & etiam ſuis famulis, ut patet ex Brevis conceſſione, at in caſu noſtro privilegium eſt perſonale dumtaxat, cum *in cap. fin. de privil. in* 6. efficiatur ſolum mentio de Epiſcopo, & non de ejus familia, ut benè obſervat Diana *par.* 9. *tract.* 1 *reſ.* 41. ex aliis allegatis per ipſum, & *par.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 13. idem docuerat.

1385 Inter. 3. Satisfacitne præcepto audiendi Miſſam, qui in die feſtivo illam audit in privato Oratorio alicujus Magnatis? Et quid ſi Miſſam audiat in Oratorio Epiſcopi, vel Regularium?

Reſp. Non ſolum non ſatisfacit præcepto, ſed etiam mortaliter peccat, ſi aliam Miſſam non audiat, dummodo non ſit ejus familiaris, & domeſticus, & ejus expenſis alatur. Lezana *tom.* 2. *verb. Oratorium num.* 18. Secus dicendum eſt de illo, qui in Oratoriis Epiſcoporum, vel Regularium Miſſam audiret, quia non adeſt limitatio, quæ ſolet apponi in licentiis privatis, quæ Magnatibus particularibus concedit Summus Pontifex; & ſic qui audit ſacrum in Oratorio Epiſcopi, vel Regularium, non tenetur aliam Miſſam audire, quia ſatisfaciat præcepto Eccleſ. de audiendo ſacro feſtis diebus. Vide Doctores, quos dat, & ſequitur Dian. *par.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 3. nam hujuſmodi Oratoria non cenſentur eſſe in Domo privata, ut de Oratoriis Magnatum ſatis patet. Vide Dia. *par.* 11. *tr.* 5. *reſ.* 34. *verſ. Ex his*, ubi aſſignat differentiam quæ eſt inter Oratoria Regularium, & Sæculariū.

1386 Inter. 4. Quibus Diebus non licet celebrare in Oratoriis privatis?

Reſp. Non poteſt quis in privatis Oratoriis Miſſam celebrare in die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Annunciationis, & Aſſu-

Aſſumptionis Beatæ Virginis. In feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri,& Pauli,& omnium Sanctorum. Gavantus *in Commen. ad Rubric. Miſſalis tom,* 1. *tit.* 22. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 21. *n.* 31. Diana *par.* 9. *tract.* 1. *reſ.* 13. & alii communiter.

1387 Inter. 5. Sub nomine Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, suntne intelligendi omnes tres dies, vel ſolùm prima dies ſolemnitatis?

Reſp. Lezana *tom.* 2. *verb. Oratorium num.* 3. dicit quod illa limitatio à Sacra Congregatione facta pro diebus Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, probabiliter intelligenda ſit ſolùm pro primis diebus harum feſtivitatum, quia reſtrictio indulti eſt odioſa, & ideò ſtrictè ſit interpetranda,& ita etiam ſentiunt Naldus,Garcias, & Pellizarius apud Dianam *loco cit.*

1388 Inter. 6. Si in dictis feſtis, in quibus Miſſa celebrari non poteſt, aliquis celebraret Miſſam, illam audientes ſatisfacerentne præcepto?

Reſp. Nequaquam, quia hoc eſt contra Summi Pontificis mentem declarantis, diebus illis ſolemnioribus nolle prædictam conceſſionem ullo modo illis ſuffragari, & exceptio firmat regulam in contrarium, ut bene docet ex Garcia Diana *loco citat.* §. *Verum.*

1389 Inter. 7. In Oratoriis privatis Sæcularium, in quibus Papa concedit celebrari poſſe Miſſam, poſſuntne una die plures Miſſæ celebrari?

Reſp. Negativè reſpondet Lezana *tom.* 2. *verb. Oratoria num* 11. *& ſeqq.* & alios id aſſerentes refert. Idem tenet Diana *par.* 9. *tract.* 2. *reſol.* 5. *in princ.* Et ratio eſt quia Pontifex quando concedit hujuſmodi indultum loquitur de Miſsa in numero ſingulari, ac proindè, non poteſt extendi, ſed debet reſtringi, juxtà communem regulam. *cap. Porrò, de privil.* nam dictum privilegium derogat juri communi, quo ſtatuitur, ut Miſſæ audiantur in Eccleſiis, ideò non debet ampliari, quia diſpenſatio eſt odioſa,& per conſequens ſtrictè explicanda, ut docent communiter Doctores. Vide Sylveſtrum *verb. Privilegium quæſt.* 3. Navar. *cap.* 12. *num.* 79. Naldum *in Summ. verb. Privilegium num.* 1. & alios quos allegat Lezana *verb. Privil. Regul. ſub num.* 8. qui teſtatur de commuui.

1390 Inter. 8. Qui habet privilegium erigendi Oratorium in Domo, poteſtne illud erigere in Villa, ut quando eſt ibi, Miſſam audire poſſit?

Reſp. Diana *par.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 22. quod abſolutè non poſſit, rectè cum aliis à ſe relatis ſuſtinet, ideoque neceſſarium eſt aliud Breve expedire, ſi in Oratorio privato ruri exiſtente Miſſam audire velit. Vide Dianam, qui affert rationes optimè concludentes, idem aſſerit *par.* 11. *tract.* 5. *reſol.* 34.

1391 Inter. 9. Poſſuntne Regulares in ſuis Grangiis, & in cellis Infirmorum celebrare cum Altare portatili?

Reſp. Quando Epiſcopus non repugnat, poſſunt Regulares celebrare cum Altare portatili, dummodò ſit decens locus, nec obſtat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. & ibi clauſula Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & rationem aſſignat Diana *par.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 39. & Paſſerinus *de ſtatibus to.* 3. *q.* 189. *art.* 10. *inſpec.* 10. *num.* 785. Immò Diana probabiliter docet ex Lezana *tom.* 2. *verb. Altare num.* 14. poſſe Regulares etiam contradicente Epiſcopo, & non obſtante Decreto Tridentini celebrare in Grangiis, & in cellis particularibus cum Altare portatili. Et ratio eſt, ut ipſi dicunt, quia Concilium loco relato, ſolùm concedit Epiſcopis, nè permittant celebrare in privatis Domibus, aut omninò extra Eccleſiam, ſed prædia, ſeù grangię, aut cellæ non ſunt privatæ Domus, quia non ſunt Domus privatarum perſonarum, aut Sæcularium, ſed Monaſt:riorum,

& Com-

Digitized by Google

& Communitatum Religioſorum, nec ſunt omninò extra Eccleſiam; ergò &c. Et pro hac ſententia citat Lezanam, Rodriquez, Jo: de la Crux, & Peyrinum; Immò addunt hoc privilegium fuiſſe conceſſum à Pio IV. Canonicis Regularibus Sancti Salvatoris Lateranenſis poſt Tridentinum, cum derogatione ipſius. Verùm non conſtat, an hoc privilegium ſit vivæ vocis oraculum, ut advertit Paſſerinus, ubi ſuprà; Sed alia privilegia fatentur Doctores apud Dianam *par. 9. tract. 1. reſol. 32. 33. & 34.* fuiſſe conceſſa aliis Religionibus, nec fuiſſe revocata per Tridentinum; Undè concludunt, poſſe Regulares non ſolum in Grangiis, ſed etiam in cellis, ubi decumbunt infirmi celebrare, dummodò locus ſit honeſtus, & decens, quod non contingit, ut prudenter advertit Paſſerinus. Imò Matthæuccius *cap. 6. num. 27. & ſeqq.* reſolvit (loquens de Altare portatili) oppoſitum, ideò illum vide. Concludūt etiam hoc privilegium eſſe in favorem Infirmorum Regul. ut poſſint è lecto Miſſam audire, & Euchariſtiam recipere, nec neceſſarium eſſe, ut infirmitas ſit magni momenti, ſed ſufficere, ut infirmus exire à Cubiculo non valeat. Vide Dianam *locis citatis*, ubi concordantes refert, & plura haberi poſſunt ad intentum. Vide etiam Peyrinum *tom. 1. privil. Minim. in Conſt. Pyrri num.* 34. Peregrinum *in privil. Cong. Reg. Cler. tit. Infirmis n.* 2. Portellum *in Dubiis Regul. verb. Altaren.* 3. & Lezanam *ubi ſupra n.* 14. 15. & 16. & alios, quos citat ipſe Diana, qui ex profeſſo tractat de hac materia; Sed quando Epiſcopus contradicit, non conſulerem practicari. Barboſ. *in Trident. ſeſſ. 22. de obſer. & evitandis in celebr. miſſæ. num.* 19.

1392 Inter. 10. In Oratoriis privatis Regularium poſſuntne celebrare Sacerdotes Sæculares?

Reſp. Si dicta Oratoria fuerint à Provinciali deputata ad celebrandum poterunt ibi Sacerdotes alii non Regulares celebrare ex conceſſione Gregorii XIII. facta Patribus Societatis Jeſu, ut docet Lezana *loco cit. verb. Oratorium ſub num. 6.* De ſupradicta conceſſione Gregorii XIII. loquitur etiam Diana *par. 9. tract. 1. reſol. 32. verſ. Et ideò*, ubi dicit deputationem Oratorii neceſſariò faciendam eſſe à Provinciali, & ſi in aliqua Religione non adſit Provincialis, à P. Generali, & quod tali privilegio fruantur alii Ordines Mendicantes, & non Mendicantes per mutuam communicationem, & in eadem reſolutione affirmat id quod docet Lezana *loco cit.* ſcilicet in Oratoriis deputatis à Provinciali, in Religioſorum Monaſteriis, Clauſtris, infirmariis poſſe Sacerdotes alios non Regulares licitè celebrare, & pro hac ſententia citat Suarez *tom. 3. in 3. par. diſp. 81. ſect. 2.* Card. de Lugo *de Sac. Euchar. diſp. 20. num. 51.* & Boſſium *in Flor. Theol. Moral. verb. Miſſa 4. num. 1.* ſed vide Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 21. num. 14.*

TITULUS CLVII.

De Ordinibus Minoribus.

Vide tit. de Abbatib. Int. 1. tit. de Ætate &c. Int. 11. tit. de Cappellania &c. Int. 8. tit. de Cardinal. Int. 2. tit. de Circumſt. pcc. Int. 5. tit. de Epiſcopat. &c. Int. 67. 68. 71. tit. de excom ob Cler. perc. ad qu. 3. & 4. tit. de Ignor. Int. 13. tit. de Sacr. Ordin. Int. 6. & ad qu. 1. & 2.

1393 INter. 1. Papa poteſtne committere poteſtatem conferendi Ordines Minores ei, qui non eſt Sacerdos?

Reſp. Non poteſt, ut docent D. Thom. *in 3. par. qu. 38. art. 1. ad 3.* Sylveſt. *verb. Ordo 3. num. 7.* Palud. *in 4. diſt. 7. qu. 4.* Victoria *qu. 233.* Chaves *in Sum. de Sacr. Ord. quæſt. 215.* & ratio eſt, quia poteſtas ſupra Cor-

pus Chriſti miſticum, quod eſt Eccleſia, præſupponit poteſtatem ſupra Corpus Chriſti verum, ideo Papa non poteſt committere poteſtatem conferendi minores Ordines, niſi Sacerdoti, qui ſolus habet poteſtatem ſuprà Corpus Chriſti verum. Bonacina *de Sacr. Ordin. diſp. 8. qu. ult. punct. 4. num. 4.* Vide infra *in tit. 159. de Papa ſeù Summo Pontif. ad Int. 4.*

1394 Inter. 2. Epiſcopus poteſtne committere non Epiſcopo poteſtatem conferendi Ordines Minores?

Reſp. S. Thom. *3. par. qu. 72. artic: 11. & in 4. diſt. 7. qu. 3. art. 1. quæſtiunc. 3.* ait, quòd ſolus Epiſcopus habet quidem ex officio ſuo conferre Ordines, & quòd Epiſcopus non poteſt committere non Epiſcopo, quàvis ſit ordinatus Sacerdos, poteſtatem conferendi Ordines, etiam minores, & ſi committeret nihil eſſet factũ; Et ratio eſt evidens, quia non poteſt Epiſcopus quæ ſunt Ordinis aliis, qui Epiſcopi non ſunt, demandare. Vide *cap. Aqua de Conſecr. Eccl.* nam ea, quæ ſunt Ordinis delegari non poſſunt ſicut ea, quæ juriſdictionis, & hoc eſt certiſſimum. Emm. Sà *verb. Epiſcop. num. 37.* & alii communiter. Vide Bonacin. *ubi ſup. num. 6.* Dianam *par. 8. tr. 1. reſ. 33. verſic. Notandum eſt hic.*

1395 Inter. 3. Eſtne licitum Ordines minores poſt prandium conferre? aut ſaltem validè conferri poſſunt?

Reſp. Conferri non poſſunt Ordines poſt prandium; Si autem conferantur, tenent, ſi loquamur de minoribus Ordinibus, nam de majoribus eſt dubium, ut inquit Sylveſter *verbo Ordo 2. num. 6. propè finem*; Cæterum non licere poſt prandium minores Ordines conferre, docent Angelus, Tabiena, Armilla, & alii, quos dat, & ſequitur Fornarius *de Sacr. Ordinis, cap. 3. ſub num. 3. verſ. Tertio nota.* Vide Emm. Sà *verb. Ordo numer. 14.* idem docentem. Et ita ſervatur in praxi.

TITULUS CLVIII.

De Ordinibus Sacris.

Vide tit. de Ætat. &c. Int. 11. tit. de Alien. &c. Int. 4. 5. tit. de Circumſt. pec. Int. 16. 17. 18. tit. de Diac. tit. de Divort. Int. 9. tit. de Epiſc. &c. Int. 34. 69. tit. de Hor. Can &c. Int. 2. tit. de Infirm. Int. 3. tit. de Irregul. Inter. 15. 17. 23. tit. de Met. Int. 1. tit. de Negot. Cler. &c. Int. 4. 9. tit. de Papa, &c. Int. 4. tit. de Pecc. Inter. 27. tit. de Pucr. Inter. ult. tit. de Sacerdot. tit. de Sacr. Matr. Int. ult. tit. de Sacr. Ord. Int. 8. & ad quæſ. 2. tit. de Stupr. Inter. ult. tit. de Subdiac. tit. de Vot. Int. 7. 15.

1396 INter. 1. Quænam, & quotuplex eſt materia proxima Ordinis Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus?

Reſp. Materia Ordinis Sacerdotalis eſt traditio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia ſuperpoſita, & tunc prolata forma ab Epiſcopo, Sacerdos accipit poteſtatem offerendi ſacrificiũ; Secunda materia eſt impoſitio manuũ Epiſcopi unà cum verbis illis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata &c.* Et in hac ſecunda accipit poteſtatem abſolvendi à peccatis. Vide Campion. *loco mox cit. num. 6. & 7.* An utraque ſit de eſſentia, eſt diſſenſio inter Doctores, quidam enim affirmant, alii verò negant, & dicunt Ordinationem Sacerdotis perfici in prolatione primæ formæ cum applicatione Materiæ ſuæ, & impoſitionem manuum cum verbis ſecundæ formæ, non eſſe de eſſentia, & ſubſtantia Ordinis Sacerdotalis, ſed eſſe Sacramentalia, quæ ſunt adhibenda ratione præcepti. Vide DD. pro utraque ſententia apud Dianam *par. 3. tr. 4. reſolut. 187.* Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt, quòd ſi Epiſcopus moreretur antequam proferret illa verba: *Accipe*

pe Spiritum Sanctum, talis Sacerdos non poſſet abſolutionem impendere, ut docet Bonac. *de Sacr. diſp.* 8. *quæſt. unica pun.* 3. *num.* 2. & alii ab ipſo relati. Vide Rorarium *in Appar. pro examin. Cler. cap.* 7. *ſect.* 1. *num.* 17. *&* 18. & Campion. *Inſtr. pro Ordin. cap.* 39. *ſub num.* 13. Materia Diaconatus eſt traditio libri Evangeliorum, & tunc perficitur Ordinatio Diaconi, ut docet Bonacina *ibidem num.* 4. Alii tamen tenent eſſe traditionem libri Evangelii cum impoſitione manuum; At ego ſentio cum illis, qui docent, quòd ſi Epiſcopus ordinaret aliquem Diaconum ſine impoſitione manuum, non eſſet validè ordinatus. Et dicendum utramque materiam, ſcilicèt traditionem libri Evangeliorum, & impoſitionem manus Epiſcopi ſimul pertinere ad ſubſtantiam Diaconatus, iujunctis ſimul definitionibus Concil. Carthaginenſis, & Florentini, loquendo de Diaconis in Eccleſia Latina. Vide Leandrum *tr.* 6. *de Ordin. diſp.* 3. *q.* 12. Materia tandem Subdiaconatus ſimiliter dicendum duplicem eſſe, ſcilicèt traditionem Calicis vacui, cum patena vacua ſuperpoſita, & traditionem libri Epiſtolarum: De prima non eſt controverſia, benè tamen de ſecunda, ut benè oſtendit idem Leander *ubi ſupra qu.* 14. allegans multos Doctores, addenſque non obſtare Concil. Florentinum, ubi Eugenius aſſignat pro materia Subdiaconatus ſolam traditionem Calicis vacui, & patenæ vacuæ, quia ibi Summus Pontifex non intendebat exactam doctrinam Sacramentorum tradere, ſed tantùm exemplum adhibere in unoquoque Sacramento traditionis rei, per quam Sacramentum confertur.

1397 Inter. 2. Vir conjugatus poteſtne unquam licitè Sacros Ordines ſuſcipere?

Reſp. Dico quòd poteſt aliquando Sacros Ordines ſuſcipere, ut ſi habet juſtas cauſas faciendi divortium quoad torum, & habitationem, aut Religionem intrare, etiam invita Uxore; ità etiam de licentia Uxoris poteſt Sacros Ordines ſuſcipere, dummodò ipſa ingrediatur Religionem; ſi juvenis ſit, vel ſaltem voveat caſtitatem, ſi ſit ſenex: habetur *ex cap. Agatoſa* 27. *qu.* 2. Vide Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 39. *num.* 6. & alios, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Matrim. qu.* 3. *pun.* 9. *num.* 18., & ea quæ dixi *in tit.* 116. *de Ingreſſu in Religion. ad Inter.* 12. Vide etiam Emman. Sà *verb. Divortium num.* 2. *&* 4. & ibi Victorellum, & *ſupra in tit.* 72. *de Divort. ad Int.* 9. *&* 11.

1398 Inter. 3. Qui recipit Sacros Ordines abſque legitimo Uxoris conſenſu, quam pœnam incurrit?

Reſp. *In Extrav. Antiquæ de voto* eſt impoſita pœna irregularitatis, quæ pœna non incurritur, niſi adſit præſumptio, ex parte recipientis Ordines Sacros ſine Uxoris conſenſu, ut habetur *ex eadem Extravagante citata*. Præterea poteſt ab Uxore revocari, etiamſi Vir ejus ad Papatum evectus fuerit: ſed non poteſt petere amplius debitum; quia per votum caſtitatis annexum Sacris Ordinibus, obligatus remanet ſe abſtinere ab omni actu venereo; Uxor tamen licitè poteſt petere debitum, quia ſuo jure minimè eſt privata propter Ordines à Viro ſuſceptos abſque ejus licentia; ac tandem remanet ſuſpenſus ab Ordinibus ſuſceptis, & ſuſcipiendis, nec poteſt ullum beneficium obtinere, ut patet ex *Extrav. cit.* Ità pluribus relatis docet Bonac. *ubi ſupra num.* 19. *&* 20. Vide etiam Dianam *parte* 5. *tract.* 10. *reſolut.* 59.

1399 Inter. 4. Clericus ſuſcipiens Ordines Sacros cum Patrimonio ficto, incurritne ſuſpenſionem? & poſtea celebrando ſitne irregularis?

Reſp. Hanc quæſtionem pertractat Diana *par.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 5. & pro affirmativa ſententia plures Doctores refert, inter quos ſunt Navar. *cap.* 27. *n.* 158. Sanchez *de Matrim. lib.* 6. *di-*

ſput. 32. *num.* 8. Bonac. *de Sacr. diſp.* 8. *qu. unica*, *pun.* 5. *num.* 24. alios allegans, ita docent etiam Comitolus, Filliucius, Jo. de la Crux, Scortia, Spino, Reginaldus, & Suarez, apud Dianam *loco cit.* Tamen negativam ſententiam pluribus relatis ſuſtinet ipſe Diana, & dicit eſſe probabiliorem, & in praxi tutiſſimam, & pro ſe refert Gonzalez, Homobonum, Flaminium, Toletum, Coninchum, Piaſecium, Garziam, Avilam, Sayrum, & Henriquez. Vide Toletum *lib.* 1. *cap.* 48. *num.* 16. Immo notat ipſe Diana, quòd ſecundùm declarationem Cong. Concil. & uſum Pœnitentiariæ, ordinatus ſine titulo, non eſt ſuſpenſus, & rectè reſpondet ad argumenta contraria; ideo ipſum lege, qui tandem concludit, taliter ordinatum poſſe puniri pœna extraordinaria ab Epiſcopo, cum à jure certa pœna ſancita non ſit, & forſan Epiſcopus illi neceſſaria denegare poteſt, cum ipſe in culpa non fuerit, ſed ab Ordinario deceptus; favet etiam huic ſententiæ Lezana *tom.* 3. *verb. Ordines Sacri num,* 27 & 28. Vide in hoc tit. *ad quæſ.* 2.

1400 Inter. 5. Epiſcopus poteſtne licitè conferre Ordines ſacros Clerico, qui eſt Surdaſter?

Reſp. Qui una tantùm aure ſurdus eſt, aut difficulter audit, non eſt irregularis, & conſequenter nullo jure prohibetur ad Sacros Ordines promoveri. Majolus *de Irregularit. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 1. Vivaldus *in Candel. aur. de Irregul. ex defectu Corporis*, & ibi de auris defectu *num.* 2. Graffius, & alii, quos dat, & ſequitur Diana *par.* 5. *tr.* 6. *reſ.* 22. Navar. *lib.* 1. *Conſ. tit. de corp. vit. conſ.* 6. *num.* 7. Sayrus *de cenſur. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 17. Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *qu.* 2. *punct.* 2. *ſub num.* 7. Lezana *tom.* 3. *verb. Irregularitas num.* 12. & alii plures; & tandem in caſu noſtro affirmativè reſpondet Diana *par.* 2. *tr.* 1. *reſ.* 20. Et rectè quidem, nam Surdus omninò, qui nullo modo audit, eſt irregularis, ut patet per ſeptimum Canonem Apoſtolorum; non autem Surdaſter, ut docent præcitati Doctores, & alii.

1401 Inter. 6. Peccaretne mortaliter Epiſcopus, ſi conferret Ordines Sacros ſtatim poſt Miſſam ſine Pluviali, Mitra, & Baculo Paſtorali?

Reſp. Diana *par.* 7. *tr.* 10, *reſ.* 31. *verſ. Unde etiam*, aſſerit mortaliter peccare, quia non licet conferre Ordines Sacros ſine veſtibus ab Eccleſia præſcriptis, & cum aliter facere, ſit miſcere, & pervertere Sacros Ritus, & Ceremonias in re gravi, ideo peccaret mortaliter.

Quær. 1. An licitè, & abſque ulla pœna poſſit aliquis Sacros Ordines ſuſcipere cum ſola Fidejuſſione alimentorum, ejus vita durante?

Reſp. Ut verùm fatear, mihi probatur ſententia affirmativa, quam ex Hrilenſonio docet Diana *par.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 48. quia mens, & cauſa finalis, per quam Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *de Reform. cap.* 2. prohibet, ne ad Sacros Ordines promoveatur, qui Beneficium, vel penſionem, aut Patrimonium non habet, ea quidem fuit, ne Clericus in Sacris mendicare cogatur: Sed poſita certa, & indubitata Fidejuſſione alimentorum ejus vita durante, ſatisfactum videtur menti, & cauſæ finali Concilii, quia tunc non adeſt periculum mendicandi cum dedecore ſtatus Eccleſiaſtici; ergò licitè, & abſque ulla pœna poterit quis tali pacto ad Ordines Sacros promoveri; Siquidem menti legis magis attendendum eſt, quàm verbis, ut habetur *l. ſcire leges ff. de Leg. l. non aliter ff. de Legat.* 3. *l. nominis, & rei* §. *verbum ex legibus ff. de verbor. ſignif.* & ex aliis juribus, & authoritatibus, de quibus loquuntur Pariſius apud Dianam *loco cit.* Surdus, & Genuenſis penès Lezanam *tom.* 4. *conſ.* 30. *ſub num.* 25. Barboſ. *in axiom. juris*, *axiom.* 197. Et etiam facit ad propoſitum, quod ſtandum eſt legis menti apertæ, etiam contra verba; &

mens

mens legis intelligitur ex ratione expreſſa, & adeſt Textus *in c. Marcion. 1. qu. 1.* Alia plura vide, ſi lubet, apud Armillam *verb. Judicium num. 3.* & Emm. Sà *verb. lex num. 24.* Undè ſi Beneficium, penſio, vel Patrimonium requiratur in Clerico Sacris Ordinibus initiando, ut non mendicet, ſequitur profectò, dum conſtat ejus vita durante, non indigere alimentis per Fidejuſſionem ſibi factam, non habere cauſam mendicandi: Ex hac igitur ratione, mihi ſatis probabilis videtur talis opinio, ſed ſpeculativè loquendo, nam Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 19. num. 73. & in Collect. Trid. loc. cit. num. 51.* ex aliis refert deciſum, ordinari ſine Beneficio, vel Patrimonio quandoque conceſſum eſſe, ob penuriam Sacerdotum, dummodò quis ſpondeat ſe neceſſaria ordinandis ſubminiſtraturum. Quare concludendum eſt, in praxi omninò neceſſariã eſſe, ſaltem Sac. Cong. diſpenſationem in dicto caſu.

Quær. 2. An in Patrimonio neceſſario ad ſumendos Ordines Sacros, detur parvitas materiæ, & quam pœnam incurrat Epiſcopus ordinans aliquem abſque beneficio, vel ſufficienti Patrimonio, & an taliter ordinatus, ſuſpenſus remaneat?

Reſp. Ad primum dubium affirmativè reſpondent Navarr. *tom. 1. conſt. 11. tit. de temporib. ordinat.* & Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 7. capit. 1. dub. 36. num.* 1. qui notat quòd ſi modicum deficiat ad honeſtam ſuſtentationem, parum facit, quia de modico non eſt curandum. *cap. reverà de conſec. diſt. 2. l. Scio ff. de in integr. reſt.* Secùs ſi ſit notabilis defectus, qualis erunt quinque, reſpectu viginti quinque. Ita ex Sanchez docet Dian. *par. 4. tr. 4. reſ. 52. & par. 5. tr. 5. reſ. 20.* Sed vide Rotar. *in Appar. pro exam. Cleric. cap. 9. ſect. 9. §. 6. ſub num. 3.* qui ſolùm duos aureos putat, & benè, eſſe parvam materiam pro Patrimonio ubi requiruntur 40. aurei. Ad ſecundum verò dubium dico, quòd Epiſcopus, qui ſcienter præſumit aliquem ſine beneficio, aut ſufficienti Patrimonio ordinare, incurrit ipſo facto ſuſpenſionem à collatione talium Ordinum per annum, & tenetur illum alere, donec Eccleſiaſticum beneficium obtineat: Ipſe autem Ordinatus nullam ſuſpenſionem incurrit; Verùm hoc intelligendum eſt, ut nunc benè adverto, quidquid alibi dixerim, ſi in culpa eſt Epiſcopus, ut quis ordinetur ſine titulo, nam ex declaratione Sac. Cong. Concilii apud Garciam *de Benefic. par. 2. cap. 5. num. 27. & 29.* & Fagnanum *in cap. Cum ſecundum de Præb. num. 19.* per Decretum Conc. Trid. *Seſſ. 21. cap. 2.* innovatur ſolùm *cap. Cum ſecundum de Præb.* in quo capite abrogata fuit ſuſpenſio lata *in cap. Neminem, & cap. Sanctorum diſt. 70.* in quibus ferebatur pœna contra Ordinatos: Et *in cap. Cum ſecundum* fertur pœna ſolùm in Ordinantes. Ideo ex hac parte Ordinati ad Sac. Ordinem ſine titulo Patrimonii, aut Beneficii, vel cum ficto titulo, non ſunt ſuſpenſi, & ſi miniſtrent, non fiunt irregulares. Cæterũ ſi quis ſine culpa Epiſcopi ordinatur cum Patrimonio ficto, vel falſo, ut ſi quis ordinatus falſis teſtimoniis decipit Epiſcopum, in tali caſu ſuſpenſionem dicti *cap. Neminem & Sanctorum* non fuiſſe abrogatam *per cap. Cum ſecundum, de præb.* & fuiſſe innovatam per Conc. Trid. declaravit Sac. Congreg. Concilii *die 27. Novembr.* 1610. & propterea cenſuit Clericum, qui adhibito dolo, & cum ficto titulo Epiſcopum decepit, eſſe ipſo jure ſuſpenſum. Ità docent Sanchez, Navarrus, Theſaurus, quos refert, & ſequitur Paſſerinus *tom. 3. de Stat. quæſt. 189. art. 10. inſp. 10. num. 891.* & ità rem concordant. Vide etiam Emm. Sà *verb. Clericus ſub num. 33.* & ibi Victorellum, qui alios concordantes refert, licèt circa hanc quæſtionem hinc inde adſint authoritates Doctorum, ut dixi in hoc titulo *ad Interrogatio-*

nem

nem quartam, ad quam Lectorem remitto.

Quær. 3. An Pater teneatur aſſignare Patrimonium filio, qui ad Ordines Sacros promoveri deſiderat, & an Patrimonium poſſit conſtitui ſuper bonis Emphitheoticis, vel ſuper annuis perpetuis Cenſibus?

Reſp. Non ſolùm Pater tenetur Patrimonium aſſignare filio pro Sacris Ordinibus ſuſcipiendis, ſed etiam poteſt filius officio Judicis Eccleſiaſtici Patrem compellere ad dandum ſibi Patrimonium, nam ſicut Pater poteſt cogi ad conſtituendam Dotem pro filia nubenda in ſæculo, aut volenti Monaſterium ingredi, fieriqua Monialis, ità pari ratione poteſt cogi pro filio, qui ad Sacros Ordines promoveri deſiderat; Immò talis donatio Patrimonii, & aſſignatio eſt irrevocabilis à Patre, itaùt neque ob ingratitudinem revocari valet. Ità pluribus relatis docet Diana *par.* 8. *tract.* 6. *reſ.* 91. ac fortioribus terminis, & rationibus id probat egregiè. Vide quæ dixi ſupra *tit.* 13. *de Alien. bonor. Eccl. ad Int.* 4. & 5. Item Patrimonium poteſt conſtitui ſuper bonis Emphiteoticis, quatenus utile dominium transferri queat, & ad victum Clerici ſufficiat. Habetur ex declarat. S.Cong. Conc. 7. *Septembris* 1630. Itèm pariter conſtitui poteſt ſuper perpetuis cenſibus annuis cum cautione tamen, quòd ſi cenſus redimeretur, pecunia ex Judicis decreto apud idoneas perſonas deponatur, ad effectum illam reinveſtiendi. Ità quoque declaravit eadem S.Congreg. *die* 2. *Junii* 1629. Sed vide Dianam *par.* 9. *tr.* 8. *reſ.* 25. ubi docet cenſum redimibilem etiam ſufficere ad Patrimonium Clerici. Hic autem obiter nota, quòd Clerici Patrimonium ad cujus titulum ille fuit ordinatus, gaudet immunitate ab omnibus exactionibus, & tributis ſæcularibus, prout cenſuit Sac. Congreg. Epiſcop. & Regular. *die* 3. *Auguſti anno* 1592. Vide Dianam *par.* 9. *cit. tract.* 8. *reſ.* 23. *verſ. Et tandem propè finem.* ubi hujus rei rationem aſſignat. Vide etiam ad quæſitum anteced.

TITULUS CLIX.

De Papa, ſeu Summo Pontifice.

Vide tit. de Ætat. &c. Int. 5. *tit. de cenſ. &c. Int.* 4. *tit. de Decr. Inter.* 3. *tit. de diſpenſ. Int.* 6. *tit. de Elect. &c. Int.* 5. 6. *tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 9. *tit. de Præc. an. conſ. Int.* 2. *tit. de Reſid. Inter.* 1. *tit. de Sac. Confir. Inter.* 2. *tit. de Sacr. Matr. Inter. ult. tit. de Sig. Confeſſ. Int.* 2. *tit. de Teſtib. &c. Int.* 3. *tit. de Val. Sponſal. Int. ult. tit. de Viſit. Int.* 1. *tit. de Vot. Int.* 8.

1402 INter. 1. Eſtne adorādus Sūmus Pontifex; & adoratio, qua Pontifex adoratur ad quam reducitur?

Reſp. Adoratio ſanè, ut dixi ſupra *in tit.* 8. *de Adoratione*, ad Inter. 1. cum S. Magiſtro, eſt exhibitio reverentiæ propter excellentiam illius, cui exhibetur, & ſic eſt quidam honor, qui Deo, & creaturis poteſt exhiberi; Unde (quidquid peſtiferè dicant hæretici, quos egregiè impugnat Diana *par.* 11. *in Addit. de adoratione Summi Pontificis reſ.* 2. & *ſeqq.* ubi exemplis, rationibus, & ex Sacra Scriptura probat Summum Pontificem eſſe adorandū, tum genuflexione, tum ejus pedes oſculando contra hæreticos, & malè ſentiētes de antiquiſſimo uſu adorandi Papam) dicendum eſt, Summum Pontificem eſſe adorandum propter ejus ſupremam Dignitatem, & de hoc inter Catholicos nulla eſt difficultas. ſub qua verò adoratione comprehendatur talis adoratio Pontificis, non conveniunt DD. ut videre licet apud ipſum Dianam *loco cit. reſ.* 11. 12. & 13 qui tamen *reſ.* 14. aliis allegatis reſolvit, adorationem Pontificis eſſe reducendam ad adorationem duliæ, & tandem

Digitized by Google

dem ſuam reſolutionem ità concludit. *Dico igitur latriam, & hyperduliam ad Deum, & Beatam Virginem ſpectare. duliam verò non ſolum Sanctis in Cœlo exiſtentibus, ſed etiam Viatoribus adhibetur, & hoc non ſolum propter eminentem Sanctitatem, ſed etiam propter dignitatem, gradum, & miniſterium, ut quidem efficitur in Summo Pontifice.*

1403 Inter. 2. Papa poteſtne renunciare Papatui; aut poteſtne unquam judicari, & per depoſitionem Papali auctoritate privari?

Reſp. Dicunt Doctores apud Sylveſtrum *in ſum. verb. Papa num. 3.* poſſe Papam renunciare Papatui, ſeu poteſtati Papali, & de facto quatuor renunciaſſe refert idem Sylveſter, ſcilicèt Clementem, Ciriacum, Marcellinum, & Cœleſtinum, licet non ex eiſdem cauſis. Ratio hujus aſſertionis eſt, quia non obſtante, quod Papa ſit immediatè à Deo, eſt etiam ab homine cooperante per conſenſum, & volitionem; unde etiam per diſſenſum fit renunciatio: Imo dicunt aliqui, quod licèt Papa juraſſet, aut voviſſet non renunciare, adhuc renunciare poſſit Papatui, ſi ſe impotentem ad talem curam, vel omninò inſufficientem noverit. Cæterùm Papa in terra Judicē non habèt, ac per conſequens propter nullum crimen poteſt judicari, aut deponi, ſeu Papali auctoritate privari; niſi deſinat eſſe caput propter hæreſim, deviando à fide; nam ſi labitur in hæreſim eo ipſo eſt præciſus ab Eccleſia, & dèponitur de facto, & deſinit eſſe caput Eccleſiæ; quia caput præciſſum, quandiù eſt præciſum, caput eſſe non poteſt illius corporis, à quo eſt præciſum. Per alia autem peccata eſt caput languidum, quod propter hoc non deſinit eſſe caput, nec conſequenter poteſt à membris judicari. Ità ex Paludano docet Sylveſter *ubi ſupra ſub num.* 4. ubi plura videri poſſunt circa tale dubium. Vide *cap. ſi Papa* 40. *diſt. cap. oves* 2. *qu.* 7. Joan: à S. Thoma *in* 2. 2. *D. Thom. diſp.* 8. *ar.* 3. *fol.* 737. Dianam *par.* 11. *n. Addit. tr. de Ador. Summi Pontificis reſ.* 16. *verſ. Certiſſima tamen eſt.* Caſſianum à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. adoratio* §. 5. *num.* 72. Notandum eſt tamen, non poſſe in controverſiis fidei; & morum Papam ex Cathedra loquentem errare, aut in hæreſim labi, ut communiter docent DD. apud Bannes 2. 2. *quæſt.* 1. *ar.* 10. *concl.* 4. nec ullum Pontificem fuiſſe hæreticum, rectè oſtendunt Bellarminus, & Baronius, quos citat Bonac. *de cenſ. diſp.* 2. *qu.* 5. *punct.* 1. *num.* 9. Vide Em. Sà *verb. Papa num.* 6. ubi Victorellus plura addit ad hoc propoſitum. Vide etiam Dianam *par.* 11. *in Addit. tract.* 2. *per totum, & præcipuè reſol.* 12. & Armillam *verb. Papa num.* 8. 9. & 10.

1404 Inter. 3. Familiares Papæ ſubſuntne juriſdictioni ſui Epiſcopi, vel gaudent aliquo privilegio exemptionis, ità ut non poſſint ab Ordinario puniri?

Reſp. Supponendum eſt primò, quod Familiares vocantur perſonæ liberæ, quæ ſe ipſas mercede obſtringūt ad aliquod honeſtum ſervitium, ut rectè docet Franchus *in cap. fin. num.* 14. *de verb. ſignif.* & alii, quos refert, & ſequitur Alterius *diſp.* 10. *cap.* 2. *col.* 5. *verſ. Quoad Familiares.* Unde domeſtici, qui alicui, tamquam capiti ſubſunt, ab eoque victum, vel mercedē recipiunt, dicuntur familiares. Quis autem dicatur Familiaris Papæ habetur *ex dicto cap. fin. de verb. ſignif.* Nec obſtat ſi extra domum degat, dummodo in neceſſariis domi, aut Foris adſit; & ab eo victum recipiat. Ità Bonacin. *tom*: 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 12. *pun.* 2. *n.* 13. & alii allegati per ipſum. Hoc ergo ſuppoſito, & prænotato, dico, quòd ſtante ſubiectione immediata ipſorum familiarium ad Romanum Pontificē, non ſubſunt juriſdictioni Ordinarii, & hoc patet *ex cap. cum perſonæ de privil. in* 6. Hæc autem exemptio, quæ dicitur perſonalis facit, quod perſona à nullo Ordinario, vel Judice delegato, ex-

Digitized by Google

excommunicari, interdici, vel ſuſpendi poſſit; Ità docet Sylveſt. *verb. Exempto num.* 2. *&* 4. Nam privilegium, quod ſolet concedi Capellanis, & Familiaribus Papæ habet vim, quod non poſſit Ordinarius, nec ratione delicti illos punire, quia aliàs privilegium illorum eſſet inutile, quod eſt abſurdum aſſerere; colligitur *ex cap. Si Papa de Privileg. in* 6. Quare cum ſolus Papa, aut ejus de Latere Legatus poſſit cognoſcere de cauſis contra exemptum, ut habetur *in cap. poſt tranſlationem de offic. Legat.* ſequitur profectò, nullatenus poſſe Epiſcopum, nec ſua lege tales Familiares Papæ ligare, nec ullo modo in eorum cauſis ſe intromittere, quia gaudent exemptione, quæ eſt quædam liberatio à poteſtate Ordinarii, ac proinde non ſubſunt ejus jurisdictioni, cum non ſint amplius de ejus foro. Inſuper probatur aſſertum ex eo, quia Familiares Domini Papæ intelliguntur corporis ejus, ut ait Gloſ. *cap. Dilectus de Cler. non reſid.* atque illius corporis dicuntur membra viva, cum ſint ei immediatè ſubjecti; ideòque neceſſariò cenſendi ſunt exempti à juriſdictione Ordinariorum, dum quippe repugnat, ut unius corporis membra pluribus ſubſint capitibus in ſpiritualibus, vel temporalibus; Unde rectè docet Barboſ. *in Trid. Seſſ.* 23. *de reform. cap.* 9. *num.* 4. Poſſe Vicarium Sanctiſſimi ordinare Familiares, ſeu Officiales Papæ in curia reſidentes, qui per triennium habitaverint in Urbe, ex quo ſanè elicitur hujuſmodi familiares exemptos eſſe à Juriſdictione Ordinarii, ac proinde non poſſe ab eo, à cujus juriſdictione ſunt exempti, excommunicari, ſuſpendi, aut interdici, vel in eorum cauſis ſe ingerere. Colligitur *ex cap.* 2. *ad fin. de in integrum reſt. cap.* 4. *de privil.* Et ex Clem. 1. §. *nonnulli de exceſſ. Prælat.* Immo neque ipſi exempti poſſunt Ordinarii juriſdictionem prorogare ſine conſenſu Romani Pontificis, cui immediatè ſubſunt. Deducitur *ex cap. cum tempore in fin.* & ibi Abbas *num.* 2. *de arbit.* & alii plures.

1405 Inter. 4. Poteſtne Summus Pontifex committere Sacerdoti non Epiſcopo facultatem conferendi Ordines ſacros?

Reſp. Non poſſe, docent plurimi, quos refert, & ſequitur Sanchez *tom.* 2. *Opuſc. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 18. *num.* 10. & ratio eſt, ut in terminis loquitur ipſe Sanchez, quia cum Minores Ordines non habeant neceſſariā poteſtatem ſuper Corpus Chriſti verum, quia non miniſtrant immediatè Sacerdoti, ſed Diacono, & Subdiacono, ſed ſunt miniſtrorum miniſtri, ideò poteſt Papa illorum collationem committere ſimplici Sacerdoti, ſecùs de majoribus Ordinibus, eo quod neceſſariam habent poteſtatē ſuper Corpus Chriſti verum, aut conſecrandi, aut materiam Sacerdoti miniſtrandi. Hæc eſt ſententia S. Thomæ *in* 4. *diſtin.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 3. & ſervatur in praxi teſte Sylveſtro *verb. Ordo* 3. *n.* 7. Vide Bonac. *de Sac. Ordinis diſp.* 8. *qu. ult. pun.* 4. *ſub num.* 3. qui pro hac noſtra ſententia alios adducit. Oppoſitū tamen docet Diana *part.* 8. *tractat.* 1. *reſ.* 34. 35. *&* 36. quamquam fateatur noſtram ſententiam eſſe communem.

1406 Inter. 5. Poteſtne Summus Pōtifex ſolo verbo Sacerdotes creare, dicens. Eſto Sacerdos?

Reſp. Pulchra quidem quæſtio eſt inter DD. an id Papa facere valeat: Nonnulli enim affirmant, ut Angelus, quem refert, & ſequitur Felinus *in cap.* 1. *de Conſt. num.* 23. Decius *ibidē lect.* 1. *num.* 5. Rebuffus, Gigas, Victoria *de Sac. Ordinis quæſt.* 5. & alii, quorum fundamentum videri poteſt apud Dianam *loco ſupra cit. reſ.* 28. qui tamen aſſerit communem eſſe Theologorum ſententiam, non poſſe Papam ſolo verbo Sacerdotes creare, ex eo quia non habet poteſtatem immutandi jus Divinum, nec alterandi materias, aut formas Sacramentorum nobis à Chriſto Domino determinatè relictas

lictas &c. Et ità puto tenendum omnino, ut poſt alios docet Philiarcus *de Offic. Sacerdotis par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *per totum* teſte idem Diana *ubi ſup.*

1407 Inter. 6. Summus Pontifex poteſtne diſpenſare ne ipſe, vel alius confiteatur?

Reſp. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 17. quem citat, & ſequitur Sylveſt. *verb. Confeſ.* 2. *qu.* 6. *num.* 5. dicit, quod Papa nō poteſt tollere Sacramentorū neceſſitatem, ſicut nec inſtituere nova Sacramenta; Et ſic etiam Summus Pontifex confiteri tenetur, ſicut cæteri; nam licèt ipſe non habeat Superiorem in quantum Papa, habet tamen in quantum peccator: Diſpenſare tamen poteſt, ut quis differat confeſſionem ultra annum, non obſtante *cap. Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* cum ſit de jure poſitivo dumtaxat confiteri ſemel in anno; Papa verò eſt ſupra jus poſitivum, ultra quod poteſt differri confeſſio ultra tempus præceptū de ſententia Confeſſarii, aut ex juſta aliqua cauſa, ut docet Em. Sà *verb. Confeſſ. n.* 2. ergo à fortiori de licentia Summi Pontificis. Verum eſt tamē, quod mortalia de jure Divino ſunt confitenda ante ſumptionem Euchariſtiæ, itemque in articulo mortis, vel in ejus probabili periculo, & in hoc Papa diſpenſare non valet. Vide à me dicta *in tit. de Moribundis, & Morti proximis ad Inter.* 3. Em. Sà *loco citat. num.* 4. & 5. qui idem aſſerit.

1408 Inter. 7. Poteſtne Summus Pōtifex diſpenſare in matrimonio rato, & non conſummato?

Reſp. Matrimonium ratum vocatur conjugium ex ſolo conſenſu per verba de præſenti, & licèt in hoc ferè omnes Theologi dicant Papam non poſſe diſpenſare, quia ſicut matrimonium legitimè conſummatum nullo modo ſolvi poteſt, niſi morte naturali, ſimiliter, nec ratum, niſi morte naturali, aut civili; Tamen malo tenere cum opinione Canoniſtarum, ſcilicèt poſſe Papam diſpenſare, primò quia matrimonium in quantum Sacramentum, ratificatur conſtitutione Eccleſiæ, quæ ratificatio eſt, ut alter altero vivente contrahere non poſſit, ùnde ratificationem Papa tollere poteſt non ſolùm de poteſtate abſoluta, ſed etiam ordinaria quando ſubeſt cauſa: ſecundo quia matrimonium ratum, & non conſummatum ſignificat unionem Chriſti cum anima per gratiam, & ideò non habet omnimodam indiſſolubilitatem, ut matrimonium conſummatum, quod ſignificat unionem verbi cum natura humana, & unionem, ſeu conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt omninò indiſſolubilis, ut docent communiter Theologi, & Fide credendum eſt, & Innoc. III. *c. debitum de Bigamis*, expreſsè definit matrimonium ratum ſignificare unionem per charitatem, conſummatum verò per carnem aſſumptam; Unde D. Antoninus 3. *par. tit.* 1. *c.* 22. videtur eſſe cum Canoniſtis, & dicit ſe legiſſe Bullas Martini V. & Eugenii IV. in quibus diſpenſatum eſt circa hoc, & hanc ſententiā, præter Canoniſtas amplexī ſunt etiam plures Theologi, ut Cajet. *Quodlib.* 1. *q.* 3. Navar. *in man. c.* 22. *num.* 21. Ambroſ. Catherinus, Valentia, Bellar. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 14. Bonac. *de Matr. quæſt.* 2. *pun.* 11. *n.* 4. Diana *par.* 8. *tr.* 1. *reſ.* 62. & *tract.* 3. *reſ.* 97. & alii apud ipſos. Vide Emm. Sà *verb. Matrim. num.* 16.

1409 Inter. 8. Poteſtne Papa diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, & obdientiæ?

Reſp. Utriuſque partis aſſertores refert Diana *par.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 100. & quamvis ipſe ſententiæ affirmativæ adhæreat, tamen fatetur ſententiam negativam S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 11. & aliorum eſſe probabiliorem, & hoc mihi ſufficit: Rationes utriuſq; opinionis videbis apud ipſum Dianam, ego enim brevitati ſtudeo, maximè in hac reſponſione, quæ magis eſt curioſa, quàm utilis pro inſtituto noſtro.

I TI-

TITULUS CLX.

De Parochis.

Vide tit. de Abſol. à pec. Inter. 11. tit. de Aetat. &c. Inter. 6. tit. de Cler. &c. Inter. 1. tit. de Concionat. &c. Int. 3. & ad quæſ. 3. & 4. tit. de Decim. tit. de Electione. &c. Inter. 7. tit. de Eleem. Inter. 13. tit. de Epiſcopat. &c. Int. 34. 58. 63. tit. de Exam. quoad ſcien. &c. Int. 2. tit. de Fid. prof. Inter. 1. 2. 3. tit. de Ignor. Inter. 15. tit. de Impedim. dir. &c. Inter. 2. tit. de Infirm. Inter. ult. tit. de Laic. Int. 2. tit. te Monial. Int. ult. tit. de Moribun. &c. Inter. 11. 12. 17. tit. de oblat. fidel. ad quæſ. tit. de Opin. Inter. ult. tit. de Pixid. ad quæſ. tit. de Præc. an. Com. Inter. 2. tit. de Regul. Inter. 18. 24. 33. 34. 81. 82. 90. 101. & ad quæſ. 5. tit. de Reſid. Inter. 4. 5. 7. tit. de Sac. Inter. 12. 13. tit. de Sac. Extr. Unct. Inter. ult. tit. de Sac. Matrim. Int. 6. 7. 13. 15. & ſeqq. & ad quæſ.

1410 INner. 1. Quibus diebus tenetur Parochus Miſſam celebrare?

Reſp. Præciſa alia obligatione, vel Superioris præcepto, tenetur celebrare ſaltem ſingulis diebus, quibus Populus tenetur miſſam audire, ut muneri ſuo ſatisfaciat, niſi alium ſubſtituat. Navar. *in Man. cap.* 25. *num.* 134. Toletus *lib.* 2. *cap. ſub n.* 1. Emm. Sà *verb. Parochus ſub num.* 7. *in Addit.* Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 7. *num.* 4. Sed Populus tenetur miſſam audire ſingulis Dominicis, & diebus feſtis de præcepto, ergò in his diebus tenetur Parochus per ſe, vel per alium celebrare. Vide Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 26. & Rotarium *de Exam. Cler. cap.* 9. *ſect.* 3. *num.* 5. *per totum.*

1411 Inter. 2. Parochus dum pro ovibus ſuis celebrat, teneturne illis Sacrificii fructum applicare?

Reſp. Non ſemper ſingulis Dominicis, & Diebus feſtis eſt obligatus illis fructum Sacrificii applicare, ut putant aliqui, ſed ſolùm in præcipuis ſolemnitatibus Domini, & Dominicis diebus, aut ſaltem ſemèl in hebdomada Sacrificium ſuo Populo applicare tenetur, juxtà id, quod docet idem Bonac. *ubi ſuprà ſub num.* 5. *propè finem.* Alii verò apud Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 26. quos ipſe ſequitur, dicunt, quod Parochus ex vi Beneficii Parochialis non teneatur ad offerendam miſſam pro Populo, quia obligatio Parochi ad id nullo jure ſcripto, aut conſuetudine introducta probari poteſt, nec ex inſtitutione Beneficii Parochialis deducitur proventus Paſtorales præcisè, ut celebret ad intentionem Populi, ſed ratione totius Officii, & conſequentèr nunquam teneatur pro ovibus ſuis Miſſam applicare. Ego tamèn dico, Parochum teneri aliquando jure divino Sacrificium pro ſuis ovibus offerre, ut dicitur in Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* & prætereà cum Suarez *in* 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 86. *ſect.* 1. *propè finem*, Parochum teneri ſingulis diebus feſtis miſſæ Sacrificium ſuis ovibus applicare. Nam Paſqualig. *de Sacrific. Miſſæ quæſt.* 851. *num.* 7. refert Sac. Congregationem quatèr decreviſſe teneri Parochum ſimplicem diebus Dominicis, & aliis feſtis de præcepto applicare Sacrificium pro ſuis ovibus, & ad id poſſe etiam compelli per cenſuras, nec Eleemoſynam pro his miſſis recipere poſſit. Vide eundem Paſqualig. Et tandem invenio Sac. Congregationem Concilii 10. Maii 1681. Cenſuiſſe Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque cum diſtinctione, ut ſi reditus pingues ſint, ſingulis diebus, ſi verò tenues, ſaltem diebus feſtivis, ergò, &c. Sed vide Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 9 *ſect. num.* 2. & 3. ubi refert confirmationem de hac re factam ab Innoc. XII. die 24. Aprilis 1699

1412 In-

1412 Inter. 3. Parochus in illis diebus, in quibus tenetur miſſam celebrare, ut Populus eam audiat, poteſtne pro ea miſſa manualem eleemoſynam recipere?

Reſp. Ex proximè dictis, miſſam quibus diebus tenentur Parochi celebrare, non poſſunt pro ea manualem eleemoſynam recipere, Ita determinavit Sac. Card. Congreg. *ſub die* 1. *Septembris* 1629. teſte Cellio, & Barboſa apud Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 232. Vide proximam præcedentem reſponſionem, in fine, & tene quod dixi.

1413 Inter. 4. Parochus poteſtne cogi ab Epiſcopo ad certum miſſarum numerum in hebdomada præter dies feſtos?

Reſp. Poteſt cogi pratèr dies Dominicos, & reliquos dies feſtos, ut ter in hebdomada, aut etiam ſæpius, quo vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem Sacrificii uſum poſtulabit, miſſam celebret; Nam Epiſcopo impoſitum eſt onus in Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 14. curandi, ut Sacerdos curam Animarum habens tam frequenter miſſas celebret, ut ſatisfaciat muneri ſuo. Bonacina *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 7. *num.* 4.

1414 Inter. 5. Poteſtne Parochus cogi ab Epiſcopo ad ſubminiſtrandum Presbyteris neceſſaria celebrare volentibus in Parochiali?

Reſp. Sac. Rituum Congregatio 10. *Junii anno* 1652. apud Dianam *in ſum. verb. Epiſcopi Juriſdictio n.* 82. cenſuit non poſſe cogi, *&* *par.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 54. propè finem, idem aſſerit.

1415 Inter. 6. Parochus Ruralis, qui multum diſtat ab eo, qui ejus confeſſionem audire poteſt, & feſtis diebus celebrare tenetur, poteſtne non præmiſſa confeſſione ſacrum facere?

Reſp. Maximè, dummodò tamen ſit contritus, & peccandi occaſionem amoveat. Victoria *de Euchar. num.* 79. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 1. *à num.* 6. *&* *alii omnes*: Tamen non ſemper hoc licèt, ſed ſemel, vel bis ad ſummum, ut rectè docent aliqui, & præſertim Corradus, & rectè quidemnam non ſunt laxandæ habenæ.

1416 Inter. 7. Valetne Epiſcopus ad novum examen vocare Parochum, licèt ratione perpetui beneficii habeat facultatem à jure audiendi confeſſiones?

Reſp. Mihi videtur poſſe, quia ſicuti quis poteſt ob crimina privari beneficio, ità etiam juſta de cauſa poteſt privari uſu illius, & pro hac ſententia ſunt Vaſquez, Zerola, Reginaldus, & Filliucius, quos refert, & ſequitur Bonac. *de pœnit. diſp.* 5. *q.* 7. *pun.* 4. §. 1. *num.* 16. *propè finem*, ita tenet etiam Barboſ. *de officio Parochi cap.* 2. *num.* 13. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 59. & alii apud ipſos, & ratio ipſa ſuadet, cum recta adminiſtratio Sacramentorum, præſertim pœnitentiæ, ac Animarum cura, neceſſariò requirat ſcientiam, quam Epiſcopus per examen poteſt in illo inveſtigare, an ſit extenuata, & boni mores mutati, vel non, & ità cenſuit Sac. Congreg. Concil. in una Placentina ſub *die* 6. *Auguſti* 1628. teſte eodem Barboſ. *loco cit. Vide ad Inter.* 26. *hujus tit.*

1417 Inter. 8. Teneturne Parochus ſub pœna peccati mortalis audire confeſſiones Subditi, toties quoties ille voluerit confiteri?

Reſp. Multi DD. aſſerunt Parochum teneri, vel per ſe, vel per alium, confeſſiones ſubditorum audire toties quoties ipſi voluerint, & ratio horum eſt, quia Parochus ex officio tenetur ſuis Subditis Sacramenta miniſtrare, & ſubditi habent jus petendi. Navar. *in Man. cap.* 25. *num.* 131. Em. Sà *verb. Parochus num.* 4. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.* 4. §. 2. *n.* 23. qui plures concordantes refert, idem docet Azor. Coninch. & Molfeſius apud Dian. *par. tract.* 16. *reſol.* 2. Alii verò dicunt, quod ſi Subditus non tenetur de præcepto confiteri, nec

Digitized by Google

Parochus obligatur audire, niſi de conſilio, & pro hac ſententia ſunt plures, ut Sylv. *verb. Confeſſor* 1. *q.* 18. Medina, Riccardus, Armilla, & Reginaldus *in praxi tom.* 1. *cap.* 8. *n.* 18. Mihi tamen videtur dicendum inſpiciendum eſſe, quid unicuique pœnitenti conveniat, nam ſi pœnitens importunè, & nimis frequenter confiteri velit abſque gravi neceſsitate, non videtur peccare mortaliter Parochus Sacramentum non conferendo, quia habenda eſt etiam ratio aliorum negotiorum, & obligationum, quibus præmuntur Parochi, qui quidem non tenentur maximum laborem, & diligentiam adhibire, ſed moderatam, juxta prudentis judicium, ut rectè docet Suarez *de pœnit. diſp.* 32. *ſect.* 1. *num.* 5. cui ſubſcribit Bonac. *ubi ſup. prop. fin.* Sed vide Poſsivinum de officio Curati *cap.* 5. *quæſt.* apud Dian. *loco cit. verſ. Tertia opinio, & ſeqq. Reſ.*

1418 Inter. 9. Teneturne Parochus audire Confeſsiones ſuorum ſubditorum toties, quoties requiſitus fuerit?

Reſp. Ad tale dubium jam ſatis me explicavi *ad Inter. antecedentem* tamen hic clarius dico, Parochum abſolutè teneri ſub pœna peccati mortalis, quando urget præceptum confitendi, nimirum tempore ſatisfactionis præcepti de confitendo ſemel in Anno; Item tempore Jubilæi, & ſaltem ſemel in hebdomada audire confeſsionem ſuorum Parochianorum; & licèt Parochus non habeat debitum continuè tempus inſumendi pro ſuis ovibus: ſed congruis temporibus; tamen quando aliquis inſtanter petit Confeſsionem, & rationabiliter ſuſpicari poteſt, eſſe in ſtatu peccati mortalis, certò ſub mortali tenetur Parochus illum audire, cum in re gravi ſuo muneri tunc deficeret. Cœterum ſi qui Confeſsionem petit, eſt perſona devota, aſſueta ſæpius confiteri, puto non eſſe peccatum mortale per duos dies illam Sacramentaliter non audire. Vide Jacobum Mancinum *praſtica* 4. *dub.* 43. qui latè de tali dubio loquitur. Immò Bordonus *in conſ. regul. tom.* 1. *reſ.* 34. *quæſt.* 21. apud Dianam *par.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 90. inquit, quod ſi quis vellet bis, aut quater in hebdomada cõfiteri, crederet poſſe reiici ſine peccato; Sed ego hoc puto verum, quando quis nimis frequenter confiteri velit abſque gravi neceſſitate, & non aliàs; idcircò, ut dixi ſupra, Parochus prudenter ſe gerat, ne propter Sacramenti denegationem, ſeù dilationem mortaliter peccet. Ne deferas videre Jacobum Mancinum *loco cit.* & Dianam *par.* 11. *tract.* 8. *reſol.* 29.

1419 Inter. 10. Parochus poteſtne audire Confeſſiones in tota Diœceſi ſui Epiſcopi? Et ſi dimittit beneficium Parochiale, poteſtne abſque nova approbatione Confeſſiones excipere?

Reſp. Licèt Parochus in aliena Parochia, & ubique locorum poſſit audire Confeſſiones ſuorum ſubditorum, ut firmavi *in tit.* 42. *de Confeſſariis, ad Inter.* 3. tamen aliorum Confeſſiones non poteſt excipere, niſi in ea Civitate, vel Oppido ubi ſita eſt ſua Parochia; nam ibi dumtaxat approbatus cenſetur, & ſic non poteſt paſſim per totam Diœceſim Confeſſiones audire. Ità docent Piaſcecius *in praxi Epiſcop. par.* 2. *cap.* 1. *n.* 10. *pag.* 92. Homobonus *de bonis de exam. Eccleſ. par.* 1. *tract.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 15. Squillante *de privil. Cler. cap.* 1. *n.* 73. Barboſ. *par.* 2. *alleg.* 25. *num.* 18. *de poteſt. Epiſc. & de Officio Parochi c.* 19. *num.* 3. Vide eundem Barboſ. *in Collect. ad Triden. ſeſſ.* 23. *de reform. c.* 15. *num.* 19. qui ex Dalvino ità refert deciſum; dicit tamen, quod virtute Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi ſit eligibilis ad audiendas Confeſſiones, & plures cocordantes refert: ſed hoc non admittitur à Raynaldo; Vide igitur quæ dixi ſupra *in tit.* 126. *De Jubilæo, ad Inter.* 6. *& infrà in hoc titulo, ad Inter.* 17. Cœterum Parochus dimiſ-

dimiſſo beneficio Parochiali, non poteſt amplius abſque nova approbatione Confeſſiones audire, nec cenſetur idoneus, & approbatus ad illas audiendas tempore Jubilæi, ut optimè reſolvunt plurimi Doctores cumulati per Barboſam *in Collect. ad Trident. loco cit. num.* 21. *& de officio Parochi dicto cap.* 19. *num.* 6. Vide Lezanam *tom.* 2. *verſ. Parochus num.* 6. *in fine*, & Dianam *par.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 47.

1420 Inter. 11. Quidam Parochus noluit ſtatim abſolutionem Sacramentalem ſuo Parochiano impertiri propter conſuetudinem peccandi, quam habebat; præſertim circà unum peccatum mortale; poſt duos dies occiſus fuit dictus Parochianus ab inimicis, quæro an Parochus ſit reus Animæ illius occiſi?

Reſp. Dico quod non; quia damnatio Parochiani ſine Confeſſione, vel abſolutione demortui non adſcribitur Parocho; nam non dicitur cauſa proxima, & per ſe, ſed per accidens, & remota hujuſmodi damnationis, conſequenter nullius in hoc peccati reatum ſubibit Parochus; nàm recidivi, & conſuetudinarii, non debent ſtatim abſolvi ut dixi *in tit.* 47. *de Conſuetud. ad Inter.* 1. *& ſeqq.* dummodo tales recidivi, & conſuetudinarii ſani ſint, & nō in periculo mortis conſtituti; cedit enim dilatio abſolutionis in remedium animarum ipſorummet recidivorum, ne ſcilicet Deum facilè, & habitualiter offendant; ideoque id Parochus, aut alius Confeſſarius agens non peccat, quià ſuo fungitur munere, nec pœnitentis damnationi, ſi interim moriatur recidivus, cooperari cenſetur, ità ut illius damnatio Confeſſario adſcribatur. Ità rectè docet Jacobus Mancinus *pract.* 5. *dub.* 43. *circa finem*. Notent tamen Confeſſarii, quod quando repellunt pœnitentes recidivos, ſeù conſuetudinarios ab abſolutione, ad actum contritionis ſuorum peccatorum excitare debent; quià ſi interim moriantur, eis contritio ſufficiet ad ſalutem, ut benè addit idem Mancinus *loco cit.*

1421 Inter. 12. Parochus, qui ex auditis in Confeſſionibus expertus eſt in pollutionem conſentire, peccatnè Confeſsiones audiendo, dum determinatus eſt non prolabi, quamvis eas auſcultet? & teneturne Officium deſerere?

Reſp. Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 2. *pun.* 9. §. 3. *numer.* 11. *&* 13. docet Parochum non eſſe obligatum deſerere officium, etſi experiatur voluntariè pollui occaſione aſſumpta ex auditis in Confeſſione, ſufficit enim, inquit, ſi proponat amplius non conſentire; Idem docuit Sancius *in ſelect. diſp.* 21. *num.* 9. ubi ſic inquit. *Parochus, qui ex auditis in Confeſſionibus expertus eſt in pollutionem conſentire non peccat Confeſſiones auſcultando, dum determinatus ſit non prolabi, quamvis eas auſcultet*. Hanc ſententiam ſequitur Gabriel Beatus *quæſt.* 58. *num.* 21. Sed meritò reiicitur à Villalobos, Leone, Megala, Leſsio, Jo: de la Crux, & aliis, quibus aſtipulatur. Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 3. Et ratio eſt, quià ob nullam rem poteſt quis ſe exponere formali periculo peccandi; nàm qui amat periculum, peribit in illo. Vide igitur Dianam, qui optimè hanc ſuſtinet ſententiam & etiam ea, quæ dixi egomet *in tit.* 42. *de Confeſſariis, ad Inter.* 14. & hanc ſententiam tene ſi non vis errare; nam quilibet tenetur propriæ ſaluti conſulere, etiam cum aliquo detrimento temporali.

1422 Inter. 13. Parochus poteſtne à ſuſpenſionibus non reſervatis abſolvere, ſicut poteſt ab excommunicationibus non reſervatis, ut dixi *in tit.* 4. *de Abſol. à Cenſuris, ad Int.* 5.

Reſp. Inter DD. valdè contravertitur an poſsit Parochus, vel alius Confeſſarius à ſuſpenſionibus non reſervatis abſolvere, ſicut poteſt ab excommunicationibus ex *cap. Nuper de ſent. excomm.* Quidam enim dicunt, quod

quod ratio textus ſit eadem, conſequenter ſi poteſt ab excommunicationibus non reſervatis abſolvere, poſſit etiam à ſuſpenſionibus, quia ubi eſt eadem ratio, eſt eadem juris diſpoſitio; Alii verò negant, & dicunt quod abſolutio ab excommunicatione neceſſariò præmittenda eſt ante abſolutionem peccatorum. Sed quidquid ſit de hoc, mihi certum videtur cum Bonac. *tom. 3. de Cenſur. in particulari, diſp. 3. quæſt. 3. pun. 3. num.* 8. non poſse Parochum, vel alium Confeſſarium à ſuſpenſione, præſertim lata ad tempus abſolvere, quia juxtà multorum DD. ſententiam, nec Epiſcopus ab hujuſmodi ſuſpenſione lata ad tempus abſolvere valet, & ſic multò minus poteſt Parochus, aut quivis alius Confeſſarius, nam quando caſus non eſt ſimilis, non poteſt extendi per identitatem rationis, ut docent DD.

1423 Inter. 14. Parochus qui generalem obtinuit facultatem ab Epiſcopo abſolvendi ſibi ſubditos à caſibus reſervatis, ſi ipſemet in aliquod peccatum reſervatũ, incidit, poteſtne Confeſſario ſuo facultatem abſolvendi ſe ipſum committere?

Reſp. Cabrinus *in Elucid. caſ. reſerv. par. 1. reſol.* 19. contrà nonnullos oppoſitum ſentientes, rectè probat poſſe Parochum in dicto caſu eamdem poteſtatem Confeſſario ſuo committere exercendam erga ſeipſum, ſi tali abſolutione indigeat, niſi ex conſuetudine, aut aliunde nõ conſtet aliam eſſe delegantis voluntatem. Et ratio ipſius eſt, quià poteſtas delegata reſpectu omnium ſubditorum, ſeù reſpectu totius Communitatis ex quadam æquitate extenditur etiam ad Paſtorem Communitatis, & hæc interpretatio meritò fieri poteſt, inquit ipſe; quia ſumus in re favorabili, cujuſmodi eſt hoc Principis beneficium, quoad caſuum reſervationem, ſeù difficultatem abſolutionis, & venit obtinendæ: & affert aliàs rationes, vide illas ſi placet apud ipſum, & etiam vide Layman *lib.* 5. *tract. 6. cap.* 10. *num.* 17. & Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *q.* 7. *pun.* 5. §. 2. *num.* 7. & ea quæ dicam *in tit.* 237. *ad ad Inter.* 4. loquens de Vicario Generali Epiſcopi; nam militat eadem ratio.

1424 Inter. 15. Parochus poteſtne eſſe Vicarius Epiſcopi, vel Capituli ſede vacante? Et habetne juſtam cauſam non reſidendi ſi Epiſcopo inſerviat?

Reſp. Non poſſe eſſe Vicarium Epiſcopi, aut Capituli ſede vacante, niſi Eccleſiæ Cathedralis Parochus ſit, reſolvit Riccius *in deciſ. Curiæ Archiep. Neapolit. par.* 4. *deciſ.* 319. Nec habet juſtam cauſam non reſidendi, licèt in ſervitio Epiſcopi, aut Eccleſiæ Cathedralis permaneat, ut v. g. ſit Vicarius, Viſitator, Secretarius, Fiſcalis &c. nam ſecundum Sac. Congregationem Concilii non excuſat ſervitium Epiſcopi, aut paucitas ovium, aut defectus domus propriæ, debet enim illã conducere, ut *dicã in hoc tit. ad Inter.* 20. Vide Emm. Sà *verb. Reſidentia ſub num.* 1. & plures alios, quos refert, & ſequitur Barboſ. *in collect. ad Triden. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reformat. num.* 52. 53. & 54.

1425 Inter. 16. Poteſtne Parochus prohibere ſibi Subditis ne confiteantur alteri Sacerdoti approbato, præſertim Religioſo?

Reſp. Non poteſt, nam facultas conceſſa Sacerdoti, ſeù religioſo approbato, cenſetur quaſi relativa, itaut eò ipſo, quòd Religioſus fuit approbatus, & ad Confeſſiones audiendas ab Epiſcopo admiſſus, cenſeatur etiam data facultas Parochianis, ut queant ſua peccata confiteri hujuſmodi Sacerdoti, nec amplius tenentur proprio Parocho eadem peccata confiteri. Ità pluribus relatis firmat Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 4. *num.* 35. Immò nota, quòd aſſerentes con-

confeſſos Religioſis ab Epiſcopo approbatis iterum eadem peccata teneri confiteri Parocho, ſunt de hæreſi ſuſpecti, & ſunt denunciandi S. Officio; Quapropter Joannes de Poliaco, qui pertinaciter id aſſerebat, fuit Romam vocatus à Joanne XXII. Anno 1322. & compulſus palinodiam recantare, ut patet ex Extravag. quæ incipit: *Vas electionis*: & tandem Syxtus IV. conceſſit Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ut hoc delictum punire valeant, teſte Diana *par.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 102. & eſt communis ſententia. Sed vide propoſitionem 20. damnatam ab Alexandro VIII. Anno 1690. die octava. Decembris.

1426 Inter. 17. Poſſuntne Parochi tutè uti opera Parochorum aliarum Diœceſum ad excipiendas Confeſſiones in ſua Parochia?

Reſp. Affirmat Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 146. & dicit etiam, quòd Parochi per Bullam, Jubilæum, &c. ſint eligibiles per totum mundum ad Confeſſiones audiendas ſine approbatione Epiſcopi, & *par.* 11. *tr.* 4. *reſ.* 13. *verſ. Concedo tamen*, iterum confirmat dicens poſſe Parochum exponere in ſua Parochia ad confeſſiones excipiendas alium Parochum, quia Parochi poſſunt ubique locorum, abſque alia Epiſcopi approbatione Confeſſiones audire de licentia Parochi, & pro hac ſua tuenda ſententia, rationes, & auctoritates DD. adducit; plures alios refert Barboſa *in Collect. ad Tridentin. Seſſ.* 23. *de reform. cap.* 15. *numer.* 19. Verùm hæc ſententia non poteſt ſubſtinere, quia non ſolùm Epiſcopi poſſunt id licitè, & rationabiliter prohibere, ſed etiam quia Sac. Congregat. Concilii, teſte Garcia *de benefic. tom.* 1. *par.* 5. *cap.* 8. *num.* 87. & Armendario apud Raynaldum *tom.* 1. *obſervat. ad cap.* 10. *ſupplem.* 1. *num.* 36. cenſuit, quòd obtinens Parochiale Beneficium in una Diœceſi, non poſſit in alia Diœceſi abſque loci Ordinarii approbatione eligi in Confeſſarium ab habentibus privilegium vigore Jubilæi, vel ab habentibus licentiam à Parocho; Ergò non poſſunt Parochi, uti opera Parochorum aliarum Diœceſum ad audiendas Confeſsiones in ſua Parochia, ſine approbatione, aut licentia Epiſcopi: Qua pœna autem ſint puniendi aliter facientes, docet idem Raynal. *loc. prox. cit. num.* 37. & *ſeqq.* Vide ſupra *ad Int.* 10.

1427 Inter. 18. Poteſtne Parochus in hebdomada Sancta, vel tempore Jubilæi, in quo concurrunt plures Confeſsiones, exponere aliquem Doctum Sacerdotem ad excipiendas Confeſſiones ſuorum Parochinnorum, vel ſaltem alium Confeſſarium approbatum in aliqua Diœceſi, præſertim ſi non ſit facilis recurſus ad Epiſcopum longè diſtantem?

Reſp. Dico primò, nullo modo poſſe Parochum ſuam delegare juriſdictionem Sacerdotibus non approbatis ab Ordinario, quia Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 15. ſine ulla exceptione requirit in omnibus Confeſſariis Sæcularium approbationem Epiſcopi, nec valet dicere, quando difficilis eſt recurſus ad Summum Pōtificem propter inopiam perſonę, aut alio juſto titulo, Epiſcopum poſſe diſpenſare in votis, & aliis reſervatis Summo Pontifici, ità ſimiliter quando non eſt facilis recurſus ad Epiſcopum, & urget neceſsitas ob multitudinem Confeſsionum, poſſe Parochū idoneum Sacerdotem approbare pro tali caſu, ſaltem quia rationabiliter credi poteſt, quòd ſi Epiſcopus adeſſet, approbaret illum, & quòd ratam habiturus ſit talem approbationem, ut docent Henriquez cum Ludovico à Cruce apud Dianam *par.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 75. *verſ. Verum ex his*; nam hoc videtur apertè repugnare diſpoſitioni Tridentini *loco citat.* ut optimè cum Trullencho reſolvit idem Diana. Dico 2. quòd nullus, etiam Regularis Societatis Jeſu, in una Diœceſi ab Epiſcopo approbatus ad Confeſsiones ſæcula-

cularium audiendas, poteſt in alia Diœceſi hujuſmodi Conefeſsiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani, ut decrevit Innocentius X. in cauſa Angelopolitana Juriſdictionis, *ſub die 9. Maii* 1648. teſte Diana *ubi ſupra, verſ. Verum*, contra Leandr. conſequenter non poteſt Parochus exponere ad Confeſsiones ſuorum Subditorum audiendas alium Sacerdotem approbatum, niſi à proprio Ordinario. Expedit enim Epiſcopo, ut noſcat ſuos cooperarios, cum ei incumbat principaliter cura animarum. Vide Raynaldum *tom. 1. obſerv. ad cap.* 10. *ſupplem.* 1. *pag.* 140. *num.* 28. *& ſeqq.* qui ex profeſſo de hac tractat dubitatione, & latè, & perdoctè firmat, ut breviter dixi. Vide etiam iterum Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 110. & ea quæ dixi *in tit.* 155. *ad Inter. ult.*

1428 Inter. 19. Parochus teneturne ſemper domi manere, ad hoc ut vocatus ad Sacramenta miniſtranda citò adſit?

Reſp. Quamvis reſidentiam continam, & talem ſui copiam facere debeat Parochus, ut indigentes non careant neceſſaria ope, non arctatur tamen, ut debeat manere quaſi in compedibus, unde non poteſt Parochus dici negligens ex eo ſolùm, quòd tempore, quo fuit vocatus, non erat domi, niſi quando habet infirmos gravatos morbo, nam tunc tenetur aſsiſtere, & curare ne aliquis abſque Sacramentis moriatur. Vide Barboſam *de Offic. Parochi par.* 1. *cap.* 8. *num.* 43. *& in Collect. ad Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform. num.* 49. Raynaldum *tom.* 1. *obſerv. cap.* 10. *§.* 8. *ad* 11. *pagin.* 534. *num.* 11. Rotar. *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 9. *Sect.* 2. *num.* 5. *&* 6. & ea quæ dicam *in tit.* 191. *de Sacramentis ad Int.* 12.

1429 Inter. 20. Debetne Parochus neceſſariò habitare in propria Parochia?

Reſp. Sac. Cardinalium Congregatio declaravit, quòd habitatio Parochi debet eſſe prope Parochiam; quæ dictio refertur ad modicam quantitatem, ut ex Riccio *par.* 4. *deciſ.* 41. *per totam*, docet Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 156. *in fine*. Dico igitur, quòd Parochus debet reſidere in Domo ipſius Parochiali, ſi habet, ſecus ſi non habeat, debet reſidere in alia, quæ ſit intra limites Parochiæ, aut ſaltem ità vicina Parochiali Eccleſiæ, ut inde commodè poſſit per ſe ipſum inſervire. Si verò Eccleſia Domum non habeat, Parochus aliquam conducere debet, quia non excuſatur à reſidentia ex eo quòd non adſit commoda Domus Parochialis, ut referunt deciſum plures Doctores allegati per Barboſ. *in Collect. ad Trid. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 1. *num.* 45.

1430 Inter. 21. Parochus tempore peſtis poteſtne abeſſe à ſua Parochia, & teneturne omnia Sacramenta miniſtrare ſuis Parochianis peſte infectis?

Reſp. Parochus tempore peſtis nõ poteſt fugere, & relinquere oves abſque Sacramentis, licèt ſciat peſte inficiendum, quamvis per alios idoneos miniſtros Parochianis ſuis peſte infectis poſſit miniſtrare Sacramenta Baptiſmi, & pœnitentiæ, ut ex aliis docet Barboſa *in Collect. ad Trid. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 1. *num.* 60. Vide Toletum *lib.* 4. *cap.* 10. *ſub num.* 4. Em. Sà *verb. Parochus num.* 1. An verò Parochus teneatur tempore peſtis miniſtrare extremam unctionem, & Euchariſtiam cum periculo vitæ, eſt problema inter Doctores, ut videre licet apud Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 174. qui tandem concludit cum Molfeſio *in Summ. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *n.* 51. & aliis, Parochum non teneri exponere ſe periculo mortis, propter adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ, & extremæ unctionis, cum hæc duo Sacramenta non ſint neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem, niſi neceſſitas proximi magna eſſet, ut quia valdè dubitaretur de illius ſalute, ſi abſque Viatico decederet. Verùm ſententia

affir-

affirmativa eſt magis pia, & per conſequens amplectenda; quia licèt Viaticum non ſit neceſſarium ſimpliciter, tamen eſt neceſſarium moraliter, nam auxilium, quod per hoc Sacramentum confertur, moraliter neceſſarium cenſetur ad preſervandum in juſtitia per pœnitentiam recuperata, & vincendas tentationes illo tempore occurrentes, vel etiam quia poteſt conferre primam gratiam, quam imperfecta pœnitentia non contulit, vel etiam ne amittatur fructus tāti Sacramenti. Obligatus eſt igitur Parochus ad adminiſtrandam Euchariſtiam cum aliquo periculo communi, & ordinario talis ægritudinis peſtis, ſiquidem Parochus non ſolùm tenetur ex charitate, verùm etiam ex juſtitia. Ità docent Villalobos *in Summ. tom.* 1. *tr.* 10. *diff.* 7. *num.* 7. Rodriquez *in Sum. tom.* 2. *cap.* 87. *num.* 8. apud Dianam, *ubi ſupra*, Suarez *to.* 4. *diſp.* 44. *n.* 17. *&* 18. ex D. Thom. 2. 2. *qu.* 184. *ar.* 7. *& qu.* 185. *ar.* 5. loquente de obligatione Paſtorum animarum: & hanc ſententiam ſequitur Jacobus Mancinus *pract.* 8. *dub.* 18. Idem mihi videtur dicendum de extrema Unctione. Et quia de eſſentia hujus Sacramenti eſt, ut inungantur quinque ſenſus corporis, oculi, aures, nares, os, & manus, ac repetere ad ſingulos forma, ut benè docet Bonacina *de Sacr. diſp.* 7. *qu. unica punct.* 5. *num.* 16. multos allegans Doctores; unde ſi aliquis ex 5. ſenſibus non inungatur, invalidum eſſet Sacramentum. Advertendum tamen eſt pro tempore peſtis id quod docet idem Bonacina *ubi ſupra qu.* 2. *punct.* 2. *num.* 5. ſic inquiens: *Addit Victorellus de extrema unctione §. de ſingulis unctionibus, cum Suarez tom.* 4. *diſp.* 41. *ſect.* 2. *quos ſequitur Poſſevin. num.* 19. (*Filliuccius tr.* 3. *num.* 129.) *Parochum, quando periculum eſt in mora, poſſe inuncta ſingulorum ſenſuum unica parte, unicam formam proferre complectentem plures partiales formas. Quamobrem poterit Sacerdos dum ungit aure, nares, oculum os, & manus dicere: Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum deliquiſti. Hæc opinio non videtur improbabilis, ſed in praxi non eſt facilè recedendum à communi uſu, & conſuetudine, niſi aliter poſtulet, & cogat evidens neceſſitas, quo poſita, Sacramentum poterit ſub conditione adminiſtrari, ut patet ex dictis de Sacramentis in genere, & de Baptiſmo.* Hactenus Bonacina, & rectè quidem, ſed vide etiam Dianam *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 80. Nota denique ex Suarez *loc. cit.* quando Parochus eſt ſolus pro Sacramentis miniſtrandis, peſte affectis, & non eſt alius, qui ſupplere poſſit, excuſatur ab adminiſtratione Viatici, & conſequenter extremæ Unctionis, tanquam Sacramenta minus neceſſaria, ut valeat Sacramentum pœnitentiæ omnibus adminiſtrare, cum ſit Sacramentum de neceſſitate ſalutis ſimpliciter, ſuppoſito peccato mortali. Undè neceſſarium eſt, ut in tali caſu ſe præſervet, & non ſe exponat periculo mortis pro miniſtrandis aliis Sacramentis non ſimpliciter ad ſalutem neceſſariis. Vide tamen omninò Dianam *par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 53. & ſeq. Reſponſ.

1431 Inter. 22. Teneturne Parochus propria manu, peſte laborantibus, Euchariſtiam, & extremam Unctionem miniſtrare; vel poteſt licitè uti aliquo decenti inſtrumento, ad evitandum mortis periculum?

Reſp. Eſt quæſtio grandis inter Doctores an liceat adhiberi inſtrumentū in dicto caſu, præſertim dum agitur de SS. Euchariſtia, ut videre eſt apud Jacobum Mancinum *tra.* 8. *dub.* 19. qui tamen reſolvit, non eſſe incongruum, cum decenti Inſtrumento, & debita reverentia, abſque ſcandalo, hoc Sacramentum, tempore peſtis adminiſtrare, & refert modum, quo utuntur in Diœceſi Smirnenſi, in qua ferè aſſiduè peſtis urget. Modus autem,

& uſus illius Diœceſis, eſt iſte: Poſt Infirmi Confeſſionem Sacramentalẽ, Sacerdos ponit reverenter particulam conſecratam ſuper folium paginæ albæ extenſæ ſuper ſcabellum ad id paratũ, & dictis verbis *Domine non ſum dignus,* &c. Infirmus accedit ad Sacramentũ, & lingua particulam reverenter ſumit, & accipit à Miniſtro Purificationem. Interim Clericus candela accenſa in ſummitate virgę paginam illam comburit. Oppoſitum verò docet Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 114. & *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 50. & alii penes ipſum. In adminiſtratione verò extremæ Unctionis, ità ſe habent Sacerdotes. Sacerdos ligat in ſummitate virgæ parvæ globum bombaceum, quem oleo Sancto intingit, & ungit partes corporis ungendas cum debita forma, deinde alia parva virga (in cujus ſummitate eſt alligatus parvus globulus ſtuppæ, ſeu bombacis) partes unctas abſtergit. Vide Jacobum Mancinum *loco citato*, & Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 167. qui approbat poſſe Sacerdotem uti virga oblonga, verè tamen oleo tincta in adminiſtratione extremæ Unctionis: ſed addit ex Sylvio *in 3. par. Divi Thomæ qu.* 32. *art.* 3. quod peracta unctione, virgam ejuſmodi aut purgabit Sacerdos, aut in ſimilem uſum ſervabit, ſi aurea, vel argentea ſit propter reverentiam Sacramenti, vel igne comburatur, ſi ſit lignea. Quæ omnia pro praxi in tali caſu erunt conducentia. Sed vide Bonacin. *de Sacr. diſp.* 4. *qu.* 5. *pun.* 2. *n.* 10. & Suarez *in* 3. *par. tom.* 4. *diſp* 44. *ſect.* 3. *num.* 20. & iterum Dianam *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 79. & Rotar. *de exam. Cler. c.* 9. *ſect.* 10. *n.* 15. & *ſect.* 11. *n.* 11.

1432 Inter. 23. Si aliqua concubina, & publicus Uſurarius petant Euchariſtiam à Parocho, dicentes eos abſolutos fuiſſe, debetne Parochus eis Sacram Synaxim præbere?

Reſp. Quoties ſunt peccatores publici, debet eis Communionem negare; nam oportet prius quam illos cõmunicet tollere ſcandalum per aliquã ſatisfactionem, vel ſaltem debet Confeſſarius de licentia pœnitentis dicere, illum eſſe emendatum, ad tollendum ſcandalum, ut dixi. Quod ſi dicant confeſſi ſumus tali Cõfeſſario, & interrogatus Confeſſarius non audet dicere, quod non abſolvit, ne eorum ſtatum revelet; nec quòd abſolvit, ne mentiatur: item dico, negandam eſſe illis Communionem; Si verò dicant: Tu nos abſolviſti, quod revera non fecit, debet eis reſpondere: *Ego neſcio de hoc,* & interim nullo modo eos communicare debet. Ita docet Chaves *in Summ. Victorię, ubi de Confeſſione num.* 187. Vide Emm. Sà *verb. Euchariſtia num.* 17. & *verb. Uſura num.* 7. Toletum *lib.* 5. *cap.* 36. *ſub num.* 3. & alios. *Vide etiam infra in tit.* 194. *de Sacramento Euchariſtiæ ad Inter.* 1.

1433 Inter. 24 Peccantne moraliter Parochi, qui negligunt docere, præſertim Rudes ea, quæ neceſſariò ſciri debent ad ſalutem?

Reſp. Certò moraliter peccant, quia ex officio tenentur talia illos docere, cum ipſis animarum cura commiſſa ſit, ut dicitur in Trident. *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1. Undè debent eos docere doctrinã chriſtianã, & ea õnia, quæ dixi *in tit.* 94. *de Fide ad Int.* 1. & pręterea ſubſtantiã, & rationẽ Sacramentorum, ſaltem Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ. In cæteris autem ſolùm ſatis erit, quando quis ea ſuſcipere voluerit. Item Symbolum Apoſtolorum, decem Dei præcepta, quòd Deus orandus eſt; nam ut docet Bannes 2.2. *qu.* 2. *art.* 8. *col.* 421. omnes præcepto Divino, & Eccleſiaſtico explicitè ſcire, & credere tenentur ea omnia, quæ ſupra diximus. Advertant igitur Parochi, ne ob negligentiam docendi Oves ſibi cõmiſſas, in inferni foveam incidant. Vide quæ dicam *ad Inter. ſequen.* & Emman. Sà *verb. Parochus num.* 5. & nota, quòd parvuli petunt panem, & non eſt qui fran-

gat eis. Væ igitur Parochis, væ Epiſcopis, &c. Vide Toletum *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 4.

1434 Inter. 25. Peccatne Parochus, qui nunquam, vel rarò Concionem habet ad populum, quia in ſua Parochia non deſunt Concionatores? & ſi non explicat populo Myſteria fidei?

Reſp. Bona. *de legib. diſp.* 5. *qu. unica pun.* 2. *num.* 29. tenet Parochum in dicto caſu ſatisfacere obligationi juris divini, non autem juris humani, ſcilicet Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reforma.* ubi decernitur, ut Parochi ſolùm per alios concionentur, ſi legitimo detineantur impedimento, & non aliàs. Sed Diana *par.* 7. *tract.* 7. *reſol.* 13. cum Trullench. putat ſatisfacere non ſolum obligationi juris divini, ſed etiã juris humani, ex eo quia hæc eſt mens Concilii, nempè quod nullum ſalutis detrimentum patiatur Populus. Ego verò puto ipſum per ſe teneri docere Populum concionando, maximè ſi nullo juſto impedimento detineatur; Undè ſi hoc nunquam, aut rarò faciat, muneri ſuo non ſatisfacit, & conſequenter mortaliter peccat. Vide Bonac. *ubi ſupra diſp.* 6. *quæſt. unic. pun.* 8. *ſub num.* 4. & Rotarium *in Appar. pro excom. Cler. cap.* 9. *ſect.* 5. *num.* 2. & 3. Siquidem negligentia magna Parochi in docendo ad ſalutem neceſſaria, nempè Symbolum, Decalogum, & Pater noſter, ſicut non explicando Populo rudi Myſteria fidei, præſertim Trinitatis, & Incarnationis, tantoperè ad ſalutem neceſſaria, mortalis eſt. Væ itaque Parochis, væ Prælatis, inquit Emm. Sà *verb. Parochus num.* 5. Vide Sylveſtrum *in Sum. verb. negligentia*, ubi dicit, quod negligentia eſt mortale, ſi ex ea omittantur ea, ad quæ quis tenetur ex præcepto, vel officio de jure divino in his, in quibus verſatur notabile damnum ſibi commiſſorum.

1435 Inter. 26. Quid agendum eſt cum Parochis, & Rectoribus imperitis ad ea, quæ incumbunt muneri, ac oneri Beneficii, quòd habent?

Reſp. Dixi *in hoc titulo, ad Int.* 7. Poſſe Epiſcopum ad examen vocare Parochos, ut ei per experientiam innoteſcat an illorum ſcientia ſit extenuata, & boni mores mutati; nam quamvis à principio collationis Parochialis beneficii ſcientia Parochorum fuerit nota, decurſu temporis deminui poteſt; Ità namque præter Doctores à me loco ſupracit. relatos docet etiã Sancius *in Select. diſp.* 50. *num.* 11. apud Barboſ. *in Collect. ad Tridentin. ſeſſ.* 21. *de reform cap.* 6. *ſub num.* 4. Immo addit Barboſ. poſſe Epiſcopum vigore Tridentini, tanquam Sedis Apoſtolicę Delegatum eiſdem illiteratis, & imperitis, ſi aliàs honeſtæ vitæ ſint, Coadiutores, aut Vicariòs pro tempore deputare, partemque fructuum eiſdem pro ſufficienti victu aſſignare, vel aliter providere quacunque appellatione, & exemptione remota. Vide Concil. Trident *loco cit.* ità mandans.

1436 Inter. 27. Quid facere valet Parochus in Eccleſiis, ſeù Oratoriis Cõfraternitatum conſiſtentibus intra fines ſuæ Parochiæ?

Reſp. Poteſt, & debet aſſiſtere funeribus, Miſſas Solemnes cantare, & alia ad ſui officii munera præſtare ſicut in propria Eccleſia. Ità refert deciſum à Sac. Congr. Gavantus *in man. verb. Confraternitas num.* 31. & *verbo Parochus num.* 21. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 15. *num.* 22. Bordonum *tom.* 3. *var. reſ.* 72. *ſub num.* 23. & Nicolium in Flos, *verb. Confraternitas, num.* 19. & *verb. Parochus n.* 18. qui concordantes referunt. Sed hæc omnia potiſſimum locum habent quoad Confraternitates laicorum, qui habent proprias Eccleſias, & Oratoria; nam quæ erectæ ſunt in Eccleſiis Regularium, vel Oratoriis, vel Eccleſiis Regularium, vel Oratoriis, vel Eccleſiis, ſeù Cappellis unitis ipſis Regularibus, juxta quorum inſtitutum, & pragmaticas ſe gerere debent,

exemptæ omninò ſunt à prædictis; ut docet idem Bordonus *ubi ſupra tom. 3. reſ. 72. à num. 23. prope finem*, & hoc quoque dicendum eſt de aliis Confraternitatibus, quæ habent privilegium exemptionis, ut ſolent habere Confraternitates hujus Almæ Urbis teſte Nicolio *in Floſ. verb. Confraternitas num. 19. in fine*, & ubi extat conſuetudo in contrarium, præſertim quæ ſit immemorabilis, quæ quidem vim legis habet, & privilegii, & facit, ut juſtus præſumatur titulus, teſte Emm. Sà *verb. Conſuetudo num. 2.*

1437 Inter. 28. Poteſtne ſibi Parochus eligere Confeſſarium non approbatum ab Ordinario?

Reſp. Officium Parochi non eſt Prælatio, nec dignitas, ut docet Sanchez *tom. ſecun. moral. libro ſexto cap. 18. numer. 28. in fine*, ac proinde non poteſt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum vigore privilegii *in câpit ne pro dilat. de pœnit. & remiſ.* omnibus Prælatis, ſivè infimis, ſivè ſupremis conceſſi, nec aliter affirmari poteſt, cum ſit propoſitio reprobata ab Alexandro ſeptimo ſub die vigeſima quarta Septembris 1665. quæ ſic aſſerebat. *Qui beneficium Curatum hábent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*, & eſt propoſitio 16. inter ab eodem Pontifice reprobatas. Ideò caveant Parochi ne ad praxim dictam opinionem deducant.

1438 Inter. 29. Parochus inducens aliquem ad eligendam ſepulturam in ſua Eccleſia, vel ad non mutandam jam electam, incurritne excommunicationem impoſitam contra Religioſos, & Clericos Sæculares, ut dicam *in tit. 203. de Sepultura particulari ad Int. 6?*

Reſp. Dico quod non incurrit, & ratio eſt, quia leges Canonicæ prohibentes Religioſis, & Clericis Sæcularibus ſub pœna excõmunicationis Sedi Apoſtolicæ reſervatæ ne præſumant aliquem inducere voto, juramento, vel promiſſione ad eligendam ſepulturam apud eorum Eccleſias, aut non mutandam jam electam, editæ fuerunt in favorem Parochorum: quod autem in favorem alicujus inductum eſt, non debet in ipſius damnum retorqueri, ut habetur *ex cap. quod ob gratiam de reg. juris in 6.* Quamobrem Parochus abſq; metu excommunicationis non ſolùm poteſt inducere ſibi ſubditum ad eligendam ſepulturam in ſua Eccleſia, ſed etiam ad eligendam in alia, quia quilibet juri ſuo cedere valet, *cap. Si de terra, de privil. & cap. tuis de teſtibus*. Ità firmat Bonac. *tom. 3. de cenſu. in particulari diſp. 2. quæſ. 5. pun. 4. num. 5.* qui teſtatur de communi. Oppoſitum tamen docet Rotarius *in Appar. pro exam. Cler. cap. 9. ſect. 12. n. 8.* ſed mihi non probatur.

1439 Inter. 30. Parochorum Domus exiſtens intra triginta paſſus propè Eccleſiam, gaudetne privilegio immunitatis, etiamſi in ea habitent Laici?

Reſp. Affirmat Bonacin. *tom. 3. diſp. 2. quæſt. 3. pun. 16. §. 4. num. 7.* & quamvis in ea habitent laici, quia privilegium immunitatis, directè conceſſum eſt locis, & non perſonis; & ſuum aſſertum rectè probat; Immò ait hanc ſententiam pluribus in locis uſu receptam eſſe, & conſuetudinem comprobatam; quare puto eſſe amplectandam. Vide etiam Dianam *par. 6. tr. 1. reſol. 2. verſ. rectè etiam &c. & part. 3. tract. 1. reſ. 71.* qui hanc ſuſtinet ſententiam, licèt oppoſitam tueatur Thomas del Bene *De Immunitate par. 2. cap. 16. dub. 9. ſect. 8. num. 12.* dicens tamen noſtram ſententiam non eſſe omninò improbabilem, & ſatis piam.

1440 Inter. 31. Teneturne Parochus ſub pœna peccati mortalis interrogare Sponſos de mutuo conſenſu, quando celebrant matrimonium? & ſi non dicat. Ego vos cõjungo in nomine Patris &c. peccatne mortaliter?

Reſp. Concilium Triden. *ſeſſ. 24. cap. 1.* præcipit, ut Parochus utrumque ſpon-

Sponſum interroget de mutuo conſenſu, ſcilicèt an liberè conſentiant, & utrum fœmina velit ducere virum, & vir fœminam; unde peccat mortaliter Parochus aliàs ſi omittat illos interrogare. Verùm ſi Parocho conſtat eos liberè conſentire, tunc omiſſio hujus interrogationis eſt levis culpa, & conſequenter ſolùm peccatum veniale. Ita docet Bonac. *de Matrim. quæſt.* 2. *pun.* 8. *num.* 40. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 296. Barboſ. *in Collect. ad Trident. loco ſupracit. num.* 36. & 37. & alii penes ipſos. Cæterum licèt ad validitatem matrimonii non ſit neceſſariũ, ut Parochus, vel alius Sacerdos aſſiſtens utatur in ejus celebratione his verbis: *Ego vos in matrimonium conjungo &c.* tamen multi dicunt eſſe peccatum mortale illorum verborum omiſſionem, cum violetur Concilii præceptum in re gravi. Ità tenent Rebellius, Cenedus, & Zanardus apud Dianam *ubi ſupra reſol.* 256. & alii apud Barboſ. *loco cit. num.* 42. contra Sanchez, Coninchum, Bonac. Dianam, & alios exiſtimantes eſſe tantùm peccatum veniale. Ego verò puto ſub mortali teneri Parochum uti prædictis verbis, vel ſaltem aliis juxta ritum, & conſuetudinem Patriæ, nam ſi non ſunt de eſſentia Sacramenti, ſunt tamen de neceſſitate præcepti ſub mortali obligantis. Vide Barboſ. *par.* 2. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 32. *num.* 169. & *de officio Parochi par.* 2. *cap.* 21. *num.* 88.

1441 Inter. 32. Si Concubinarius in articulo mortis velit Concubinam ducere in uxorem, vel ad prolem legitimandam, vel ad majorem ſuæ conſcientiæ tranquillitatem, poteſtne tunc Parochus celebrare Matrimoniũ ſine teſtibus, & denunciationibus?

Reſp. Dico primò nunquam licere etiamſi neceſſitas adeò eſſet urgens, celebrare, ſeù contrahere Matrimonium ſine præſentia Parochi, & teſtium, nam Tridentinum irritat Matrimonium clandeſtinum in quolibet caſu ex defectu præſentiæ Parochi, & teſtium, ut pluribus relatis docet Bonac. *ubi ſupra num.* 8. & Diana *par* 3. *tr.* 4. *reſ.* 234. Vide Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 1. & Barb. *ubi ſup. num.* 140. Dico ſecundò nullatenus poſſe Parochum celebrare Matrimonium ſine teſtibùs, & ratio eſt, quia Matrimonium contractum ſine forma ſubſtantiali eſt invalidum, nam matrimonium factum ſine teſtibus, dicitur factum ſine forma ſubſtantiali, cum adhibitio teſtiũ neceſſariò requiratur per Tridentinum tanquam conditio ſine qua non, nec in hoc poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia numquam id ei conceſſit Tridentinum. Verum tamen eſt poſſe in dicto caſu Parochum omittere denunciationes, ſi Ordinarius adiri commòdè nequeat, quia tunc per Epychejam præſumitur licentia tacita Epiſcopi. Vide Barboſ. *loco cit. num.* 44. & 46. Bonacin. & Dian. *loco cit.* & *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 98. ubi concordantes referunt; & plura haberi poſſunt ad intentum. Vide etiã Dian. *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 15. excipit enim ibi duos caſus, in quibus poſſit quis inire matrimonium abſque Parochi præſentia, ſed quia non faciunt pro locis in quibus verſamur, ideò illum lege, ac Bonac. *ubi ſup. pun.* 7. *num.* 1. & *ſeqq.* idem docentem.

1442 Inter. 33. Parochus excõmunicatus vitandus, poteſtne validè, & licitè alteri Sacerdoti licentiam concedere, ut Matrimonio loco ipſius aſſiſtere poſſit?

Reſp. Quòd Parochus excommunicatus non toleratus, validè, ac licitè poſſit Matrimonio aſſiſtere, ſatis pluribus allegatis ſuſtinet Diana *par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 78. & 79. Vide Sanchez. *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 21. & Hurtado *de Matrim. diſp.* 5. *diff.* 8. *num.* 26. Qui etiam optimè ibi docet, poſſe Parochum validè, & licitè, licèt ſit excõmunicatus vitandus, alteri Sacerdoti licentiam concedere aſſiſtendi Matrimonio loco ipſius, & pro hac ſententia citat Sanchez, Pontium, Henriquez, & Rebell. quamvis Pontius bene

nè non admittat, quòd licitè id facere poſſit, benè tamen validè, & ratio ipſius Hurtadi eſt, quia collatio dictæ licentiæ non eſt actus poteſtatis Parochi, ut Parochus eſt; ſed auctoritatis à Trident. annexæ officio Parochi, unde Sacerdos, qui loco Parochi Matrimonio aſſiſtit, accipit poteſtatem ad id à Tridentino, & non à Parocho, & ſic Parochus non exercet actum Juriſdictionis, quia non inſtituit Judicem, ſed tantùm deſignat ſpectatorem Matrimonii, ut poſſit de eo teſtificari auctoritate facta ex ordinatione Triden. & huic ſententiæ ſe ſubſcribit Diana *loco citato reſ.* 80. quamquam Emm. Sà *verb. Excomm. num.* 31. dicat oppoſitam ſententiam eſſe veriorem, atque tutiorem; ſed an rectè, judicent alii? Ego quid ſentiam, me explicabo *in tit.* 228. *de Validitate Sacramenti Matrimonii, ad Inter.* 23. ad quam Lectorem remitto. Vide Bonac. *de Matrim. quæſt.* 2. *pun.* 8. *num.* 21. & 22. & *de Cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 1. *verſ. Dixi*. & Em. Sà *verb. Matrim. ſub num.* 1. cui hæc ſententia non diſplicet ampliùs, dummodò Parochus per ſententiam non ſit privatus officio.

1443 Inter. 34. Peccatne Parochus, qui vagorum matrimonio aſſiſtit ſine debita diligentia, & licentia Ordinarii, & eſtne validum tale matrimonium?

Reſp. Certò mortaliter peccat Parochus, qui vagos non præmiſſa debita diligentia, & licentia Ordinari matrimonio conjunxerit; ſed matrimonium valet, ut docent Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 25. *num.* 16. & 17. Barboſ. *de Poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 32. *num.* 74. & *de offic. Parochi cap.* 21. *num.* 89. & alii communiter. Vide Barboſ. *in Collect. ad Triden. ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 7. *num.* 4. & Victorellum *in addit. ad Emm. Sà verb. Parochus ſub num.* 7. ubi etiam addit, quod ſi vir ſolus ſit vagans, aderit mulieris Parochus, ſi ambo, ille, à quo mulier Cõfeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta recipit.

1444 Inter. 35. Poteſtne licitè Parochus aſſiſtere matrimonio ſuorum Parochianorum in alterius Parochia ſine licentia Parochi illius loci, in quo aſſiſtit.

Reſp. Affirmant plures Doctores, quos refert, & ſequitur Barboſ. *de Poteſt. Epiſcopi, part.* 2. *alleg.* 32. *n.* 78. & non ſolùm extra Parochiam, ſed etiam extra propriam Diœceſim, & dare licentiam alteri Sacerdoti conjũgendi Sponſos ſuæ Parochiæ in alterius Parochia, vel Diœceſi, ut docet Bonac. *de Matrim. quæſt.* 2. *pun.* 8. *n.* 13. & 14. & ratio eſt quia aſſiſtentia non eſt actus pertinens ad juriſdictionem contentioſam, imò neque ad voluntariam; Actus autem juriſdictionis gratioſæ ubique exerceri poſſunt, quia nulli fit injuria, ut tradunt communiter Doctores. Vide Sanch. *de Matrim. lib.* 3. *c.* 19. *num.* 8. 11. & 14. Laymã *lib.* 5. *tr.* 10. *par.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 232. & alios apud Barboſ. *ubi ſupra n.* 78. nec peccare mortaliter docet Sanchez, & alii, ſed intellige ceſſante tamen ſcandalo.

1445 Inter. 36. Quam pœnam incurrit Parochus aſſiſtens matrimonio, vel benedicens ſponſos alterius Parochiæ? & quid ſi ex ignorantia id fecerit?

Reſp. Ipſo facto incurrit ſuſpenſionem ab officio ex Decreto Concil. Triden. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. propè finem*, ſicut quivis alius Sacerdos, etiã Regularis, ut breviter dixi ſupra *in tit.* 19. *de Benedictione Nuptiarum, ad Inter.* 4. & tamdiù ſuſpenſus remanet, quamdiù ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonium intereſſe debebat, ſeù à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. Ità Toletus *lib.* 1. *cap.* 49. *num.* 6. & alii. Verum eſt tamen quod ad incurrendam talem ſuſpenſionem requiritur dolus, ſcientia, aut ſaltem ingens temeritas, quia Concilium ibidem requirit audaciam, nam ibi utitur his verbis, *auſus fuerit*, ac proinde qui ex inadvertentia, incon-

conſideratione aut ignorantia ſecùs fecerit, dictam ſuſpenſionem minimè incurreret, ut aliis relatis rectè docet Bonac. *tom. 3. de cenſu. in particulari diſp. 3. quæſt. 3. pun. 5. num.* 1. & eſt communis ſententia.

1446 Inter. 37. Quam pœnam incurrit Parochus, qui aſsiſtit matrimonio ante denunciationes factas? & poteſt nè Parochus, in aliquo caſu diſpenſare, ut prætermittantur denunciationes?

Reſp. Dico primò, quod non ſolùm peccant mortalitèr contrahentes matrmonium ante denunciationes factas: ſed etiam Parochus tali matrimonio aſsiſtens, & ab Ordinario ſeveriùs puniendus erit. Vide Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 32. num. 2. & de Offic. Parochi par. 2. c. 21. num. 25. & in Collect. ad Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 1. num. 29. 30. & 31.* Bonac. *de matrim. q. 2. pun. 6. num. 8. & 9.* Dianam *par. 3. tract. 4. reſol. 241. verſ. Notandum eſt tamen*, qui plures concordantes referunt. Dico ſecundò non poſſe Parochum propria auctoritate denunciationes prætermittere, aut diſpenſare; nam ſolùm ſpectat ad Ordinarium diſpenſare, ut omittantur denunciationes. Vide Dianam *ubi ſupra verſ. Notandum tertiò, & reſol.* 237. ubi docet, quod nomine Ordinarii in hoc caſu venit ſolus Epiſcopus, & non qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent. In quo caſu autem poſſit Parochus omittere denunciationes ſi Ordinarius adiri commodè nequeat, dixi *in hoc titulo, ad Inter. 32. ad quam* te termitto. Vide DD. ibidem citatos, & Dianam *par. 5. tr. 3. reſol.* 98.

1447 Inter. 38. Qua pœna debet puniri Parochus negligens in aſſervatione Sacræ Euchariſtiæ, & deficiens in docendo doctrinam Chriſtianam ſuos Parochianos?

Reſp. Parochus negligens, & incautè ſe habens in aſſervatione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, vel Chriſmatis, debet ab officio ſuſpendi ad tres menſes, juxtà *cap. Statuimus de cuſtodia Euchar.* Immò debet lampadem ſemper die, noctuque ardentem tenere ante Altare, ubi SS. Sacramentum aſſervatur ſub pœna peccati mortalis. Vide Dianam *par. 9. tract. 6. reſ.* 34. nam ad hoc præcisè tenetur ex præcepto Divino, & habetur in *Exod. cap. 27. circa finem*, ibi enim dicitur: *ut ardeat lucerna ſemper in Tabernaculo.* Vide Poſſevinum *de offic. Curati c. 12. num.* 68. & Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. 2. alleg. 2. 2. num. 6. & de officio Parochi par. 2. cap. 20. num.* 29. & alios quos refert, & ſequitur Raynaldus *tom. 1. obſer. cap. 10. §. 8. pag. 534. num. 5. & 6. & ibidem num.* 10. ait, quod Parochus deficiens in docendo Doctrinâ Chriſtianâ ſuos Parochianos ſuſpenditur ad arbitrium Ordinarii ad biennium, & peccat mortalitèr, ut docet Emm. Sà *verb. Parochus num.* 5. & alii ab ipſo relati. Vide eumdem Sà *verb. Euchariſtia num.* 24. ubi loquitur, ut ante Sacramentum in Eccleſia ſemper ſit lumen. Undè mortaliter peccat Parochus ſi ex ejus incuria, vel avaritia per notabile tempus SS. Sacramentum ſine lampade accêſa remaneat, ut rectè docet etiam Rotarius *de exam. Cler. cap. 9. ſect. 10. ſub. num.* 1.

1448 Inter. 39. Qua pœna debet puniri Parochus, ſi aliquis ex ſuis Parochianis moriatur ob ipſius Parochi culpam, ſeù negligentiam, ſine Sacramento Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ?

Reſp. Si aliquis in Parochia ob culpam, ſeù negligentiam Parochi decedat ſine Sacramento pœnitentiæ, debet ſuſpendi ab officio ad tempus biênii, vel majoris vel minoris, juxtà qualitatẽ facti: & quãdo adeſt malitia, debet etiã removeri juxtà Glo. *in c. officium, de offic. Archid.* ut aliis relatis firmat; Raynaldus *tom. 1. obſerv. ad cap.* 10.

cap. 10. *ſupplem.* 1. *pag.* 140. *num.* 1. nam Parochus, qui deficit adminiſtrare Sacramentum Baptiſmi, & pœnitentiæ eſt reus Animæ illius. Vide Barboſ. *de offic. Parochi par.* 2. *cap.* 17. *num.* 43. & Ugolinum *de offici. Epiſc. cap.* 15. §. 12. *num.* 14. Item ſi Parochus negligens fuerit in adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ, ac etiam aliorum Sacramentorum, ſi interim infirmus moriatur, non ſolum graviter peccat, ſed poteſt etiam puniri pœna temporali, puta ſuſpenſione ad biennium, & ad tempus recludi, præſertim ſi quem ob ejus negligentiam ſine Baptiſmo, aut Sacra Communione mori contingat. Ità docet ex aliis idem Raynaldus *tom.* 1. *obſerv. cap.* 10. §. 8. *ad* 11. *pag.* 534. *num.* 9. *&* 19.

Quær. 1. Quis cenſendus ſit dignior, & præferendus ad Curam Animarum?

Reſp. Ille cenſendus eſt dignior, qui majori ſanctitate pollet, ſuppoſita tamen ſufficienti ſcientia, ut dixi in *tit.* 83. *de Epiſcopatu, &c. ad Int.* 58. Verum eſt tamen quod qui eſt eligendus ad Epiſcopatum, vel curam animarum, non tantùm debet eſſe melior, quoad probitatem vitæ, ſed debet eſſe melior, & aptior quoad regimen Eccleſiæ, cui eſt præficiendus, & ità jà me explicavi *in tit.* 80. *de Elect. &c. ad Inter.* 5. cum D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *ar.* 3. & aliis, quibus addo Turrianum *de Juſt. diſp.* 22. *dub.* 4. *num.* 8. apud Bonac. *tom.* 2. *de reſt. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *pun.* 1. *num.* 15. qui teſtatur de communi. Nam aptitudo, & idoneitas non accipitur ſimpliciter ſecundum charitatem, ſed in ordine ad Eccleſiæ commoditatem, & ad munus, cui præficitur, aut quod ei confertur. Vide igitur quod dixi ubi ſupra *in tit.* 80. *de de Elect. &c. ad Inter.* 1. *&* 2. & præſertim Reverendiſſimum D. Abbatem Marcellum Zerbi *in ſua gemma Epiſcopali tit.* 5. *de conſtit. quæſt.* 16. *per totam* ubi diffusè, & eleganter more ſuo de requiſitis in concurſu conſiderandis perdoctè tractat.

Quær. 2. An Parochi validè, & licitè poſſint audire confeſſiones ſuorum ſubditorum extra propriam Diœceſim?

Reſp. Vera, & communis Theologorum ſententia tenet poſſe Parochos ubique confeſsiones ſubditorum audire, quia quamdiù retinent Parochiam, ſunt Paſtores ordinarii, ac proprii ſuarum ovium, & jure divino, & Eccleſiaſtico habent poteſtatem juriſdictionis audiendi confeſsiones, & abſolvendi à peccatis ſuos Parochianos, nec Concilium Triden. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 15. limitat eis locum, vel juriſdictionem dependenter ſcilicèt ab approbatione, & Diœceſi alterius Epiſcopi, conſequenter poſſunt ubique validè, & licitè dictam juriſdictionem in ſubditos exercere, nàm talis juriſdictio exercetur abſque ſtrepitu judicii, & cum non ſit actus juriſdictionis contentioſæ nemini fit injuria, deducitur *ex l. omnes proconſules ff de offic. Proconſ.* Ità docent 21. Doctores, quos refert, & ſequitur Barboſ. *in Triden. loc. ſupra cit. num.* 20. *& de offic. Parochi cap.* 19. *num.* 3. Quibus addo Tho. Chaves *in ſum. Sacram. & ibi de confeſſione q.* 138. Em. Sa *verb. Abſolutio num.* 7. Bonac. *de ſacr. diſp.* 5. *quæſt. punct.* 2. *num.* 10. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *ſub numer.* 5. Armillam *verb. Confeſſio num.* 34. Immò Tolet. *lib.* 3. *cap.* 13. *in fine* teſtatur de communi, & Sylv. *verb. Confeſſor.* 1. *num.* 12. id etiam perdocte probat, ac denique Fagnanus *in cap. ne pro dilatione de pœnit. & remiſ. num.* 65. ex ſententia Sac Congregationis concludit, quod Sacerdos in una Diœceſi approbatus, non poteſt in alia Diœceſi audire confeſſiones, etiam perſonarum illius Diœceſis, in qua eſt approbatus, ſed Parochus, quià habet juriſdictionem ordinariam, poteſt audire confeſsiones ſuorum Parochianorum in quacunque Diœceſi: Nec in conſtitutio-

ne

ne Clem: X. quæ incipit *Superna*, revocatur hæc Parochorum poteſtas, cum ibi tantùm fiat ſermo de habentibus delegatam juriſdictionem, & non de Parochis. qui juriſdictionem ordinariam habent in proprios ſubditos. Itaque aliter dicere, eſt natare contrà torrētē Doctorum, qui ex profeſſo agunt de tali dubio, quibus ego libenter me ſubſcribo, non enim audeo à communi ſententia diſcedere, quàm alibi obiter docui, & communem eſſe dixi; ergò opinio, quàm habet Auctor Cautelæ Confeſſarii *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. oppoſitum docens, eſt ſingularis, & moderna. Sed vide Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 9. *ſect.* 8. *num.* 13. ubi agit de tali dubio, & noſtræ ſententiæ adhæret.

TITULUS CLXI.

De Parvitate Materiæ.

Vide tit. de Furt. Int. 3. 4. 5. 6. *tit. de Jejunio Int.* 4. 6. *tit. de Jur. Int.* 11. *tit. de largit. Mun. Int.* 7. 8. *tit. de Ordin. Sacr. ad qu.* 2. *tit. de Reſtit. Da. Int.* 27. *tit. de Satisf. pœnit. Inter.* 3. *tit. de Superſtit. Interr.* 8.

1449 INterr. 1. Blaſphemiæ contra Deum, poſſuntne unquam ratione materiæ eſſe tantùm peccatum veniale?

Reſp. Affirmativam ſententiam docet Villalobos *in Summ. tom.* 2. *tr.* 1. *diffic.* 15. *num.* 5. Sed communis ſententia eſt, quòd blaſphemia non poſſit unquam ratione materiæ eſſe peccatū veniale, & ratio eſt, quia ōnis blaſphemia naturaliter adverſatur virtuti Religionis, & charitatis ergà Deum; ergò ōnis blaſphemia erit peccatū mortale, & ità docent Sylvius *in* 2. 2. *qu.* 13. *art.* 2. & ibidem Aragonius, Bannes, & Suarez *de Relig. tom.* 1. *tr.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Cajetanus *in Sum. verb. Blaſphemia*, & alii plures apud Dianam *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 3. qui alias rationes rectè concludentes refert pro hac tuenda ſententia. Vide Gabrielem Beatum *qu.* 57. *n.* 20.

1450 Inter. 2. Peccatne mortaliter, qui furatur rem parvam ei, quem ſcit ex tali furto prorupturum in blaſphemiam, vel in mortale peccatum, quia iracundus, & impatiens eſt nimis?

Reſp. Certò mortaliter peccat, etiamſi joco id faciat, quia eſt cauſa illius peccati. Tolet. *lib.* 5. *c.* 16. *n.* 8. & alii communiter.

1451 Inter. 3. Qui furatur rem parvam ei, cui gravis moleſtia ſequitur, vel quia ea ingenter delectabatur, vel quia ità eſt puſilli animi, maximè conturbatur, peccatne mortaliter?

Reſp. Utique mortiferè peccat, non ratione furti, vel contra juſtitiam, ſed contra charitatem, dummodo advertat illam moleſtiam fore inferendam Domino rei. Mendo *Epit. opin. moral. verb. Furt. n.* 8. Vide *ad Interr. ſequentem.*

1452 Inter. 4. Peccatne mortaliter, vel venialiter tantùm, qui furatur fructum, nempè pomum ei, quem ſcit eſſe valdè charum, & ex ejus ablatione gravem patietur triſtitiam?

Reſp. Si credebat ob id notabili moleſtia affectum iri, utique mortaliter peccat, non in ſpecie furti, ſed cōtra charitatem, ratione contriſtationis. Navarr. *in Man. cap.* 17. *ſub num.* 2. Bonac. *de reſtit. diſp.* 2. *qu.* 8. *pun.* 1. *ſub num.* 8. & alii plures. Vide quod dixi *ad Inter. antecedentem*, nam qui eſt cauſa gravis mæroris, ſeù contriſtationis proximi, peccat mortaliter, ſaltèm contra charitatem.

1453 Inter. 5. Qui rem parvam Pauperi aufert, veluti ſubulam Sutori, vel acum Sartori, aut aliud inſtrumentum Artifici, quo rapto, veriſimile eſt ſaltem diei opus perditurum, peccatne mortaliter?

par. D. Thom. *Contr. 6. tr. 2. diſp. 2. ſect. 6. num.* 55. Mihi verò magis placet ſententia Facundez *de præc. Eccl. lib. 1. cap. 14. num. 2.* ſcilicet excedere horam per quadrantem, eſſe notabilem exceſſum, & ſic peccatum mortale.

1457 Inter. 9. In lectione, & retentione librorum prohibitorum, daturne parvitas materiæ, ità ut non incurratur excommunicatio Bullæ Cœnæ, vel Indicis?

Reſp. Ferè omnes Doctores affirmant poſſe dari, ſed non conveniunt circà quantitatem lectionis, & temporis retentionem, undè multorum opiniones hìc breviter referam, & quæ mihi magis placet ingenuè dicā. Dico igitur quoad lectionem, parvam materiam eſſe ſecundùm Sanchez *in Summ. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 31.* Duardum *in Explic. Bullæ Cœnæ lib. 2. can. 1. qu. 46. num. 4.* Filliuc. *tom. 2. tr. 22. cap. 7. num. 204.* Portellum *in Addit. ad dub. Regul. verb. Libri prohibiti n. 7. in fine*, & alios, lectionem integræ paginæ, quod quidem admitti non debet, quia videtur materia gravis, maximè ſi pagina grandior ſit. Qui legit decem lineas excuſatur à Sayro *de cenſur. lib. 3. tr. de excomm. cap. 5. num. 12.* Sed tantùm qui legit tres, vel quatuor lineas, excuſatur à Reginaldo, & Graffio apud Bonacinam *de cenſur. diſp. 2. qu. 5. pun. 4. num. 13.* & hoc mihi magis placet, quia timeri non poteſt grave periculum perverſionis in ipſo legente, nam ut docet Dian. *par. 1. tr. 11. reſ. 30.* oportet, ut nimis brevis, nec multarum linearum ſit lectio, ad hoc, ut excuſet ratione parvitatis materiæ. Vide præcitatos Doctores, & præſertim Suar. *in tract. de fide diſp. 20. ſect. 2. num. 20.* & Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 9. cap. 4. num. 254.* Circa verò retentionem dictorum librorum, Diana *ubi ſupra in fine* ex Sanchez, & Duardo dicit, quòd non incurreret excõmunicationem ratioñe parvitatis materiæ, ſi quis per duos dies non conſignaret Inquiſitoribus dictos libros, & *par. 5. tr. 5. reſ. 43.* aliis relatis idem ſuſtinet egregiè, nec diſſentit Bonac. *loco cit. num. 15.* Et nota, quòd libros prohibitos nemo legere poteſt eo, quod non timeat periculum, ut rectè probat Diana *par. 11. tr. 1. reſ. 1.* ne deſeras illum videre.

1458 Inter. 10. Frangitne Clauſuram, & inciditne in pœnas illa Monialis, quæ modico egreſſu, è Monaſterio exiit?

Reſp. Quidam dicunt, Monialem, quæ extra januam Clauſuræ, limites terminantem, ambobus pedibus ſe tranſtulit ad unum, vel duos palmos, non peccare mortaliter, nec pœnas incurrere propter materiæ parvitatē. Ità docent Graffius *prima par. deciſion. lib. 4. cap. 23. num. 25. & de caſib. reſ. caſ. 5. num. 44.* Naldus *in Summ. verb. Clauſura num. 4.* & alii, ſed nimis laxè loquuntur tales Auctores, ideoq; dicendum eſt, quòd tunc excuſatur Monialis ratione parvitatis materiæ, quando uno pede Januam Clauſuræ exierit, alio verò intus extiterit, quia hæc non dicitur perfecta, & conſummata egreſſio, ſed ſemiplena, cum pars corporis ſit intra, pars autem extra, & hanc ſententiam docent Sanchez *in Summ. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 70. in fine.* Bonacina *de Clauſura qu. 1. pu. 8. num. 7.* Diana *par. 3. tr. 2. reſ. 52. & par. 5. tr. 5. reſ. 22.* Lezana *tom. 2. verb. Clauſura num. 7.* & alii apud ipſos. Quæ doctrina à fortiori procedit, ſi Monialis ſtaret in ipſo Oſtio, quia Oſtium eſt partim intrà, & partim extra Clauſuram, ut docet Gloſa *cum Sanctam de Pœnit. diſt. 6.* Imò qui ſtat in Oſtio cenſetur eſſe in domo, ut videbimus ad *Inter. 12.* Vide etiam *ad Inter. ſequ.*

1459 Inter. 11. Si Monialis ſe ponat in Rota, & faciat illam volvi verſus partem externam, ubi non eſt Clauſura, cenſenturne violaſſe Clauſuræ legem?

Reſp. Diana *par. 3. tr. 2. reſol. 52.*

 putat

putat, quòd ſi Monialis non egrediatur è Rota, non violat Clauſuram, ratione parvitatis materiæ, & hanc ſententiam probabilem cenſet Lezana *loco cit. ſub num.* 20. quia Monialis non egreditur ex ambitu, ſed ſe habet, ac ſi eſſet in ipſo Oſtio Clauſuræ, ut dixi ſupra *ad Inter. antecedentem*. Vide Bonacinam *de Clauſura qu.* 1. *pun.* 8. *num.* 7. Undè ſecluſa aliqua prava circumſtantia, non videtur damnanda de peccato mortali talis Monialis, nec aliquam incurrere pœnam contra violantes Clauſuram impoſitam, quanquam ab iſtis nugis, etiam ſecluſo ſcandalo, Religioſa debet ſe abſtinere.

1460 Inter. 12. In quo caſu quis poteſt excuſari ratione parvitatis materiæ ob ingreſſum Monaſterium Monialium?

Reſp. Certum eſt, neminem ſine licentia Epiſcopi licere ingredi Monaſterium Monialium ſub pœna Excommunicationis Papæ reſervatæ, etiā quoad Moniales aliquem admittentes, ut patet *ex cap. Periculoſo in principio, de ſtat. Monac. in* 6. ex Conc. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. & ex Bulla B. Pii V. & Greg. XIII. 28. data Idibus Junii anno 1575. teſte Zecco *de caſ. reſerv. caſ.* 10. *in princ.* & Lezana *tom.* 1 *par.* 1. *cap.* 25. *num.* 24. *&* 27. vide ſupra *in tit.* 115. *de ingreſſu in Monaſteria Monialium, ad Inter.* 3. His ergo prænotatis idem Zeccus *ubi ſupra* aſſerit conſiſtētem in ſolo Oſtio, ſito intrà Clauſuram ſubjici pœnis, idque probat, quia ſtans in Oſtio, cenſetur eſſe in domo, & incurrit pœnas ingredientis domū, ut docet Bartolus *l.* 3. *§. hoc interdict. num.* 1. *ff. de Cloacis*. Baldus *rubr. paulo poſt princ. verb. hic adde ff. ſoluto Matrimonio.* Alexander *conſ.* 137. *num.* 18. *vol.* 2. ubi & alios refert: Jaſon *l. plerique num.* 20. *limit.* 4. *ff. de in jus vocando*, & idem Jaſon *in l. Cætera §. hoc Senatus Conſultum n.* 11. *ff. de Legat.* 1. Verùm Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 19. *&* 20. putat non comprehendi eum, qui eſt in Oſtio, quia, ut dixi ſupra, Oſtium eſt partim intrà, & partim extrà Clauſuram, & hoc mihi probatur, quia terminus clauſuræ Monialibus determinatus à Sūmis Pontificibus, non phiſicè, & metaphiſicè, ſed moraliter accipiendus eſt, ac proindè admittit parvitatem materiæ; Non approbo tamen id, quod docet Naldus *in Summ. verb. Clauſura num.* 1. & Merolla *tom.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 2. *diff.* 7. *num.* 502. nempe eſſe modicum ingreſſum, quando per duos pedes quis eſſet intrà portæ clauſuram; nec cum limitatione Dian. *par.* 5. *tract.* 5. *reſ.* 22. *verſ. ſed non deſinam*, qui putat eſſe intelligendum, quando cum eo modico ingreſſu conjungetur parvitas moræ intrà Monaſterium, & non, ſi mora eſſet diuturna, ſeù notabilis; Nam cum hic ſit verus intrà clauſuram ingreſſus, videtur ſufficere ad mortalem culpam, & pœnas incurrendas, nec modicum reputari debet, quando perfecta tranſgreſſionis ratio in illo reperitur.

1461 Inter. 13. Daturne parvitas materiæ in Simonia, ità ut poſſit aliquando eſſe peccatum tantùm veniale?

Reſp. Aliqui admittunt dari parvitatem materiæ in Simonia extrà vēditionem gratiæ, & Sacramentorum, & putant in Simonia, materiam parvam excuſantem à mortali eſſe illam, quæ excuſaret à furto, ad arbitrium tamen viri prudentis. Doctores ita ſentientes adducit Diana *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 2. Sed Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. *& ſeqq.* docet egregiè, nullo pacto, nec ex parte rei ſpiritualis, nec ex parte pretii, poſſe dari diminutionem circa tale peccatum Simoniæ, & huic ſententiæ adhæreo, quia quantumvis modica res ſpiritualis vendatur, & quantumvis modicum ſit pretium, eſt mortale, quod planè rei ſpirituali irrogetur injuria, eam pretio æſtimando; Sanchez *in Summ. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. & alii multi.

1462 In-

1462 Inter. 14. Daturne parvitas materiæ in ſollicitatione?

Reſp. In ſollicitatione facta in Confeſſione, non datur parvitas materiæ, ut rectè docet Diana *par.5.tr.5. reſ.9.* cæterique Doctores. Nam in rebus venereis non datur parvitas materiæ, & opinio contraria jam fuit reprobata à Clem. VIII. teſte Diana, *par.3.tr.5.reſ.1.& par.5.tr.5.reſ.5.* plures allegans.

1463 Inter. 15. Quænam ſunt illæ res, quæ non admittunt parvitatem materiæ excuſantem à peccato?

Reſp. Parvitas materiæ, quæ excuſat à peccato, non datur in Apoſtaſia à fide, aut hæreſi, vel alia infidelitate, nec in Blaſphemia hæreticali, in juramento falſo aſſertorio, in ſimonia, in rebus venereis, in fractione ſigilli Sacramentalis Confeſſionis,& fractione jejunii naturalis requiſiti ad Communionem, in ſollicitatione facta in Confeſſione, in omiſſione operis injuncti alicujus indulgentiæ, quæ non lucratur, quamvis eam non lucrari non ſit peccatum, in ætate requiſita ad ordines ſuſcipiendos, aut profeſſionẽ in Religionem emittendam, neque in ſortilegiis, & magia, in uſura, & cæteris hujuſmodi, ut videre licet apud Dianam *par. 5. tr. 5. per totum*, ubi plura agit de parvitate materiæ.

TITULUS CLXII.

De Patrinis.

Vide tit. de Cognat. Matrim. dir. Int. 7. 9. tit. de Deb. conjug. Inter. 4. tit. de Reg. Inter. 70.

1464 INter. 1. Ad quid de jure tenentur ipſi Patrini?

Reſp. Licèt Sotus apud Em. Sà *verb. Baptiſmus ſub num. 14.* dicat Patrinos teneri curam gerere ſuſceptorũ puerorum ſi neceſſitas urgeat, tamẽ de jure hoc intelligi debet de ſpirituali, non autem de temporali cura, nãm in *cap. vos ante de conſecr. diſtin. 4.* dumtaxat præcipitur, ut qui in Baptiſmo parvulos ſuſcipiunt pro eis apud Deũ fidejuſſores exiſtant, eoſque admoneant, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligent, & charitatem teneant, ubi Gloſ. ſic habet *Qui ſuſcipit aliquẽ de Sacro Fonte videtur pro illo apud Deum Fidejubere, & ideò debet eum in bonis moribus inſtruere, Symbolum, & Orationem Dominicam docere* Ex quo quidem elicitur ad nil aliud teneri: Immò plerumque ab hac obligatione etiam excuſantur, & liberati cenſentur Patrini, quia à Parentibus, à Parocho, vel Ludi Magiſtro in fide inſtrui ſolent. Ità D. Thomas *3. par. quæſt. 67. ar. 8.* Suarez, Coninch. & Em. Sà, quos allegat,& ſequitur Layman *tom. 1. l. 8. tr. 2. c. 9. ſub num. 1.* Vide Tolet. *lib. 2. c. 23. ſub num. 4.* Bonac. *de Sac. diſp. 2. quæſt. 2. pun. 5. n. 18.* Patrinus autem Confirmationis nullatenus confirmatum inſtruere tenetur, cum talis obligatio expreſsè non reperiatur in jure ſicut de Patrino Baptiſmi; Sic docet Coninchus *de Sacra. quæſt. 72. ar. 10. num. 94.* cui ſubſcribit Diana *par. 3. tr. 4. reſ. 21. & in Sum. verb. Patrinus num. 7. in fine*, favet etiam Layman. *ubi ſupra tr. 3. c. 6. num. 1.* & Pax Jordanus *lib. 3. tit. 2. ſub num. 60. prope finem* & adducit Bonac. Henriquez, & Euſebium Jordanum ejus Fratrem.

1465 Inter. 2. Vir, & Uxor poſſuntne licitè ſuſcipere, vel tenere aliquem puerum in Baptiſmo?

Reſp. Dico quod cognatio ſpiritualis, à Viro tenente àliquem in Baptiſmo contracta, non tranſfunditur in Uxorem, vel è contra, nec inter ipſos Patrinos contrahitur cognatio ſpiritualis, ac proinde licitè, & ſine peccato de Jure communi poſſunt vir, & uxor ſuſcipere, vel tenere alienum puerum in Baptiſmo, ut reſolvunt. Navar. *in man. cap. 22. num. 39.* Sanchez

chez *de Matrim. lib. 7. diſp.* 56. *num.* 5. Barboſ. *de offic. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 30, *num.* 57. *& in collect. ad Tridet. ſeſſ.* 24. *de Reform. Matrim, cap.* 2. *num.* 21. & Bonac. *de matrim. q.* 3. *pun.* 5. §. 2. *n.* 5. Dixi de jure communi non peccare conjuges tenentes aliquē in Baptiſmo, quia in aliquibus Diœceſibus prohibitum eſt marito, & uxori ſuſcipere ſimul puerum; ideòque non poſſunt ſine peccato abſque licentia Ordinarii ſimul ſuſcipere puerum de Sacro Fonte, & ad id à Parocho admitti, ubi adeſt dicta prohibitio. Vide Dianam *par.* 11. *tract.* 8. *reſ.* 57. *verſ. Quæro ſecundo*.

1466 Inter. 3. Patrinus poteſtne matrimonium contrahere cum ea, cum qua ſimul alienum filium ſuſcepit?

Reſp. Cognatio ſpiritualis non contrahitur inter ipſosmet Patrinos, ut docent Doctores communiter, & habetur ex Conſt. Beati Pii V. quæ incipit, *Cum illius vicem* edita *anno* 1566. in qua etiam apertè declaratur, poſſe Patrinum matrimonium contrahere cum qua ſimul alienum filium ſuſcepit, ut teſtatur Barboſ. *in Collect. Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 2. *num.* 22. qui alios concordantes refert. Patet igitur reſponſio in dicto caſu.

1467 Inter. 4. Quæ ætas requiritur ad hoc, ut quis ſit legitimus Patrinus, & poteſtne non baptizatus munus patrini obire, aut non confirmatus, aliquem in Confirmatione tenere?

Reſp. Ætas neceſſaria ad exequendum munus Patrini, nullo Jure determinatur, undè aliqui putant neceſſariam eſſe ſaltèm ætatem 14. annorum, quia in hac ætate quis poteſt eſſe pater carnalis; ſed mihi probabilius dicendum videtur, poſt ſeptennium quemlibet habentem uſum rationis ſufficiētem ad exercendum munus Patrini, cum debita intentione faciendi, quod faciunt alii Patrini, poſſe admitti ad tale munus exequendum; nam licèt quis non poſſit eſſe Pater naturalis ante 14. annum, tamen non obſtat quin poſſit eſſe Pater Spiritualis, & cognationem ſpiritualem contrahere, ut rectè docent Sanchez *de Matrim. lib.* 7, *diſp.* 6. *num.* 3. & 4. Baſilius Pontius *lib.* 3. *cap.* 73. *n.* 5. & alii, quibus ſubſcribit Diana *par.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 29. *verſ. Notandum eſt hic &c.* Non Baptizatus autem munus Patrini obire non poteſt, nec cognationem ſpiritualem contrahere ſuſcipiendo aliquem de ſacro fonte juxtà communiorem ſententiam, quam tradunt plurimi, quos dat, & ſequitur idem Dian: *loco cit. reſ.* 89. *verſ. Verum hic &c.* Et docet Em. Sà *verb. Baptiſmus ſub num.* 15. *in addit.* Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 60. *n.* 7. cum D. Thom. & aliis. Tandem non confirmatus admitti non debet ad tenendum aliquem in Confirmatione; ſed ſi admitteretur, utique cagnationē ſpiritualem contraheret, ut docet idē Em. Sà *loco cit. & verb. Matrim. impedim. dirimentia ſub num.* 5. licèt oppoſitum dicat Sanchez *loco cita. n.* 20. ſed pro utraque opinione validæ adſunt rationes.

1468 Inter. 5. Peccatne mortaliter; vel venialiter tantùm, qui recipit, vel adminiſtrat Sacramentum Confirmationis ſine Patrino?

Reſp. Tam qui accipit, quàm qui hoc Sacramentum adminiſtrat ſine Patrino, mortaliter peccat, quia licèt Patrinus non ſit de neceſſitate Sacramenti, eſt tamen adhibendus de neceſſitate præcepti, quod præceptum obligat ſub mortali. Navar. *in man. c.* 22. *ſub num.* 9. Alloza *in Sum. verb. Confirmatio num.* 9. & alii communiter.

1469 Inter. 6. Eſtne licitum in Confirmatione aſſumere plures Patrinos ſimul, videlicèt Virum, & fœminā, ut ſit in Baptiſmo?

Reſp. Non deſunt Doctores pro affirmativa ſententia, & hi ſunt, Cornelius Muſſus Epiſcopus Biruntinus. *fol.* 113. Venerus *in exam. Epiſcopor. fol.* 5. Toler. *lib.* 2. *c.* 24. *num.* 4. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 51. *num.* 9. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 31. *num.* 152.

Perez

Perez *de Matrim. diſp.* 29. *ſect.* 5. *n.* 21. nec videtur diſſentire Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. par.* 2. *alleg.* 30. *num.* 43. apud Pacem Jordanum *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 73. Navar. *in man. c.* 22. *nu.* 40. & noviſſimè eam docet Petrus à S. Joeſeph *in tr. de Sacr. par.* 2. *diſt.* 6. *ſect.* 6. ubi ſic ait: *Juxta jura antiqua eum, (ſcilicet ſuſceptorem) debere eſſe unum tantùm, ſivè virum, ſivè fœminam, jam verò poſſe admitti unum, & unam, ut ſupra dixi de Baptiſmo.* His tamen non obſtantibus non eſt recedendum à cōmuni ſententia, quæ docet hoc licitè minimè fieri poſſe, nec obſtat incontrarium adducere, ſcilicèt in omnibus æquiparari per Sacros Canones Baptiſmum, & Confirmationem, quia quidquid ſit de jure antiquo, certè non æquiparantur in hoc per Tridentinum *c.* 2. *ſeſſ.* 24. *de reform. Matrim.* ubi loquitur tantùm de Baptiſmo, non per Pontificale Romanum ultimò confectum ab Innoc. X. non per S. Carolū, Pii IV. Nepotem; qui Trid. clauſit, non per Cardinalem Paleottum Secretarium Concilii, qui acta conſcripſit, nec per uſum Romæ certiſſimum, & paſſim alibi, ut ex Synodis Provincialibus, & Diœceſanis conſtat. Liquet igitur, quòd hæc opinio excluſiva duorum fundatur in jure antiquo, novo, & noviſſimo, praxi antiqua, nova, & noviſſima, Doctoribus antiquis, novis, & noviſſimis, ità ut negari nō poſſe videatur eſſe multo probabiliorem contrariā; & hanc noſtram ſententiam tradunt poſt Trident. Rebellius *de oblig. juſt.* 2. *par. lib.* 3. *q.* 6. *num.* 6. Barboſ. *loco ſupra cit.* Em. Sà *verb. Confirmatio ſub num.* 17. *in fine*, Bonac. *de Matrim. quæſt.* 3. *pun.* 5. §. 2. *num.* 2. Leander *de Sacr. tom.* 1. *tra.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 2. Hurtad. *de Matrim. diſp.* 18. *diffic.* 4. *num.* 13. Præpoſit. *in tert. part. quæſt.* 72. *art.* 10. *num.* 40. Baſſæus *verb. Confirmatio num.* 11. Diā. *pa.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 90. & alii plures penès ipſos, & tandem Pax-Jordanus *ubi ſupra num.* 74. teſtatur de communi, ſuadetque Epiſcopis nè contrariam opinionem ad praxim reduci permitant.

1470 Inter. 7. Unus poteſtne in cōfirmatione ultrà duos tenere eadem die, ſaltèm de licentia Epiſcopi?

Reſp. Dico primò, quod Patrinus in confirmatione debet eſſe alius ab eo, qui tenuit in Baptiſmo, niſi ex neceſſitate aliqua, ut docent communiter DD. Vide Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 30. *num.* 51. hoc prænotato. Dico ſecundo unum non poſſe in confirmatione tenere ultrà duos eadem die, ut habetur ex Pontificali Romano, tamen Epiſcopus poteſt concedere licentiam ſine peccato mortali aliquo probo Viro, maximè Curato, aut ſeni, ut ultrà duos teneat, quia præſumitur ceſſare malitia, & voluntas contrahendi cum filia ſpirituali, vel ejus Matre propter imparem conditionem. Ità reſolvit Genuenſis apud ipsū Barboſam *dicta alleg.* 30. *num.* 52. Vide eumdem Authorem *in Collect. Dect. in Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *num.* 4.

TITULUS CLXIII.

De Peccatis.

Vide de Celeb. Miſſ. ad quæſ. 1. *tit. de Circumſt. pec. tit. de Conſcie. Int.* 4. 5. *tit. de Contrit. Inter.* 2. *tit. de Culp. jurid. Inter.* 1. *tit. de Eccl. Immun. ad quæſ.* 5. *tit. de Eccleſiis ad quæſ.* . *it. de Monial. Inter.* 2. *tit. de Moribund. &c. Int.* 15. *tit. de Soc. crim. Inter.* 9. & 10. *tit. de Val. Vot. Inter.* 3.

1471 INter. 1. Quid eſt peccatum?

Reſp. Peccatum eſt dictum, factū, vel concupitum contra legem Dei æternam, vel eſt tranſgreſſio divinæ legis, & inobedientia cœleſtium mandatorum, Prima deffinitio habetur ex D. Auguſtino *lib.* 22. *contra Fauſtum c.* 27. Secunda ex D. Ambroſio *in lib. de Paradiſo cap.* 8.

1472 Inter. 2: Quotupliciter quis poteſt peccare?

Reſp. Cogitatione, verbo, opere, & omiſſione, item contra Deum, contra Proximum, & contra ſeipſum. Eſt comm. ſententia.

1473 Inter. 3. Quid requiritur ad hoc, ut aliquis ſciat ſe commiſiſſe peccatum?

Reſp. Requiritur, quòd cognoſcat ſe habuiſſe plenam deliberationem, & advertentiam ad id, quod fecit, quia non eſt peccatum, niſi voluntarium. vide Toletum *lib. 3. cap. 1. numer. 3. & ſequ.*

1474 Inter. 4. Qui eodem anno prætermittit Confeſſionem, & Communionem, quot peccata committit?

Reſp. Duo peccata, quia violat duo præcepta de re diverſa. Vide Bonacinam *de Sacr. diſp. 5. qu. 5. ſect. 2. pun. 4. n.* 18.

1475 Inter. 5. Si quis ſine mortali interruptione multa verba Blaſphemiæ in Deum proferret, committeretne unum, vel plura peccata?

Reſp. Quòd unum ſolùm peccatum Blaſphemiæ committeret, eſt opinio certè probabilis, ſicque opus non eſt, quòd in Confeſſione numerum blaſphemiarum explicet, ſed ſatis eſt dicere contra Deum Blaſphemias hæreticales, vel ſimplices intuli. Diana *par. 3. tr. 4. reſ. 163. §. Notandum*, & alii apud ipſum ità ſentiunt.

1476 Inter. 6. Qui maledicit Deum, & duodecim Apoſtolos, vel imprecatur mortem Titio, & toti familiæ illius, quot peccata committit?

Reſp. Quidam dicunt, quòd unũ ſolum peccatum committat; Alii putant duo eſſe peccata: Ego tamen teneo, & ſentio cum illis, qui docent, tredecim peccata committere, & tot peccata eſſe, quot ſunt de familia Titii, Ità Vaſqu. Molfeſ. & Azorius, *Tom. 1. lib. 4. cap. 4. qu.* 5. apud Dianã *ubi ſupra reſ. 164. §. Tertio infertur*, & ità mihi videtur in praxi tenendũ, quia unitas peccatorum non deſumitur tantùm ex unitate actionis, ſed etiam ex multiplicitate perſonarum, circa quas verſatur actio, ſed in caſu noſtro reperiuntur plures perſonæ, & plura ſubiecta, circa quæ verſatur illa maledictio, ergò ſunt plura numero peccata: Vide Dian. *par. 1. tr. 7. reſ. 17, & 29. in fine.*

1477 Inter. 7. Qui in actu mollitiei concupivit Virginem, Conjugatam, & Monialem, quot peccata commiſit?

Reſp. Tria peccata ſpecie diſtincta, & ſic tenetur in confeſſione exprimere conditionem perſonarum, quæ diverſam ſpecie malitiam actui communicant. Doctores communiter ità docent, teſte Bonacina *de Sacr. diſput. 5. qu. 5. ſect. 2. punct. 3. §. 3. diffic. 3. ſub num.* 24. Vide quæ dixi ad Int. 2. *tit.* 51. *de Copula carnali*, & Dian. *par. 1. tr. 7. reſ. 17. verſ. & ideo.*

1478 Inter. 8. Sacerdos habens rem cum Sorore nuptui tradita, ſed nondum à viro cognita, quot peccata cõmittit?

Reſp. Sacrilegium, quia eſt Sacerdos; inceſtum, quia Soror ipſius eſt; adulterium, quia juncta eſt Matrimonio; & ſtuprum, quia nondum fuit à viro cognita.

1479 Inter. 9. Si Sacerdos per vim Uxorem fratris, nondum à viro cognitam cognoſcat, quot peccata committit?

Reſp. Sacrilegium, inceſtum, ſtuprum, Raptum, & Adulterium. Ità docet Corradus *in Reſ. quæſ. 29. circa finem*, ſed quoad inceſtum non puto verum, quia affinitas non contrahitur, niſi ſecuta copula carnali, & per commixtionem ſanguinum viri, & fœminæ, vel ſaltem requiritur viri ſeminatio intrà vas uxoris, &c. Sà *verb. affinitas & verb. impedim. dirim. ſub n.* 13. & alii plures, vide *in tit. 12. de Affin. ad Int.* 5. & 7.

1480 Inter. 10. Qui comedit carnes diebus prohibitis ſine juſta cauſa, quot peccata committit?

Reſp.

Reſp. Toties, quoties eas comedit, quia facit contra præceptum negativum. Dian. *par. 1. tr. 9. reſ.* 45. & alii communiter.

1481 Inter. 11. Qui habet votum jejunandi ſingulis quartis feriis, & in ea die incideret vigilia de præcepto Eccleſiæ, edendo carnes, quot peccata committeret?

Reſp. Non ſolùm toties, quoties eas comedit, quia faceret contra præceptum negativum, ſed etiam peccaret contra votum, peccato ſacrilegii. Vide Panimollà *deciſ.* 125. *n.* 20.

1482 Inter. 12: Qui carnes edit ea die, qua vovit jejunare, quot peccata committit?

Reſp. Solùm peccat prima vice eas comedendo, dūmodò non ſit dies, in qua ab Eccleſia prohibeatur eſus carnium. Diana *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 45. *§. Notandum, & par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 32. *verſ. Aſſertior &c.* Layman *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 3.

1483 Inter. 13. Qui vovit non bibere vinum, peccatne toties, quoties illud bibit?

Reſp. Certò peccat toties, quoties illud bibit, nam ità obligant præcepta negativa, ut dixi *in tit.* 70. *de Diff. ad Int.* 5. *& in hoc tit. ad Int.* 10. Bonacina *de præc. Decal. diſp.* 4. *qu.* 2. *pun.* 6. *ſub num.* 23. *in fine*. Tamen fatendū eſt, non quamcunque vini potati quātitatem eſſe mortale peccatum, quia illius parvitas excuſare equidem poteſt; Immò Diana mox citandus docet, quòd videatur requiri ad mortale tantum vini potati, quantum in uno prandio ſufficere poſſet pro potu communiter utentibus temperatè vino, pro qua ſententia allegat Sanchez *loco proximè citato*, quæ tamen mihi non placet, dum talis ſententia, & doctrina nimis lata, & meritò viſa etiam eſt Tambur. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 15: *§.* 6. *num.* 15. ne deſeras ipſum videre, nam optimum fundamentum habet. Verùm nota, quòd ſi eſſet votum jejunandi in pane, & aqua, manifeſtè culpa mortalis eſſet ſemel bibere, quia frangeret jejunium, ut ex Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 12. *n.* 21. docet ipſe Diana *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 37.

1484 Inter. 14. Qui tenetur jejunare ex voto in die veneris per totum annum, & in ea die occurreret vigilia alicujus Sancti de præcepto, frangendo jejunium, quot pecccata faceret?

Reſp. Duo peccata, quia ex duplici capite tenetur ad jejunium, nempè ratione voti, & ratione præcepti, & ſic faceret contra duas virtutes; eſt communis ſententia.

1485 Inter. 15. Qui in die jejunii, pluries comedit, quot peccata cōmittit?

Reſp. Unum tantùm peccatum, dummodò non ſit cibus prohibitus, quia facit contra præceptum affirmativum. Sà *verb. Jejunium num.* 13. Diana *par.* 1. *tr.* 9 *reſ.* 44.

1486 Inter. 16. Si vigilia de præcepto contingat in Quadrageſima, non jejunando illa die, quot peccata committuntur?

Reſp. Unum tantùm peccatum, & ratio eſt, quia peccata non multiplicantur à multiplicitate præceptorum, quando eamdem virtutem reſpiciunt, ut accidit in hoc caſu. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 16. & alii apud ipſum.

1487 Inter. 17. Qui unico voluntatis actu ſtatuit totam Quadrageſimam non jejunare, vel per menſem omittere Miſſam, aut Horas Canonicas nō recitare, committitne unum, vel plura peccata?

Reſp. Dico, quòd tot peccata committit, quot ſunt dies Quadrageſimæ, idem quoque dicendum eſt de eo, qui ſtatuit omittere Miſſam, vel Officium Divinum per unum menſem & ratio eſt, quia in eodem numero actu phyſico dantur plures malitiæ morales nomero diſtinctæ, ideòque cenſentur plura numero peccata. Ità pluribus relatis firmat Diana *parte* 3. *tr.* 4. *reſ.* 164. vide quæ dixi *in tit.* 36.

de Circumſtantiis Peccatorum ad Interrogationem 30.

1488 Inter. 18 Quot peccata committit, qui uno iræ impetu ter, vel quater aliquem percutit?

Reſp. Unum tantùm numero peccatum committere, docet Suarez, Sayrus, & Ugolinus, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 163. Unde ſufficit, quòd in Confeſſione dicat, ſe aliquem percuſſiſſe graviter, vel leviter, non explicato numero percuſſionum.

1589 Inter. 19. Si quis uno ictu tres occideret Clericos, quot peccata, & quot excommunicationes incurreret; & quid de irregularitate eſt dicendum?

Reſp. Qui unico ictu tres homines occidit, tria homicidia numero diſtincta committit. Ità docent plures apud Dianam *par.* 11. *tr.* 3. *reſ.* 3. & tenet etiam Gabriel Beatus *qu.* 67. *in reſol. caſus num.* 11. *& ſeqq.* ergò qui occideret unico ictu tres Clericos, tria peccata homicidii committeret, & in tres excommunicationes incurreret, ut ex Navarro, Sayro, Molina, Ugolino, & aliis, docet Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 164. qui etiam aſſerit idem dicendum eſſe de irregularitate. Verùm qui v. g. ter percutit Clericum uno iræ impetu, unam dumtaxat excommunicationem incurrit, prout jam docui *in tit.* 89. *de Excomm. ob Cler. perc. ad Inter.* 25.

1490 Inter. 20. Qui jurat ſe occiſurum inimicum, aut non auditurum Sacrum in die feſto, quot peccata committit?

Reſp. Duo peccata committit, unum ex intentione, quam habet peccandi, alterum ex juramento ſupra rem injuſtam; Juſtitia enim in juraměto promiſſorio requirit, ne id quod promittitur ſub juramento ſit peccatũ adimplere, quod ſi non intendit facere, jam peccat mortaliter, quia ſine veritate jurat, ſi autem intendit, bis peccat, ut dixi. Navar. *cap.* 12. *n.* 15. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 21. *ſub num.* 10. & quia irrogatur injuria Deo, adducendo ipſum in teſtem rei peccaminoſæ, & illicitæ, & juramento abutitur, ideò eſt perjurus qui jurat ſe occiſurum inimicum, aut non auditurum Sacrum in die feſto; & conſequenter peccat etiã peccato Sacrilegii. Vide Bonacinam *de præc. Decal. diſp.* 4. *qu.* 1. *pun.* 4. *n.* 1. & præſertim Cajetan. *in Summ. verb. Perjurium*. Concludo igitur, ſic jurantem bis peccare, ſive intendat juramentum adimplere, ſive non intendat, ut rectè ex D. Thom. docet Armilla *verb. Juramentum n.* 9.

1491 Inter. 21. Teſtis interrogatus ſimul ſuper pluribus capitibus, & articulis diverſis ſub juramento, tamen ex ejus propria malitia, vel dolo, & culpa, ſuper omnibus mentitur, committitne plura peccata neceſſariò explicanda in Confeſſione?

Reſp. Unum tantùm peccatum mortale committit, ideoque ſufficit quòd in Confeſſione dicat: tranſgreſſus ſum juramentum, & non adimplevi quandam obligationem; & ratio eſt, quia eſt unum peccatum in genere moris, & ità docet Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. *in Gloſ. litt. F.* qui citat Archidiaconum, & Sarmientum, quibus adſtipulatur Diana *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 40. Vide iterum Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 163.

1492 Inter. 22. Confeſſarius, qui eſt in peccato mortali, ſi excipiat Confeſſiones multorum pœnitentium, ſed ſucceſſivè, & ſine ulla interruptione, quot peccata committit?

Reſp. Quòd tantùm unum peccatum committat, eſt ſententia probabilis, unde ſufficit quòd in Confeſſione dicat: adminiſtravi Sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali, nec opus eſt, quòd dicat toties. Diana *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 43. *& par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 67. & alii plures apud ipſum, ſed reverà oppoſitum eſt probabilius, & tenendum ut dicã hic *ad Int.* 24.

1493 Int.

1493 Inter. 23. Quot peccata mortalia committit, qui Sigillum Confeſſionis revelat?

Reſp. Duo peccata mortalia committit; Unum contra Iuſtitiam, & ideo tenetur ad reſtitutionem damni inde ſecuti, quia ex læſione Juſtitiæ reſtituendi damna obligatio conſurgit. Secundo, peccat etiam peccato Sacrilegii, quia infert injuriam Sacramento Pœnitentiæ, cum de Jure Divino ſit impoſitum Confeſſionis Sigillum. Bonac. *de Sacr. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *n.* 4. Diana *par.* 5. *tract.* 4. *reſ.* 2. & alii communiter..

1494 Inter. 24. Confirmans plures ſucceſſivè in peccato mortali, quot peccata committit?

Reſp. Secundum probabiliorem ſententiam dicendum eſt, quod ſi in eodem tẽpore centum perſonis Sacramentum Confirmationis conferat, centum peccata mortalia committat, ſicuti Confeſſarius in peccato mortali exiſtens, ſi in eodem tempore centum perſonas abſolveret, centum peccata committeret, nam currit eadem ratio; Et huic ſententiæ adhæret Diana *par.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 58. & docent innumeri Doctores. Vide quod dixi *ad Int.* 22.

1495 Inter. 25: Quot peccata committit, qui alium ad peccatum inducit, & ſimul cum eo peccatum conſummat?

Reſp. Duo peccata committit, etiamſi non intendat ruinam ſpiritualem proximi, nam ultrà illud peccatum, quod committit, peccat etiam eo peccato, quod alter peccat, ut dicam *in tit.* 201. *De Scandalo, ad Int. ult.* eſt enim cauſa alterius peccati, & conſequenter imputatur inducenti; nõ poteſt autem excuſari à peccato, qui eſt cauſa peccati: Ità ex aliis docet Bonac. *De Peccatis, diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 2. §. *ult. num.* 15. & 16. & *de Sacram. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *ſub num*: 19. *verſ. Sed mihi.* Vide etiã Sanchez *in Sum. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 4.

1496 Inter. 26. Quodnam eſt majus peccatum, inducere Mulierem ad fornicationem, vel illam occidere?

Reſp. Neceſſariò oportet diſtinguere, aut inducens fœminam ad fornicandum directè, & formaliter intendit ejus ruinam ſpiritualem, ut ſcilicèt, illud ſpirituale damnum patiatur; vel per ſe primò, & directè, tantùm delectationem intendit, licèt indirectè, & ſecundariò velit etiam ejus ſpirituale nocumentum, cum ſit cauſa mortis ſpiritualis illius. In primo caſu majus peccatum committitur, quã illam corporaliter occidere, quia tunc eſt peccatum odii formalis proximi, & ſcandali, quod quidem cum directè ſit contrà Charitatem, eſt gravius, quàm peccatum homicidii, cum ſit tantùm contra Juſtitiam, & ideò minus grave, ſicut, & rectitudo Juſtitiæ, minus perfecta eſt, quam rectitudo Charitatis. In ſecundo verò caſu, ſecùs dicendum eſt, quia tunc peccatum inducentis ad fornicandum, non accipit ſpeciem ſcandali, & odii formalis proximi; ſed ſolùm provocationis ad delectationem per ſe intentam; conſequenter minoris malitiæ eſt, quã homicidium. Ità efficacius probat ex Lorca *in* 1. 2. *quæſt.* 73. *art.* 8. Cajet. *ibid.* Vaſquez, & Alvarez. Diana *par.* 9: *tract.* 7. *reſ.* 35. contra Curielem 1. 2. *quæſt.* 73. *art.* 8. *dub.* 6. Vide Vaſquez *ibid. diſp.* 102. *cap.* 4. & 5. pro hac noſtra ſententia. Em. Sà *verb. homicidium num.* 19. & Bonac. *tom.* 2. *de leg. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 2. §. *unic. num.* 14.

1497 Inter. 27. Quot peccata committit qui ratione Ordinis Sacri, & beneficii tenetur perſolvere Horas Canonicas ſi illas non recitat?

Reſp. Putant nonnulli duo peccata committere, quia violat duplicem virtutẽ ſpecie diverſã, ſcilicèt virtutem Religionis ratione Ordinis Sacri, & virtutem Juſtitiæ ratione Beneficii. Ità Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *c.* 14. *qu.* 6. Suarez *de Relig. lib.* 4. *c.* 13. *num.* 5.

Sanchez *de Matrim. lib. 9. diſp. 15. n. 6.* & alii apud Dian. *part. 2. tr. 12. reſ. 22.* Oppoſitum tamen ſuſtinet Diana ex aliis, quos ipſe ſequitur, & dicunt quod Clericus Beneficiarius teneatur dumtaxat recitare Horas Canonicas ratione Religionis, & conſequenter unum tantùm peccatum committere, quia violat unam tantùm virtutem; mihi tamen probabilior apparet prima ſententia, quia Eccleſia Beneficiũ hac lege, & conditione confert, ut Beneficiarius horas perſolvat, alioquin fructus ſuos non faciat, ergo Beneficiarius Divini Officii recitationem ommittens, facit contra iſtam legem, conditionem, & pactum, ac ſubindè violat etiam juſtitiam, cum ex pacto inito inter duos Juſtitiæ obligatio conſurgat, quare neceſſariò puto hanc circumſtantiam eſſe in confeſſione aperiendam, ut firmat Bonac. *de Horis Can. diſp. 1. quæſt. 5. pun. 1. n. 4. & 5.* & alii penès ipſum.

1498 Inter, 28. Clerici, & Religioſi poſſuntne licitè, & ſine peccato ire venatum?

Reſp. Eſt illicita, & jure Eccleſiaſtico prohibita ventio animalium terreſtrium, vel volatilium, tam Religioſis, quàm Clericis Sæcularibus. Religioſis *in Clem. 1. de ſtatu Monac. §. Porrò*: Clericis, *in cap: 1. & 2. de Clerico Venatore.* Præterea Religioſis eſt prohibita qualiſcumque venatio, adhuc ea, quæ non eſt clamoroſa, & quæ non eſt cum ſtrepitu. Ità docet Gaſp. Hurtado *de Juſtit. diſput. 1. diff. 24.* apud Dian. *par. 9. tr. 9. reſ. 40.* Sed Lezana *par. 1. tom. 1. cap. 9. n. 20.* cum tribus Auctoribus ibid. citat. probabiliter putat, prohibitionem venandi non eſſe ſub mortali ceſſante ſcandalo, & aliis pravis circumſtantiis extrinſecis, quando ſolùm fit venatio honeſtè, recreationis gratia, vel ad reficiendas animi vires, quæ doctrina militat æqualiter, tam pro Clericis Sæcularibus, quàm pro Religioſis; Nam ſolùm venatio clamoroſa cum ſtrepitu, & apparatu Canum, & armorum eſt ſub peccato mortali prohibita, imò ſub gravi Suſpenſionis pœna, ut patet *ex cap. 1. de Cler. venat.* dummodò tamen ſit frequenter, & per modum conſuetudinis, ut docent idem Gaſp. Hurtado loco citato, Molina, Dicaſtil. & alii, quos dat, & ſequitur Diana *ubi ſupra, & par. 10. tract. 13. reſ. 29. verſ. Notat. etiam hic*; & Em. Sà *verb. Venatio in addit. propè fin.* Verùm mihi videtur dicendum, quòd ratione ſtatus Sacri, non deceat Eccleſiaſticos præſertim in Sacris conſtitutos, venari frequenter, & multò minus pro una tantùm vice venationi clamoroſæ operam dare, quia ferè ſéper adeſt ſcandalum, periculum occiſionis, vel mutilationis hominum, ultrà quòd ſubtrahuntur ab aliis muneribus, ſcilicèt dandi Eleemoſinam, prædicandi, recitandi horas Canonicas, ſtudendi, vel aſſiſtendi Choro, vel adminiſtrandi Sacramenta, & ob periculum etiam celebrandi inquieto, aut tumultuanti ſpiritu, & hac occaſione ducendi Canes, & Aves in Eccleſiam, & Chorum cum ſcandalo aliorum, & impedimento attentioni debitæ, Sunt verba Dicaſtil. *de Juſtit. lib. 2. tract. 2. diſp. 9. dub. 10. num. 300.* Licèt ipſe putet non eſſe peccatum mortale ſi venatio clamoroſa non fiat frequenter, ut dixi, quod mihi ſanè non placet. Vide etiam Bonac. *de Reſt. diſp. 2. quæſt. ult. ſec. 10 pun. 1. num. 2. & 3.*

TITULUS CLXIV.

De Peccato mortali.

Vide tit. de Diff. Int. 8. tit. de Parv. mat. Int. 2. tit. de Pec. ven. Int. 1. tit. de Præcan. Conf. Int. 6. tit. de Sig. Confeſ. Int. 3. tit. de ſoc. crim. Int. 10.

1499 INter. 1. Qui exiſtimat aliquid eſſe peccatum lethale, aut dubitat, an ſit mortale, vel non, & tamen illud facit, peccatne mortaliter, quàmvis in ſe id quod fecit, non fuerit peccatum lethale?

Reſp. Peccat certò mortaliter, nõ ſo-

ſolùm ratione conſcientiæ erroneæ,ſed etiã,quia nunquã operari licet cũ dubio de peccato. Ità DD. communiter docent. Tolet. *cap.* 2. *n.* 3. *lib.* 3.

1500 Inter. 2. Si quis putaret ſe peccere mortaliter audiendo Sacrũ in diebus feriatis, peccaretne mortaliter?

Reſp. Utique peccatum mortale committeret, quia jam habet animum peccandi mortaliter, licèt illa Miſſæ auditio verè non ſit peccatum mortale, ſed actus meritorius. Imò ſi aliquis putet eſſe peccatum audire ſacrũ in die feſto, mortaliter peccat ſi audiat, & etiam mortaliter ſi non audiat: tenetur igitur deponere conſcientiam erroneam, & ſcire non eſſe peccatum, ſed præceptum, vel opus bonum, & meritorium in aliis diebus Miſſam audire. Tolet. *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 3. Vide à me dicta *ad Int. anteced. & ſupra in tit.* 45. *de Conſc. ad Int.* 6. *& in tit.* 145. *de Infirmis*, pariter *ad Int.* 6. *& infra in tit.* 199. *de Sacril. ad Int.* 7.

1501 Interr. 3. Clericus, vel Religioſus incedens perſonatus, ſivè larvatus, vulgò *maſcherato*, peccatne mortaliter?

Reſp. Peccat quidem mortaliter; Nam Clericis, & Religioſis eſt prohibitus ludus larvalis *in cap. Cum decorē de vita, & honeſtate Cleric.* & ità tradunt Sylveſt. *verb. ludus ſub numer.* 2. Lezana *tom.* 2. *verb. ludus ſub numer.* 8. Diana *par.* 10. *tract.* 13. *reſ.* 29. & alii apud ipſos. Immò Religioſus incurrit etiam excommunicationem, cum temerè dimittat habitum ſuæ Religionis, quod eſt Religioſis ſub pœna Excommunicationis prohibitum *in c. Ut periculosè, ne Clerici, vel Monachi in* 6. quamvis hæc Excommunicatio non ſit reſervata, ut docet Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 9. *num.* 1. *& c.* 13. *num.* 2. Vide Bonacinam *tom.* 2. *de Reſtit. diſp.* 2. *qu.* 3. *pun.* 1. *num.* 17. qui etiam tenet peccare mortaliter Clericum larvatum incedentem, niſi brevi tempore, rarò, & abſque ſcandalo id faceret. Breve autem tempus in hoc caſu appellat unam horam dumtaxat; ſed hoc intelligendum eſt, ſecluſo aliquo pravo fine, &c. Verùm puto licitum tale ludum larvale tam Clericis, quàm Religioſis tempore Baccanaliũ, ſi fiat abſque ſcandalo, cum debitis circumſtantiis, & Superioris licentia, honeſtæ recreationis gratia, præſertim ſine preſentia Sæcularium, in aliquo privato loco Epiſcopi, vel Conventus Religioſorum, ut pluries memini me vidiſſe, permittentibus Prælatis; ſed circa habitus dimiſſionem propter ludum larvalem, vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 13. *num.* 15. Dianam *par.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 7. & Armillam *verb. Habitus, ſub num.* 2. *& verb. de Larvis ſub num.* 1.

1502 Inter. 4. Excommunicatio ferenda, obligatne ad peccatum mortale; & quid dicendum eſt de Suſpenſione, Interdicto, Irregularitate pœnali, & de privatione Eccleſiaſticæ Sepulturæ?

Reſp. Excommunicationem ferēdam eſſe ſignum mortalis affirmat Diana *par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 75. licèt hanc ſentētiam temperet cum Sanchez *in Sum. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 51. niſi ad terrorem excommunicatio poſita ſit, & non animo illam ſtatim, & ſine ulla monitione inferendi. Verùm mihi minus placet illa ſententia, quæ afferit in tali caſu eſſe recurrendum ad gravitatem, vel levitatem materiæ, ex qua facilè colligi poterit, an obliget ſub mortali, vel non; ideò videndus eſt Sanchez ibidem. Cæterùm, quamvis Diana *loco citato* aliis allegatis dicat, quòd Suſpenſio, Interdictũ, Irregularitas pœnalis, ſi abſolutè non proferantur, ſed ferendæ ſint, non ſint ſignum obligationis ſub mortali; tamen mihi magis probatur id, quod docet idem Sanchez *ubi ſupra num.* 54. ſcilicèt, Suſpenſionem, Interdictum, & Irregularitatem eſſe ſignum obligationis ſub mortali, quia quando tranſgreſſioni legis, tamquam pœnę imponuntur, cum graviſſimæ ſint, im-

poni

poni nequeunt abſque mortali culpa, niſi Suſpenſio, & Interdictum eſſent leves, ut alicujus actus ad breve tempus; tunc enim non eſſent indicium obligationis ſub mortali, quia cum leves pœnæ ſint, poſſunt pro veniali imponi. Ità Sanchez, qui *num.* 55. idem aſſerit de privatione Eccleſiaſticæ Sepulturæ, quia eſt graviſſima pœna. Vide igitur quę dicam *in titulo* 172. *de Præcept. annuæ Communion. ad Int.* 4. & Lezanà *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 8. *num.* 13. *&* 15. Et etiam Tolet. *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 3. & Sylveſt. *verb. Præceptum num.* 3. & nota quod in rebus dubiis non debet homo ſe exponere periculo peccandi, agendo contra leges, quæ non ſolùm pręcipiunt, ſed pœnas graves aliquando latas, vel ferendas infligunt tranſgreſſoribus; Sed de hoc dubio vide iterùm Dian. *par.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 5. *verſ. Sed ut verum, &c.* qui etiam nobiſcum idem ſentit.

TITULUS CLXV.

De Peccato Veniali.

Vide tit. de Deb. Conjugal. Int. 11. *tit. de Differ. Int.* 8. *tit. de Intent. Int.* 4. *tit. de Jubil. Int.* 2. *tit. de Præcep. an Confeſſ. Inter.* 5. *tit. de Regul. &c. Int.* 27. *tit. de Sigil. Confeſſ. Int.* 3. *tit. de Val. Vot. Int.* 3.

1503 INter. 1. Peccatum veniale poteſtne fieri mortale?

Reſp. Quòd in ſe eſt veniale, nequaquam fieri poteſt mortale; tamen aliquando ratione finis, aut ratione circumſtantiæ, utique mortale fieri poteſt. Ut ex. g. verbum jocoſum eſt veniale, ſicut eſt dicere: vita mea, bonum meum, cor meum alicui; nihilominus, ſi talia verba, aut ſimilia proferantur cum prava intentione, ſcilicèt ad alliciendum animum illius ad malum, procul dubio fit mortale: Ità etiam furari acum Sartori, qui aliū non habet, ut poſſit ea die ſibi victum acquirere, eſt peccatum mortale, licèt tale furtum in ſe ſit de re minima, &conſequenter veniale, nam ratione illius circumſtantiæ fit mortale quaſi per accidens. Eſt communis ſententia: ſed vide Toletum *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. qui plura adducit exempla.

1504 Interr. 2. Qui haberet voluntatem committendi omnia peccata venialia, peccarentne mortaliter propter talem voluntatem, quamvis Religioſus non eſſet?

Reſp. Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. & alii, dicunt, quòd peccaret mortaliter, quia ſe exponit periculo peccati mortalis. Sed contrarium, quod tuetur Diana, mihi magis placet, quia malitia interni actus voluntatis deſumitur ab obiecto, prout proponitur à ratione, ſed obiectum hujus internæ voluntatis ſunt omnia venialia, & nulla major Malitia proponitur à ratione, præter malitiam venialem, ergò interna voluntas committendi omnia venialia, non poteſt eſſe culpa mortalis, ut ex Granado firmat Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 24. & hoc quidem mihi videtur probabilius, nam neque illud propoſitum involuit periculum proximum peccandi mortaliter, cum illud periculum non conſiſtat in aliquibus venialibus tantùm, ut patet, neque in omnibus ſimul ſūptis; non enim poteſt dari caſus, in quo hæc committantur. Quapropter meritò dixit Granadus videri in ipſis terminis contradictionem involvi, dū dicitur peccatum eſſe veniale, & eſſe proximum periculum mortalis. Verum eſt tamen, quòd ſi iſte eſſet Religioſus, culpam mortalem non evaderet, quia Religioſus tenetur progredi in via perfectionis, ad quam ſe obligavit quando emiſit profeſſionem, & peculiaribus votis ſe Deo dicavit, & in via Dei non progredi, regredi eſt. Sed vide Sotum *in* 4. *diſtinct.* 16. *qu.* 2. *art.* 1. §. hic animadvertendū eſt, quem citat Diana *ubi ſupra*.

1505 Int.

1505 Inter. 3. Peccata venialia, poſſuntne eſſe materia Confeſſionis?

Reſp. Non eſt dubium, ſed notandum eſt, quòd venialia peccata non ſunt materia neceſſaria, ſed tantùm materia ſufficiens; Undè Pœnitens nō tenetur in confeſſione ea manifeſtare, niſi ratione majoris perfectionis, propter gratiam, quę in ipſo Sacramento datur, & propter actum humilitatis, qui tunc exercetur: Doctores communiter.

1505 Inter. 4. Qui habet plura peccata venialia, poteſtne licitè, & tuta conſcientia aliqua confiteri, & alia reticere?

Reſp. Si vult licitè, & tuta conſcientia id facere quit, nam ut dictum eſt ſupra, peccata venialia non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis, ſed tantùm ſufficiens, & ſic non peccat reticendo aliqua, vel etiam omnia. Emman. Sà *verb. Confeſſio ſub n.* 12. & alii omnes.

1507 Inter. 5. Extra Confeſsionem, poſſuntne aliqua alia via peccata venialia remitti?

Reſp. Utique poſſunt remitti, némpè per opera charitatis, & per quædam Sacramentalia, ut per aquam benedictam, & orationem Dominicam. habetur *ex Can. Aquam ſale, de conſec. diſt.* 3. Item remitti poſſunt per Epiſcopi benedictionem, per tunſionem pectoris, & per Confeſsionem generalem, hoc eſt dicendo Confiteor, &c. eliciendo actum amoris erga Deum, ut ait S. Thoma teſte Potito de Joriis *in Tract. de Jubil. extr. ſub num.* 21. Ideòque ſupradicta fieri debent cum aliqua devotione, & reverentia, atq; diſplicentia de dictis venialibus, proùt docent etiam Tolet. *lib.* 3. *c.* 3. *n.* 3. & Emm. Sà *verb. Peccatum num.* 12. Vide Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 61. qui pluribus relatis tenet, aquam benedictam delere peccata venialia ex opere operato, quod mihi valdè probatur, licèt Bonacina *de Sacr. diſp.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 2. *pun.* 2 cum aliis ibi congeſtis teneat, quòd Sacramentalia non remittant peccata ex opere operato, ſed ex opere operantis excitando ad actum contritionis, ſeù amoris, per quem peccata venialia immediatè delentur, per Sacramentalia verò mediatè: utraque ſententia eſt probabilis.

1508 Inter. 6. Ex peccato veniali contra juſtitiam, oriturne obligatio reſtituendi?

Reſp. Quidam dicunt, abſque peccato mortali non conſurgere obligationem reſtituendi, ſecluſa obligatione, ratione contractus, vel Officii, Ità Sanchez *in Summ. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 160. & alii plures penès Bonac. *loco mox. citando*. Mihi tamen oppoſitum videtur probabilius. Ità optimè concludit Bonacina *de Reſt. diſ.* 1. *qu.* 1. *pun.* 3. *n.* 5. & alii ab ipſo relati. Vide ergò quæ dixi *in tit.* 98. *de Furto, ad Int.* 4. *&* 5. & quæ dicam *in tit.* 232. *de Venditione, & Venditoribus ad Interrogat.* 1.

TITULUS CLXVI.

De Penſionariis, & Penſionibus.

Vide tit. de Ætat. &c. Int. 8. *tit. de Excom. min. Int.* 4. *tit. de Illeg. Int.* 2. 3. *tit. de Privil. &c. Int.* 12. *tit. de Reſt. accept. Int.* 11. *tit. de Simon. Inter.* 19. 20. *&* 23.

1509 INter. 1. Quid eſt Penſio?

Reſp. Penſio eſt jus quoddam exigendi certam partem fructuum Beneficii, & res eſt annexa ſpirituali, ſicut Beneficium. Navar. *in Man. cap.* 23. *num.* 111. Emm. Sà *verb. Penſio nu.* 2. & alii. Vide ſeq. Reſp.

1510 Inter. 2. Poteſtne habere penſionem, qui non eſt Clericus, vel Clericus, qui duxit Uxorem, & quid eſt penſio?

Reſp. Dico primo, quod penſio, quæ datur alicui ob raſignationem, vel ceſſio-

ceſſionem beneficii Eccleſiaſtici, quæ communiter hodie uſitatur, eſt jus quoddam exigendi certam partem fructuum beneficii, & eſt res annexa Spirituali, ſicut beneficium, ut docent Doctores, quos refert, & ſequitur Em. Sà *verb. penſio num.* 2. idem docet Toletus *lib.* 5. *cap.* 82. *num.* 1. & ego jam dixi ad Inter. antecedentem. Dico ſecundo, quod penſio ipſo jure perditur per matrimonium, & ſecundum aliquos, quamvis matrimonium nullum ſit, & invalidum. Vide Em. Sà *loco cit. num.* 4 & ibi Victorellum, qui alios Doctores id aſſerentes refert. Dico tertio cum Toleto *ubi ſupra num.* 3. penſionem dari non poſſe niſi habenti ſaltem primam Tonſuram, nam ſolus Papa penſionem dare poteſt laico, ut ait Em. Sà *ibidem num.* 3.

1511 Inter. 3. Penſio Clericalis eſtne materia Simoniæ?

Reſp. Non eſt dubium, quia confertur cum onere ſpirituali, nam ex Bulla B. Pii V. quæ incipit: *Ex proximo*; edita anno 1571. penſioni eſt annexū onus recitandi parvum Beatiſſimæ Virginis officium, ac proinde eſt annexa rei ſpirituali, conſequenter materia ſimoniæ, ſi venderetur, aut emeretur. Toletus *lib.* 5. *cap.* 82. *num.* 1. & 2. Bonacin. *de Simon. diſp.* 1. *quæſt.* 4. §. 13. *num.* 4.

1512 Inter. 4. Valetne Epiſcopus ex juſta cauſa imponere penſiones ſuper Beneficia pinguia ſuæ Diœceſis?

Reſp. Quidam affirmant, alii verò probabilius negant, ut Toletus *lib.* 5. *cap.* 83. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 38. *num.* 206. Lopez, Sotus, Ledeſma, CaſtroPalao, Valentia, Aragonius, & alii, quamvis non deſint Auctores alitèr ſentientes, ut videre licet apud Dianam *par.* 9. *tract.* 9. *reſ.* 49. qui tandem in fine reſolutionis ſic concludit. Verùm ſi ſtylus Curiæ hodie abſolutè, & ſine ulla diſtinctione penſiones omnes reſervat ſoli Pontifici, ut vult Toletus, Leſſius, Binsfeldius, & alii privativè quoad Epiſcopos, videtur ab ipſis omninò ſervandus, quia ſtylus Curiæ facit jus, & in his materiis Romana praxis eſt regula: Unde cautè procedant Epiſcopi; Nam præter juriſdictionem uſurpatam, Beneficiatus tentabit litem contrà penſionarium de nullitate penſionis impoſitæ ab Epiſcopo poteſtatem non habente.

1513 Inter. 5. Penſionarii tenēturne ſicut Beneficiarii ad eleemoſynas erogandas?

Reſp. Si penſio eſt Eccleſiaſtica, utique tenentur ſub mortali, ſicut Beneficiarii ex ſuperfluo ad honeſtam vitæ ſuſtentationem dare eleemoſynas. Ità ex Molina, Hurtado de Mendoza, & aliis docet Diana *par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 29.

TITULUS CLXVII.

De Pyxide, in qua ſervatur ſacra Euchariſtia.

Vide tit. de Sacr. Euchar. ad quæſ.:

1514 INter. 1. Pyxis in qua ſervatur Sacra Euchariſtia, debetne eſſe conſecrata?

Reſp. Vaſquez, Sotus, Nugnus, Coninchus, Azorius, & alii dicunt, non opus eſſe, ut ſit conſecrata, quia nullo Jure conſtat hoc requiri, & hanc ſententiam ſequitur Bonac. *De Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 9. *num.* 23. niſi fortè alicubi vigeat cōſuetudo in contrarium, quæ utique ſervanda eſſet, & hic Romæ putat Lezana *tom.* 2. *verb. Benedictio ſub num.* 11. quòd pyxis chriſmate conſecretur. Cæterum in Pontificali Romano tantùm ponitur benedictio illius, teſte eodem Diana *part.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 3. & Emm. Sà *verb. Euchariſtia num.* 31.

1515. Inter. 2. Fitne conſecratio ſi Pyxis poſita ſuper corporale non aperiatur tempore conſecrationis?

Reſp. Ad hoc dubium ſic reſpondet Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 103. in fine

ſine. *Nota tamen obiter, quod ſi Pyxis poſita ſuper corporale non aperitur tempore conſecrationis, fit tamen conſecratio. Ità omnes Doctores*, nec diſſentit Rotar. *in Exam. Cler. cap. 7. ſect. 3. num.* 44. Sed ego ut verum fatear, licèt ità ſit, ut docent Doctores communiter, tamen per ſpatium 40. annorum, ex quo ſum Sacerdos, ſemper prius pyxidem aperivi, ut viderem, quid ibi eſſet antequam verba conſecrationis proferrem, deindè obſervato materiam conſecrationi aptam eſſe in ipſa pyxide, conſecrabam, ſicut etiam nunc obſervo. Et nota quod particulæ conſecratæ à Sacerdote non debent in ciborio obſerrari, neque ab Altari removeri, niſi poſt ſùptionem corporis, & ſanguinis Domini, quià ad illud Sacrificium pertinent, ut docent plurès DD. quos ego vidi. Et concordat Rotarius *loco cit. cap. 9. ſect. 10. ſub n. 2.*

Quær. Qua pœna ſit puniendus Parochus, quandò ob ejus negligentiam particulæ conſecratæ corrumpuntur in pyxide, aut nulla adeſt particula conſecrata pro communicando infirmo proximè morituro?

Reſp. Singulis hebdomadibus renovari debet Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, etiàm tempore interdicti, *ex cap. Permittimus de ſenten. exco.* ut docet Em. Sà *verb. Euchariſtia propè finem*. Undè Parochus, qui incautè, & negligenter ſe habet in aſſervatione SS. Euch. puniri debet ab ejus Ordinario pœna ſuſpenſionis ab officio ad tres menſes, ut decernitur *in cap. ſtatuimus de cuſtod. Euchar.* & docet Raynaldus *tom. 1. obſer. cap. 10. §. 8. num. 6. pag.* 534. nàm non ſolùm peccat mortaliter, & eſt cauſa, ut Populus idololatriam, ſaltèm materialiter, committat, ſed prætereà deſſicit à proprio officio in re gravìſsima, cum poſsit eſſe cauſa, ut ovis ſibi cōmiſſa decedat abſque viatico, quòd ſi de facto id accidat, poteſt puniri pœna ſuſpenſionis ad biennium, ac etiam poteſt deponi ad arbitrium Ordinarii juxta qualitatem negligentiæ; nàm quando pœna non eſt in jure præſcripta, vel taxata, delinquens poteſt & debet pœna arbitraria puniri juxtà prudentis Superioris arbitrium, majori, vel minori, proùt defectus exegerit, & per alias taxatas circiter regulari debet Prælatus. Vide Raynaldum *loco cit.* & Barboſam *de Offic. Parochi cap. 20. n. 27. & 31.* Quomodo autem Parochus Euchariſtiam pro uſu ſuæ Paræciæ aſſervare debeat, optimè docet doctus P. Rotarius *in appar. pro examine Clericorum cap. 9. ſect. 10. n. 1.* ne deſeras ipſum videre.

TITULUS CLXVIII.

De Pœnis.

Vide tit. de Cenſur. &c. tit. de Defid. Int. 1. tit. de Eccl. Immun. Int. 48. tit. de Ign. Int. 19. 20. tit. de Infam. Inter. 5. tit. de Prælatis Regular. Int. 7. 28. tit. de Puer. Int. 8. tit. de Subdit. Int. 1. 2. tit. de Teſtibus &c. Int. 12.

1516 INter. 1. Legum pœnalium tranſgreſſores, quando leges obligant ipſo facto, ſeù abſque alia Judicis ſententia, tenéturne ipſas pœnas in ſe ipſos ſubire ante ſententiam declaratoriam?

Reſp. Non conveniunt Doctores, niſi quoad cenſuras, & irregularitates, nam omnes dicunt eas incurri in foro conſcientiæ, ante Judicis ſententiam, aut miniſterium, ut patet *ex cap. Non dubium de ſent. excom. cap. 2. de Cleric. non ordin. miniſtrante, & ex cap. Significaſti de homic.* Vide Emm. Sà *verb. Pœna num.* 1. Dico igitur, quòd illæ pœnæ, quæ conſiſtunt in actione, & paſſione, ſcilicet quæ non poſſunt executioni mandari abſque hominis actione, licèt obligent ipſo jure, vel ipſo facto, tamen non obligant in conſciētia ante ſententiam criminis, aut delicti declaratoriam, & conſequenter

nullus tenetur eas in ſe ipſum ſubire, niſi poſt ſententiam declaratoriam Judicis.Ità docent Rodriquez *tom. 1. qq. Regul. q. 2. art. 16.* Miranda *in man. tom. 2. qu. 25. art. 19. concl. 1.* Bonacin. *de Legibus, diſp. 1. qu. 1. pun. 7. §. 2. n. 10. & de Contract. diſp. 3. qu. 8. pun. ultim.* Salas *de legib. diſp. 15. ſect. 3. num. 46.* Diana *par. 1. tr. 10. reſ. 23. & par. 2. tr. 17. reſ. 67.* ubi pluribus relatis, hãc ſuſtinet ſententiam *& par. 4. tract. 4. reſ. 224. in fin. & par. 12. tr. de Conſec. Epiſco. reſ. 56.* Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 8. num. 33. & cap. 10. numer. 30.* Marcus Paulus Leo *in praxi ad litteras M. Pœnitent. fol. 349. verſic. Ipſeq; Lator*, & alii plures apud ipſos: Ideoque dicendum eſt, quòd quando in aliqua Bulla, Conſtitutione, aut Decreto imponitur privatio Officiorum, Dignitatum, Adminiſtrationis bonorum &c. hujuſmodi pœnæ non obligent in conſcientia, ante Judicis ſententiam, licèt ipſo jure, ſeù ipſo facto ſint impoſitæ, niſi aliter conſtet de mente Legiſlatoris volentis pœnam incurri, non expectata Judicis ſententia, *ut* docet ipſe Bonac. *loc. cit.* & alii, quos refert Victorellus *in Addition. ad Emm. Sà verb. Beneficium, ſub n. 20.* nam in iſto caſu puto valere doctrinã allatam *in tit. 131. de Largitione Munerum, ad Inter. 9.* ſecùs autem mihi dicendum videtur de illis pœnis, quę in ſola privatione conſiſtunt, ut ſunt inhabilitates ad officia, vel beneficia, aut vocis activæ, & paſſivæ privatio, nam videntur comparari irregularitatibus, & cenſuris, ut tradunt Rodriquez, Miranda, & Bonacina *locis ſupracitat.* Marcus Paulus Leo, *ubi ſup. fol. 358. verſ. Et alii*, & tandem idem etiam tenet Lezana *par. 1. tom. 1. c. 10. num. 31.* ubi in fine ſic concludit: *Addiderim tamen maximè hoc eſſe verum loquendo de pœnis, non quidem purè privativis, in quibus exequendis non exigitur aliqua actio hominis, ut ſunt inhabilitates &c. ſed de aliis, in quibus talis actio non exigitur*. Sed videre quæſo Bonacinam *tom. 2. de legib. diſp. 1. qu. 1. pun. 7. §. 2. num. 9. & præcipuè verſ. Aliæ pœnæ, & num. 10. verſ. ex dictis*, ubi plures concordantes adducit pro hac firmanda ſententia.

1517 Inter. 2. Qui incurrit pœnas privationis Officii, activæ, & paſſivæ vocis, poſito quod ipſo facto incurrantur non expectata ſententia, teneturne ſe officio privare, & ſuffragium non ferre, &c?

Reſp. Doctores in hoc omnes cõveniunt, aſſerendo delinquentem non teneri ſe Officio, aut Beneficio, neq; voce activa, & paſſiva abdicare, quando hoc præſtare nequeat ſine periculo gravis infamiæ, quia jus ad propriam famam conſervandam præponderat juri humano indicenti privationem Officii, Beneficii, vociſque activæ, & paſſivæ. Bonacina *loco proximè citato*, Sayrus *in Clavi Regia lib. 3. c. 9. n. 35.* Sorbus *in Compend. privil. mendicant. verb. Ingredi Monaſteria §. Idem dicendum.* Navar. Sotus, Cordubà, quos refert, & ſequitur Lezana *tom. 2. verb. Pœna, num.* 8. Tamen diligenter debet diſpenſationem, vel abſolutionem inquirere, ne interim officium, ſeù Beneficium, &c. quibus privatus eſt, iniquè contra conſcientiam retineat, ut docent Sayrus, & Bonacina *locis citatis*, & alii. Vide Dianam *par. 1. tract. 10. reſol. 24. verſic. Et Notandum*.

1518 Inter. 3. Quis ſuper has pœnas abſolvere, vel diſpenſare poteſt?

Reſp. In foro conſcientiæ, dummodò delicta ſint occulta, poſſunt Epiſcopi cum ſibi Subditis, & Prælati Regulares cum ſuis, propter multa privilegia Religionibus conceſſa, ut aſſerit Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 10. num. 34. & 35. & cap. 18. num. 36. &* 46. Vide Peyrinum *tom. 1. privil. min. in Conſt. 6. Julii II. num. 24. & ibid. num.* 25. negat poſſe Prælatos Regulares in foro externo, cum ſuis Subditis in iſtis pœnis diſpenſare, quod

in

in praxi eſt ſequendum, non obſtante id quod decet Rodriquez *tom. 1. qu. 24. art. 17.* Joannes de la Crux *lib. 1. de ſtat. Relig. cap. 6. dub. 15. conſ. 6.* & alii cum nullum pro hac parte ſolidum fundamentum, aut privilegium afferatur. Vide Dianam *par. 3. tr. 2. reſ. 66. verſ. Notandum eſt*, ubi ex Rodriquez *loco ſupracit.* docet poſſe Generales, & Provinciales Religionum exemptare, & diſpenſare in ſupradictis pœnis; Advertit tamen Sanchez apud Lezanam, *ubi ſupra cap. 18. num. 46.* non poſſe Superiores Religionum hanc facultatem delegare, eo quòd B. Pius V. in ſuo privilegio ſolùm concedit Prælatis, ut per ſeipſos id faciant. Cæterùm ſi res ad forum externum delata fuit, ad Summum Pontificem pertinet diſpenſare, ut docet Bonacina *de Largition. muner. diſput. 3. punct. 5. ſub num. 3.*

1519 Inter. 4. Qui docet, Confeſſionem fieri poſſe per litteras, aut abſolutiouem impendi poſſe à Confeſſario abſente, aut è contra, quam pœnam incurrit?

Reſp. Puto jam eſſe notum Clem. VIII. in quodam decreto edito in generali Congregatione Sãctiſſimæ Inquiſitionis, damnaſſe illam propoſitionem, quæ aſſerebat licere per litteras, ſeù internuncia Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere; & pœnam excommunicationis latæ ſententiæ ſibi, & ſucceſſoribus ſuis reſervatæ impoſuiſſe contra aliter affirmantes, docentes, aut defendentes: An verò incidat in hanc Excommunicationem, docens, aut defendens fieri poſſe Confeſsionem in abſentia, non autem dicens abſolutionem impendi poſſe à Confeſſario abſente, vel è contra, affirmat Bonac. *tom. 3. de Cenſur. extra Bullam Cœnæ, diſp. 2. qu. 3. pun. 33. num. 3.* & optimas aſsignat rationes; Nam ſi pœna Excommunicationis punitur, enuncians, abſolutionem impendi poſſe abſenti, eadem etiam pœna puniri debet aſſerens, licere in abſentia per litteras, vel internuntium, Confeſſario abſenti, peccata ſacramentaliter confiteri, quia militat eadem ratio. Alias rationes vide ſi placet apud ipſum; Mihi enim videntur concludentes.

1520 Inter. 5. Judex aut alius Superior, poteſtne inquirere, & punire illum, cujus peccata deſcripta invenerit in charta, quæ peccata pœnitens ſac. ritu expiare decreverat, ſed chartam perdidit?

Reſp. Judex, vel alius Superior, qui inventa dicta charta conatur contra illum inquirere, & punire, certò peccat mortaliter, quia ſilentio ea peccata tegere perpetuò debet. Ità Sotus *in 4. diſt. 18. qu. 4. art. 5. in fine.* Emm. Sà *verb. Confeſſor ſub num. 32. in addit.* Bonac. *de Sacr. diſp. 5. qu. 6. pun. 3. num. 8.* Diana *par. 5. tr. 11. reſ. 27. verſ. Unde ex his*, qui refert Facundez *præcept. 2. lib. 6. cap. 4. n. 28.* & eſt communis ſententia, nam inſtrumenta Confeſſionis par non eſt, ut adducantur ad externum forum cum injuria Sacramenti, & detrimento Fidelium, quibus redderetur odioſa Sacramentalis Confeſſio, & retraherentur ab ea.

1521 Inter. 6. Flagella, & mala inflicta nobis à Deo in hoc mundo, poſſuntne eſſe ſatisfactoria pro peccatis noſtris?

Reſp. Videtur, quòd non, quia homo, velit, nolit, ea tolerare debet, & quia actus debet eſſe meritorius, adhoc ut ſit ſatisfactorius, ideò non poteſt eſſe meritorius cum non ſit voluntarius, & conſequenter dicta flagella, ſeù mala non poſſunt eſſe ſatisfactotia, cum non ſint voluntaria. Tamen D. Thom. *in 4. diſt. 15.* & in additionibus *qu. 5. art. 2.* probat, quòd pœna à Deo inflicta poſsit eſſe ſatisfactoria pro peccatis, quatenus peccator eam voluntariè acceptat, & patienter ſuſtinet, ſicut Beatus Job, qui dicebat: *Sicut Domino placuit, ità fa-*

ctum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Undè Infirmus, qui vellet ſanari, ſi poſſet, ſed quia non poteſt, fert bono animo in nomine Domini, utique ſatisfacit, non ſolùm per patientiam, quam habet, ſed quia ipſę pœnæ à Deo inflictæ, ſunt de ſe ſatisfactoriæ, ſicut pœnæ Purgatorii, & multò melius. Ità habetur ex Victoria *in Summ. de Satisfactione num.* 190. ubi plura ad intentum. Imò id docet expreſsè Trid. *ſeſſ.* 14. *de pęni.. cap.* 9. Vide Emm. Sà *verb. ſatisfactio ſub num.* 11. idem docentem.

1522 Inter. 7. Qui aſſerit matrimonium ſine conſenſu Parentum celebratum irritum eſſe, aut à Parentibus irritari poſſe, incurritne aliquam pœnam?

Reſp. Non ſolùm peccat mortaliter, ſed etiam incurrit pœnam excómunicationis latam à Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 1. *in princ.* nam filii regulariter loquendo, non tenentur Patri obedire in iis, quæ ad proprium vitæ ſtatum pertinent, ac proinde validitas matrimonii non pendet à voluntate parentum, ut ex Navarra, Sanchez, & Guttierez affirmat Bonacina *tom.* 3. *de cenſur. in particulari, diſp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 8. *num.* 4. Vide quæ dixi *tom.* 1. *in tit.* 96. *de Filiis, ad Inter.* 4.

1523 Inter. 8. Titius commiſit homicidium, quod imputatur Cajo, ad quid tenetur Titius, qui videt Cajum puniri pro delicto, quod ipſe commiſit?

Reſp. De jure ad nihil tenetur, nā non videtur obligandus ſe ipſum prodere, ſeque periculo propriam vitam omittendi exponere, dum ipſe non eſt cauſa illius damni, niſi per accidēs, & conſequenter nec reſtituere tenetur. Favet Navarr. *in man. cap.* 25. *numer.* 17. Soto *lib.* 4. *qu.* 6. *art.* 3. quibus aſtipulatur Emm. Sà *verb. Reſtitutio num.* 37. & docet etiam Cutillus *in Append. ad pract.* 2. Jacobi Mancini *dub.* 22.

TITULUS CLXIX.

De Polygamia.

Vide tit. de Denunc. Inter. 12. *tit. de Differ Inter.* 22. *tit. de Infam. Int.* 2.

1524 Inter. 1. Quo jure eſt prohibitum habere ſimul plures uxores viventes?

Reſp. Non ſolùm eſt prohibitum jure Eccleſiaſtico, ſed etiam Jure naturali, & divino, ut tradunt DD. cómuniter, & licet in veteri lege licita fuit uxorum pluralitas ob diſpenſationem Dei, cum Deus poſſit diſpenſare in jure naturæ ſecundario, ut eſt ſimul habere plures uxores, tamen ea diſpenſatio, quæ conceſſa fuit in veteri lege, jam revocata fuit à Chriſto Domino; habetur ex Evangeliſta Matth. *c.* 19. ubi dicitur. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam & & aliam duxerit mœchatur*; Undè ſi mæchatur aliam ducendo, multò magis ducendo aliam retenta prima; ex quo ſequitur non poſſe Papam diſpenſare in pluraritate uxorum, cum nequeat diſpenſare in jure naturæ, aut divino. Vide Bonac. *de Matrim. diſp.* 3. *pun.* 10. *num.* 3. & 4. & eſt doctrina comm. vide etiam ad Inter. ſeq.

1525 Inter. 2. Polygami ſuntne denunciandi Inquiſitoribus, ut de hæreſi ſuſpecti?

Reſp. Polygami ſunt quidem de hæreſi ſuſpecti, nam duas habere Uxores eodem tempore, eſt de Jure Divino prohibitum ſecundum probabiliorem opinionem. Immo neceſſariò dicendum videtur, quod in lege Evangelica ſit omninò certum, quod habere ſimul duas uxores ſit contra Jus divinum, ſicut eſt certum, & non ſolum probabilius, quod Papa non poſſit ſuper hoc diſpenſare. Et nota quod Polygamus videtur male ſentire de unitate matrimonii unius cum una, dum poſt primam viventem ducit ſecun-

cundam. Bordonus *in man. Conſul. ſect.* 28. *num.* 21. & ſic denunciandi ſunt Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, ut patet ex edicto SS. Inquiſitionis. Vide *in tit.* 70. *de de Differentiis, ad Inter.* 21. *& in hoc titulo, ad Inter. antecedentem*, & Dianam *par.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 4.

1526 Inter. 3. Confeſſarius, qui audit Confeſſionem alicujus dicentis, ſcire quemdam eſſe Polygamum, quid facere debet talis Confeſſarius; poteſtne ipſum abſolvere?

Reſp. Non debet ipſum abſolvere, niſi firmiter proponat velle talem Polygamum, Epiſcopo, vel Inquiſitoribus denunciare.

1527 Inter. 4. Qui uno, eodemque tempore duas Uxores habet, eſtne de hæreſi ſuſpectus, & qua pœna eſt puniendus?

Reſp. In noſtra Romana Inquiſitione talis Reus eſt vehementer de fide ſuſpectus, & ſic torquetur, & abjurat de vehementi, ut docent Naldus *in Sum. verb. Uxor. num.* 2. Genuenſis *in praxi cap.* 68. *num.* 13. Pegna *in direct. part.* 2. *comment.* 8. Riccius, Farinaccius, & Ricciullus apud Dianam *par.* 4. *tract.* 7. *reſ.* 4. Unde Bariola *in Aphor. litt. V. verb. Uxor* §. 1. ſic habet. Si quis aliquam ducat Uxorem priore vivente, hoc ſpectat ad S. Officium, & ex decreto Urbis confeſſi, vel convicti præmiſſa tortura in forma abjurant de vehementi coram Congregatione, & ad remum tranſmittuntur per quinquennium, vel per ſeptenniū, pœnitentiis ſalutaribus injunctis Inquiſitorum arbitrio. Sed circa tale dubium vide Conc. Trident. *ſeſſ.* 24. *de matrim. can.* 2. & ea quæ dixi ad Inter. 2. ibi in fine citata.

TITULUS CLXX.

De Poſſeſſoribus bonæ, vel malæ fidei.

Vide tit. de Emption. &c. Int. 1. 2. *tit. de falſ. Mon. Int.* 1.

1528 Inter. 1. Quiſnam dicitur poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei?

Reſp. Poſſeſſor bonæ fidei verè is dicitur, qui ignorat ſe alienum poſſidere, ſed cognitione Domini poſſidet. Sylveſt. *verb. Reſtit.* 3. *num.* 9. ex Panor. quos ſequitur Fagnan. *in cap. gravis, de reſtit. ſpolia. num.* 42. addens ex Bart. quod item dicitur bonæ fidei poſſeſſor, qui credit tradentem eſſe Dominum. Poſſeſſor verò male fidei is dicitur, qui rem poſſidet, quam pro certo ſcit, eſſe alienam, & ad aliū pertinere: Etiam is, qui ſcit, rem pro certo, non eſſe ſuam, verè dici poteſt malæ fidei poſſeſſor, quoniam ſcire debuit eſſe alienam. Fagnan. *ubi ſupra num.* 38. *&* 39.

1529 Inter. 2. Qui Poſſidet bona fide rem alienam, quam bona fide emit à fure, poteſtne licitè exigere à Domino rei pretium, quod ipſe ſolvit?

Reſp. Doctores communiter dicunt quòd non, ſed debet illam ei ſtatim reſtituere abſque pretio, nam æquum non eſt, ut Dominus rem ſuam emat, & ſi non reddit, ſit poſſeſſor malæ fidei, & conſequenter eſt reus omnium dānorum inde provenientium, ratione iniquæ detentionis, quæ comparatur iniquæ acceptioni. Verum tamen eſt, quòd poteſt exigere pretium ab eo, qui ſibi vendidit. Bonacina *de Reſtitut. diſp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 1. *num.* 4. Toletus *lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 7. & alii communiter, teſte Sanch. *in Sum. lib.* 2. *c.* 23. *num.* 2.

1530 Inter. 3. Uterque poſſeſſor, tam malæ, quàm bonæ fidei, ſi rem ipſam habeat ratione rei acceptæ, teneturne eodem modo reſtituere?

Reſp. Uterque tenetur reſtituere, ſed non eodem modo, ut ſupra explicatum eſt, & cum differentia notanda, ſcilicèt malæ fidei poſſeſſor, qui emit v. g. Equum à latrone ſcienter, tenetur reſtituere Domino, ſive habeat adhuc Equum, ſive furto ei fuerit ſublatus, ſive alteri vendiderit, ſive mortuus fuerit; ſed bonæ fidei poſſeſſor, ſi ſtan-

ſi ſtante bona fide, ab eo ſublatus eſt, vel mortuus eſt, vel venditus tanti, quanti emptus, ad nihil tenetur, licèt poſtea ſciat Equum fuiſſe furto ſublatum; tenetur tamen ei, cui vendidit ſervare indemnem, & reſtituere prætium, ſi fortè fuerit ablatus, ut Domino reddatur. Ità Toletus *lib.5.c.17. n.* 4. Tandem poſſeſſor bonæ fidei, pro illo tempore, quo fuit in tali poſſeſſione, non tenetur reſtituere, niſi ré quæ extat; item ſi extant aliqui illius fructus naturales, aut miſti (detractis expenſis) etiam illos reſtituere tenetur: ſi verò non extant, tenetur reſtituere ſolùm id, in quo factus eſt ditior; ſi autem nihil extat, ad nihil tenetur; Verùm poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere rem, & omnes fructus ejus, exceptis induſtrialibus, ſublatis expẽſis, ſive extent, ſive non extent, & ad integrum damnum quoque, quod ex illius injuſta actione alius paſſus eſt. Ità docent Doctores communiter.

TITULVS CLXXI.

De Præceptis.

Vide tit. de Abbatiſ. &c. ad quæſ. tit. de Caſ. reſ. Int. 5. *tit. de Contrit. ad quæſ. tit. de Deſid. Int.* 2. *tit. de Differ. Int.* 5. *tit. de Ignor. Interr. ult. tit. de Puer. Int.* 1. *tit. de Regul. &c. Int.* 8. 37. *tit. de Subd. Int.* 4.

1531 INter. 1. Adeſtne præceptum obligans ſub mortali, ſumendi Sacramentum Confirmationis?

Reſp. Secluſo contemptu, & ſcandalo, non eſſe peccatum mortale hoc Sacramentum omittere, docent plurimi Authores, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 90. *verſ. Nota tamen*, quibus addo Bonacinam *de Sacr. diſp.* 8. *quæſt. unic. pun.* 2. *n.* 1. *&* 2. nam dicunt nullum adeſſe præceptum ſumendi Confirmationem; Tamen dico, quòd non ſolùm contẽptus, ſed notabilis negligentia ſit peccatum mortale. Vide Doctores apud Emman. Sà *verb. Confirmatio, ſub n.* 11. Quamquam verò hoc Sacramentum ſimpliciter, & abſolutè non ſit de neceſſitate ſalutis, tamen de benè eſſe, eſt talis, ut docet S.Thom. & alii apud Sylveſtrum *verb. Confirmatio numer.* 3. & ratio eſt, quia adjuvat in ſpirituali pugna contra vitia, & Diabolum, & armat, ac inſtruit ad hujus mundi prælia, & agones, ut habetur *ex cap. Spiritus Sanctus de conſecrat. diſt.* 5. Quare vix unquam poteſt hoc Sacramentum omitti ſine aliquo peccato, quia vix poteſt adeſſe juſta cauſa tanti boni negligendi, quod tam facile poteſt haberi. Ità cum Leſſio concludit Diana *loco ſupracit.* Et nota, quòd tunc quis dicitur eſſe contemptor, quando habita ſufficienti opportunitate ſine rationabili cauſa, illud non ſuſcipit. Sic Paludanus apud Sylveſtrum *ubi ſupra.* Toletus *lib.* 2. *cap.* 24. *ſub num.* 4. & alii.

1532 Inter. 2. Si Papa, vel Epiſcopus, ſub pœna alicuius cenſuræ præcipiat revelari tenentes rem alienam, aut aliquod grave crimen quis perpetravit, tenéturne omnes ſub dicta pœna obedire?

Reſp. Non omnes indiſcriminatim obedire tenentur, quia Cenſuræ contra non revelantes impoſitæ, non comprehendunt nec litigantes, nec eos, qui probabiliter credunt, rem illam ab eo, qui tenet, juſtè poſſideri, nec illos, qui certò neſciunt quid quæritur, aut ſi ſciunt, non poſſunt ſine periculo magni damni ſui, vel ſuorum revelare. Ità docet Emm. Sà *verb. Cenſura n.* 3. Immò qui in foro conſcientiæ excuſatur à peccato cum non reſtituit, excuſatur etiam à cenſura, & qui non eſt ſolvendo in foro conſcientiæ, excuſatur ab excommunicatione, ut docet Alloza *verb. Excommunicat. ſect.* 13. *num.* 4. *&* 8. qui Auctor ibidem *ſect.* 14. *num.*

ſum. 4. addit, quòd quando res non poteſt revelari ſine gravi damno revelantis, vel crimen eſt occultum, & reus non eſt de illo infamatus; vel quādo ſub naturali ſigillo ad conſilium ſumendum detectum eſt; vel quando Perſona ſanguine ſit illi conjuncta, niſi crimen ſit læſæ Majeſtatis Divinæ, vel humanæ, nulla cenſura poteſt obligare ad revelandum. Accipe, & perpetuò tene menti. Vide Sylveſtrum *verb. Furtum qu.* 15. Emm. Sà *verbo Debitum num.* 22. & Armillam *verbo Excommunicatio n.* 31. *&* 32. *& verbo Furtum num.* 16. Excipe tamen Edicta Sac. Inquiſitionis, quæ quando obligent etiam in caſibus ſupra recenſitis, videri poteſt apud Doctores; lata enim valde eſt materia. Vide quæ dixi *in tit.* 66. *de Denunciationibus ad Int.* 7. 8. *&* 30. & Bonac. *to.* 1. *diſput.* 6. *de onere, & obligat. denunciandi*, qui latè de hac tractat materia. Vide etiam Dianam *par.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 57. *in fine*.

1533 Inter. 3 Si Epiſcopus, ſub pœna excommunicationis, aliave cenſura præciperet, ut nullus Clericus poſt mediam horam noctis reperiatur extra propriam Domum, tenetne hujuſmodi præceptum?

Reſp. Dico quòd tenet, aliàs ſi non obſervant, incurrunt cenſuram ab eo impoſitam, quià licèt tale præceptum ſit de re levi, vel indifferenti in ſe; tamen quia Superior prævidet, vel dubitat, quòd aliquod grave malum ſit eventurum, habet juſtam cauſam præcipiendi. Ex quo ſequitur, Subditum teneri ſub mortali obedire, & ſi non obediat, cenſuram impoſitā contra inobedientes incurrere, docet ex Fabro Diana *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 47. *propè finem*. Et meritò quidem, nam Epiſcopi præceptum etiam difficile adimplendum eſt *cap. Summa* 23. *qu.* 1. Undè mandatum Epiſcopi, vel Judicis contemni non debet, aliàs punitur contemptor: Mandatum enim Superioris non eſſe contemnendum, probatur 35. *diſt. cap.* 1. *arg.* 8. *quæſt.* 1 *ſciendum* 11. *quæſt.* 3. *Si autem vobis*, & colligitur etiam *ex cap.* 1. *de Matrim. contr. contra interdictum Eccleſiæ*, & ibi Gloſa *in verb. Mandatum*. Verum eſt tamen, quòd ab hujuſmodi præceptis, ex levibus cauſis, & præſertim cum cenſura, ſimpliciter eſt abſtinendum, proùt inquit ipſe Diana *ibidem in fine*. Vide Toletum *lib.* 5. *c.* 4. *ſub n.* 11.

1534 Inter. 4. Poteſtne ſaltem Generalis Religionis præcipere Subdito, ut Epiſcopatum acceptet?

Reſp. Circa tale dubium negativè reſpondet Diana *par.* 6. *tr.* 8. *reſol.* 33. & pro ſe citat Suarez, Sanchez, Caſtropalao, Fauſtum, & Layman, & affert optimas rationes; idem docet Paſſerinus *de ſtatibus tom.* 1. *quæſt.* 186. *art.* 8. *num.* 21. & Peyrinus mox adducendus. Tamen pro affirmativa ſententia eſt S. Thom. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 2. *ad* 3. ubi ait: Votum emittentem teneri obedire Superiori Prælato obliganti ad acceptandum Epiſcopatum. Idem tenet Riccardus, D. Antoninus, Angelus, Armilla, & Sylveſter, quos citat, ſed non ſequitur ipſe Diana. Vide etiam Lezanam *tom.* 2. *verb. Epiſcopus, quoad Regulares num.* 37. *&* 38. qui favet huic noſtræ ſententiæ, licèt Diana ex aliis explicat D. Thomam, intelligere nomine Prælati Pontificem Maximum, ſed hæc explicatio mihi non placet, quia eſt indubitatum apud omnes, poſſe Papam id præcipere, imò, ut ait S. Doctor *in* 4. *diſt.* 29. teſte Emm. Sà *verb. Epiſcopus num.* 1. Epiſcopatum accipere poteſt quis à Papa cogi, & tenent plures Doctores apud Lezanā *loco citat.* ergò dicendum eſt, non intelligere nomine Prælati Papam, cum hoc ſit certum, ſed Prælatum Religionis immediatum, qui in caſu noſtro eſt Generalis; Sed vide *in tit.* 175. *de Præl. Regul. Inter.* 8. & Emman. Sà *verb. Religio num.* 51. & Peyrinum *de Subdito qu.* 1. *cap.* 10. *verſ. Secundo reſpon-*

reſpondeo, qui pro utraque ſententia Doctores referunt.

1535 Inter. 5. Quænam eſt illa impotentia, ſeù impoſſibilitas, quæ excuſat homines à tranſgreſſione legis humanæ?

Reſp. Impotentia, ſeù impoſſibilitas eſt duplex, una dicitur naturalis, & phiſica, altera moralis: Prima eſt quando naturales vires deſunt, ſeù cũ deeſt homini naturalis vis ad aliquid peragẽdum, nec ullo pacto poteſt legẽ aut præceptum obſervare. Secunda, quæ dicitur moralis, contingit quando ineſt quidem homini vis phiſica agendi, ſed agendum eſſet illi magno cum incommodo, vel præſtari nequit ſine gravi incõmodo ſalutis corporis proprii, vel alieni, aut notabili rerum detrimento, vel magna, ac notabili famæ læſione; & ejuſmodi res moraliter cenſetur impoſſibilis. Utraque autem impotentia, ſeù impoſsibilitas excuſat à peccato in legibus humanis, unde dicitur, Eccleſia non obligat ad valdè difficilia, & cum morali impoſſibilitate, aut impotentia, & in hoc omnes Doctores conveniunt. Vide Bonacinam *de legib. diſp.* 1. *qu.* 8. *pu.* 1. *num.* 2. *&* 3. Parperam *in Indice cop. par.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. *& par.* 2. *c.* 36. *num.* 2. & ibidem in fine addit etiam quòd impoſsibilitas, & neceſsitas excuſat homines: Neceſsitas alia dicitur extrema, & eſt cum quis extremum vitæ diſcrimen, alia gravis, cum gravem ſtatus ſui imminutionem, vel aliud notabile incommodum obiret. Concludendum eſt igitur, quòd nullum præceptum poſitivum humanum ad ſimpliciter, vel moraliter impoſsibile obligat, ſicut nec leges humanæ ad valde difficilia, & cum morali impoſsibilitate, quia valde difficile in legibus humanis veluti impoſsibile reputatur. Sylveſt. *in verb. impoſſibile* Emm. Sà *eodem verb.* & alii communiter; Nec Deus requirit à nobis aliquid ſupra vires, nec obligat ad impoſsibile, ut dicitur *in cap. legimus de conſec. diſt.* 5. nam magna difficultas æquiparatur impoſſibilitati, ergò, &c. Vide *in tit.* 214. *de Subditis, Interr.* 4. *& in tit.* 114. *ad quæſ.*

TITULUS CLXXII.

De Præcepto annuæ Communionis.

Vide tit. de Decr. Inter. 2. *tit. de Peccat. Int.* 4. *tit. de Puer. Int.* 4. *tit. de Regul. &c. Int.* 85.

1536 INter. 1. Qui communionẽ Paſchalem recipit indignè, ſcilicèt cum peccato mortali, ſatisfacitne præcepto Eccleſiæ de ſumenda ſemel in anno Euchariſtia?

Reſp. Dicunt quidam, quòd licèt iſte talis grave Sacrilegium committat, tamen impleat Eccleſiæ præceptum, Bonacina *de Euchariſt. diſp.* 4. *q.* 7. *pun.* 2. *num.* 12. & hanc opinionem vocat probabilem Diana, & pro ea plures allegat Doctores *par.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 43. ſed reverà eſt improbabilis, cum eam, tanquam ſcandaloſam, & in praxi pernicioſam damnaverit Innocentius XI. die 2. Martii 1679. & eſt propoſitio 55. quæ ſic aſſerebat: Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

1537 Inter. 2. Poteſtne licitè Parochus denegare communionem in Paſchate illi, qui ſe dicit confeſſum approbato Sacerdoti?

Reſp. Dummodò non ſit publicus peccator, non debet ei denegare Euchariſtiam, quamvis ſcheculam, vel atteſtationem confeſſionis non afferat; Schedula enim ex conſuetudine, non injuria petitur, ſed ad eam oſtendendam Subditus cogi nequit, ut docet Navar. *in cap. Sacerdos de Pœnit. diſt.* 6. *num.* 85. ex D. Thoma *quolib.* 1. *art.* 3. apud Emm. Sà *verb. Parochus ſub n.* 7. *in addit.* Vide etiam Bonacin. *de Sacr. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 4. *num.* 36.

Ego

Digitized by Google

Ego tamen certò puto, debere Parochum credere Parochiano dicenti ſe eſſe confeſſum, nec poſſet ei ſine injuria denegare Sacram Euchariſtiam, maximè ſi non ſit peccator publicus, aut adſit aliquod grave motivum id denegandi, nam nemo ſuæ ſalutis immemor præſumitur, ut habetur *ex cap. Sancimus 1. qu. 7.* Vide Armillam *verb. Confeſſio Sac. n. 36.*

1538 Inter. 3. Teneturne Sacerdos pro adimplendo præcepto annuæ Cõmunionis Paſchalis Miſſam celebrare in propria Parochia?

Reſp. Dico, quòd non tenetur, quia ſatisfacit præcepto celebrando in qualibet Eccleſia, & ità conſuetudine receptum eſſe docet ex Henriquez Naldus *in Summ. verb. Sacerdos n. 7.* Et concordat Lezana *tom. 2. verb. Euch. num. 13.* Vide etiam Emman. Sà *verb. Euchariſt. num. 11.* & Bonacinam *de Sacr. diſp. 4. quæſt. 7. punct. 2. ſub n. 7. in obiect.* idem docentes, & hoc eſt verum etiam de Sacerdotibus Sæcularibus. Nota tamen, quòd poſt ſcripta in tit. 34. de Celeb. Miſſę ad Int. 42. SS. D. N. Clemens XI. mandavit feria quinta in Cœna Domini, præter Miſsam ſolemnem, nullam aliam eſse dicendam.

1539 Inter. 4. Qui non communicavit tempore Paſchatis, teneturne quãprimum commodè poteſt eodem anno communicare?

Reſp. Circa hujus quæſiti reſponſionem decertant inter ſe Doctores, ut videre licet apud Bonacinam *de Sacr. diſp. 4. quæſt. 7. pun. 2. num. 13.* & Dianam *par. 3. tr. 4. reſ. 41.* Quidam enim probabiliter affirmant, alii etiam probabiliter negant. Rationes utriuſque partis videri poſſunt apud duos præfatos Authores. Utramque ſentẽtiam eſſe probabilem putat Coninch. *de Sacr. qu. 80. art. 11. dub. 4. n. 109.* teſte Bonacin. *ibid.* Tamen mihi magis placet ſententia affirmativa, & noto, quod Bonacina *loco citat. num. 19.* quærit ultimò, an qui omittit Communionem in Paſchate, aliquam cenſuram incurrat; & reſpondet, non incurrere ullam cenſuram ipſo facto, ſed interdicendum eſſe ab ingreſſu Eccleſiæ, & privandum ſepultura Eccleſiaſtica, ut habetur *in cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* Ergò ſequitur, omittentem Communionem tempore Paſchali, peccare mortaliter, ſi abſque legitima cauſa illam omittat; Nam omnis lex præcipiens aliquid ſub pœna gravis cenſuræ, etiã ferendæ, ut Excommunicationis, Suſpenſionis, vel Interdicti, obligat ſub peccato mortali, ut rectè probat Sanchez *in Sum. tom. 2. lib. 6. cap. 4. n. 50.* & Diana *par. 9. tr. 6. reſ. 5.* & benè quidem, actus enim venialis videtur incapax tantę pœnę, ut Interdicti ab ingreſsu Eccleſiæ, & privationis Eccleſiaſticæ Sepulturæ; ac proinde in caſu noſtro dicendum videtur; omittentem voluntariè Communionem in Paſchate, iterum peccare mortaliter, ſi quamprimum non communicet; Cum Eccleſia ſoleat eos, qui non communicant in Paſchate, vel poſt aliquod tempus, interdicere, & eos ab Interdicti vinculo non abſolvere, donec confiteantur, & decernant communicare; Ergò, &c. Vide ſupra *in tit. 164. de Peccato mortali ad Interr. 4.*

TITULUS CLXXIII.

De Præcepto annuæ Confeſſionis.

Vide tit. de Decretis Interr. 2. tit. de Diſferent. Interr. 17. tit. de Moribun. &c. Interr. 3. tit. de Peccat. Interr. 4. tit. de Puer. Interr. 4. tit. de Regular. &c. Interr. 87.

1540 INter. 1. Quo jure, & quo tempore Fideles confiteri tenentur?

Reſp. Confiteri tenentur tam jure Divino, quàm Eccleſiaſtico, ut patet

O ex

ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *& c.* 5. *& ex cap omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* Vide S. Thom. *in* 4. *diſt.* 17. *qu.* 3. *art.* 1. Suar. *de Pœnit. diſp.* 36. *ſect.* 1. Azorium 1. *par. lib.* 2. *cap.* 39. & Bonacin. *de Sacr. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 4. *num.* 9. & licèt Eccleſia præcipiat ſemel in anno Confeſſionem, tamen non præcipit abſolutè confeſſionem, ſed quoad determinationem temporis, quia fideles adhuc tenerentur confiteri, quamvis tempus ad confeſſionem faciendam non eſſet ab Eccleſia determinatum; nam, ut dixi, tenentur de jure divino confiteri, quia peccata non remittuntur, niſi mediante abſolutione, vel ſaltem per actum contritionis cum confeſſione in voto, cum quis non poteſt confiteri, juxtà ea, quæ dixi *in tit.* 17. *de Attrit. ad Int.* 3. Præterea tenentur fideles de jure divino cofiteri peccata, ſcilicèt mortalia, ante ſumptionem Euchariſtiæ, & quoties exiſtunt in periculo, vel articulo mortis, ut firmavi *in tit.* 34. *de celebr. Miſſæ, ad Int.* 8. *& in tit.* 146. *de Moribundis, & morti prox. ad Int.* 9. *& in tit.* 159. *de Papa, ſeu Sum. Pont. ad Int.* 6. & præter Doctores à me citatos, aliós concordantes refert Bonacina *loco prox. cit. num.* 12. & concordat etiam Sylv. *verb. Confeſſio* 1. *ſub n.* 3. *& verb. Confeſſio* 2. *n.* 4.

1541 Inter. 2. Quo jure Summus Pontifex confiteri tenetur?

Reſp. Papa non ſolùm jure divino confiteri tenetur, ſicut cæteri fideles, ut dixi *in tit.* 159. *de Papa, &c. ad Int.* 6. *& in hoc tit. ad Int. antec.* ſed etiam jure Eccleſiaſtico, nam licèt Summus Pontifex ex vi coactiva non ſit ſubditus legibus Eccleſiaſticis, tamen ex vi directiva, & ex honeſtate tenetur confiteri ſaltem ſemel in anno peccata mortalia ſi habet. Vide id, quod dixi *in tit.* 159. *de Papa, ſeu Sum. Pont. ad Int.* 6. & Bonacinam *loc. prox. citat. ſect.* 5. *pun.* 4. *n.* 4. ubi plures concordantes refert.

1542 Inter. 3. Qui diſtulit Confeſſionem anni præteriti, uſque ad præſentem annum, poteſtne unica Confeſſione ſatisfacere præcepto anni præteriti, & præſentis?

Reſp. Unica Confeſſione non poſſe ſatisfacere utrique obligationi, aſſerit Bonac. *loc. ſup. ci. ſect.* 2. *pu.* 4. *n.* 31. & pro ſe plures concordantes refert; Nam ad unam Confeſſionem tenetur ratione anni præteriti, & ad alteram ratione anni præſentis, quamquam hoc ſit intelligendum, dùmodò utroque anno habeat quis peccata mortalia neceſſario confitenda, cum venialia nõ ſint materia neceſſaria Confeſſionis, ut omnes fatentur. Sed vide Dianam *par.* 3. *tr.* 7. *reſ.* 80. qui pro utraque parte Doctores allegat. Tamen, id quod dixi, rectè docet Præpoſitus *in* 3. *par. qu.* 3. *de Confeſ. dub.* 9. *n.* 52. & alii.

1543 Inter. 4. Qui in Paſchate non implevit Confeſſionis præceptum, teneturne poſtea quàm primum confiteri?

Reſp. Tempus Paſchale, veluti implendi præceptum, terminus propoſitus non eſt ad obligationem finiendam, & ſic ſemper remanet obligatio implendi Confeſſionis præceptum, tranſacto eo tempore Paſchatis. Ità tradunt Navarr. *in Man. cap.* 21. *n.* 45. Suarez *in* 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 36. *ſect.* 4. *num.* 2. Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 5. *n.* 8. Henriquez, Valentia, Coninchus, & alii, quos dat, & ſequitur Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 130. qui hanc ſententiam probabiliorem vocat. Vide Bonacinam *de Sacr. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 4. *num.* 26. Itaque qui Confeſſionem anno præterito prætermiſit, tenetur quidem quamprimùm confiteri ex præcepto annuæ Confeſſionis, aliter mortaliter peccat toties, quoties oblata opportunitate non confitetur juxtà ſententiam Bonacinæ *loco cit. n.* 30. contra Valentiam, Molfeſium, & aliós quibus ſubſcribit Dian. *ubi ſup. reſ.* 35. ſed ſententia Bonacinæ mihi magis probatur.

1544 Inter.

1544 Inter. 5. Teneturne quis confiteri peccata venialia pro adimplendo præcepto Eccleſiæ de confitendo ſaltem ſemel in anno?

Reſp. Nullum dari præceptum, nec quidem Eccleſiaſticum, quo quis teneatur peccata venialia confiteri, docent Doctores communiter. Layman *lib. 5. tr. 6. cap. 5. num.* 18. Vaſquez, & Facundez, quos dat, & ſequitur Diana *par. 3. tr. 4. reſ.* 125. Emm. Sà *verb. Confeſſio num.* 12. Sylv. *eodem verb. num.* 14. cum D. Thoma *in 4. diſt. 16. & 17.* Vide Barboſam *in Collect. Doctorum ad Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. num.* 5. ubi adducit Doctores ad ſatietatem: Nam Confeſſio ex communi uſu, & ſenſu Eccleſiæ, intelligitur ſemper de confeſſione mortalium. Dicendum eſt igitur, præceptum de confitendo ſemel in anno non obligare, niſi quando adeſt materia neceſſaria confeſſionis, ideſt peccatum mortale, vel grave ſcandalum, ut ait Toletus *lib. 3. cap. 3. num. 2. in fine*, Mendo *Epit. opin. moral. verb. Confeſſio n. 3.* & alii plures. Sufficit ergò in tali caſu ſe præſentare coram proprio Sacerdote, & dicere ſe non habere conſciẽtiam mortalis ullius, & ità ſine ſcandalo poteſt ad communionem accedere, ut benè inquir Sylv. Tolet. *loc. cit.* & iterum Tolet. *lib. 6. cap. 9. ſub n. 1. propè finem.* Bonac. *de Sacr. diſp. 5. qu. 5. ſect. 2. pun. 4. num. 8. verſ. obſerva tamen.* P. Simeon à S. Cruce *in memor. Theol. tom. 2. tit. de Pœnit. quæſ. 39.* Cæterùm optimum conſilium eſt confiteri etiam venialia, quia ſemper in confeſſione gratia confertur, vel augetur ſi rectè fiat, tum etiam quia ſic faciliùs corriguntur peccata propter auxilium gratiæ, & propoſitum bonum renovatum, & ob alias rationes, quas docet idem Sylv. *loco cit.* Vide etiam Toletum *loco prox. citat. num.* 3. & ea quæ dixi *in tit. de Pecc. veniali ad Interr.* 3.

1545 Inter. 6. Qui in principio anni confeſſus eſt venialia, & poſtea commiſit mortalia, teneturne ex præcepto annuæ Confeſſionis confiteri intrà illum annum dicta peccata mortalia?

Reſp. Aliqui dicunt non teneri, quia putant ex Confeſſione peccatorum venialium, ſatisfieri præcepto annuæ Confeſſionis; Sed Hurtadus *de Sac. diſp. 7. de pœnit. diff.* 11. oppoſitum docet, ſcilicèt eum, qui tantùm confitetur venialia, non ſatisfacere præcepto annuæ Confeſſionis; quia in eo tantùm præcipitur confeſſio mortalium. Undè ſecundùm hanc ſententiam, quã certiorem putat Mercerus *de Sacr. in 3. par. D. Thom. quæſt. 6. art. 5. num. 3.* qui anno illo poſt Confeſſionem venialium committit mortale, tenetur intrà eundem annum illud confiteri, ut præcepto annuę Confeſsionis ſatisfacere valeat, & hanc opinionem ſequendam conſulo. Vide Dian. *par. 4. tr. 4. reſ. 206. circa finem verſ. ſed ſi quæras.*

1546 Inter. 7. Qui facit confeſsionem voluntariè nullam, vel ſine dolore, aut ſine propoſito vitandi peccatum in futurum, ſatisfacitne præcepto Eccleſiæ de annua Confeſsione?

Reſp. Pro affirmativa ſententia utique nonnullos refert Diana *par. 3 tr. 4. reſ.* 120. ſed revera oppoſitum docent communiter Doctores, ut videre eſt apud ipſum Dianam *loco citat.* Layman *lib. 5. tr. 6. cap. 5. num.* 11. nec aliter dici poteſt ſub pœna ipſo facto incurrendi excommunicationẽ, ut declaravit Alex. VII. in ſuo Decr. edito anno 1665. ubi reprobatur 14. propoſitio, quæ ſic ajebat: Qui facit Confeſsionem voluntariè nullam, ſatisfacit pręcepto Eccleſiæ. Rectè quidem fuit reprobata dicta propoſitio, quia Confeſsio fictè, & ſacrilegè facta, non eſt confeſsio, ſed irriſio, ut pluribus citatis, docet Cardinal. de Lugo *diſp. 27. de pœnit. ſect. 7. n. 103.* & alii.

1547 Inter. 8. Si Confeſſarius audit Con-

Confeſsionem alicujus, qui per plures annos præceptum annuæ Confeſſionis non implevit, poteſtne ipſum abſolvere, ſi non habeat facultatem abſolvendi à cenſuris?

Reſp. Si eſt diſpoſitus, & non fuerit declaratus excommunicatus, equidem poteſt ipſum abſolvere, quia excommunicatio contra tales non confitentes ſemel in anno, non eſt excommunicatio latæ ſententiæ in jure communi; & hoc eſt certiſsimū apud omnes Scribentes.

TITULUS CLXXIV.

De Præcepto audiendi Sacrum.

Vide tit. de Attent. Int. 1. tit. de Carcer. Inter. 1. tit. de Epiſcop. &c. Int. 57. tit. de Infirm. Int. 6. tit. de Intent. Inter. 3. tit. de Occaſ. Int. 7. tit. de Orat. priv. Int. 2.3.8. tit. de Pecc. Int. 17.20. tit. de Pecc. mort. Int. 2.

1548 INter. 1. Satisfacitne præcepto audiendi Miſſam, qui illam audit à nominatim excommunicato, aut à publico Sacerdote concubinario?

Reſp. Dico primò. Non ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, qui illam audit à Sacerdote excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto vitando; nam Eccleſia non permittit, quòd in Sacris, & divinis communicemus cum excommunicato non tolerato, aut audiamus Sacrum Sacerdotis ſuſpenſi, aut interdicti vitandi, ac proinde qui hujuſmodi miſſam audiret, non ſolùm peccaret mortaliter, ſed neque præcepto audiendi Miſſam ſatisfaceret, ut optimè docet Trullench *in Decal. tom.* 1. *lib.* 3. *dub.* 6. *num.* 1. & ex eo Diana *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 7. contra Dicaſtill. *de Sacr. tom.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 5. *dub.* 4. *num.* 47. oppoſitum docentem. Dico 2. Satisfacere præcepto audiendi Sacrum, qui illud audit à Sacerdote publico concubinario, dummodò nō ſit denunciatus excommunicatus, aut ſuſpenſus, & ratio eſt, quia poſt Conc. Conſtantienſe, nemo excuſatur hoc titulo delicti Sacerdotis, niſi quando Sacerdos eſt nominatim excommunicatus, & denunciatus, vel publicus Clerici percuſſor. Ità ex Valentia, Soto, & aliis firmat Dian. *loco citato.*

1549 Inter. 2. Qui audit Miſſam ſimul tempore à duobus Sacerdotibus, nempè initium ab uno, & ab alio finé, poteſtne dici, quòd præcepto de audiendo ſacro ſatisfaciat?

Reſp. Non deſunt Doctores pro affirmativa ſentententia, ut videre licet apud Bonacinam *de Euch. diſp.* 4. *qu. ult. punct.* 11. *ſub num.* 13. Dianā *par.* 2. *tr.* 17. *reſ.* 18. & *par.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 52. Sed oppoſitum eſt omninò certum, ideòque Innoc. XI. in ſuo Decr. hanc propoſitionem damnavit, videlicèt, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audivit, eſt propoſitio 53. inter reprobatas Anno 1679.

1550 Inter. 3. Qui non poteſt audire integram Miſſam, teneturne audire ſaltem illam partem, quam poteſt?

Reſp. Nonnulli dicunt non teneri, quia præceptum eſt de audienda Miſſa, & ſic de re individua, non verò de audienda parte, ergò ſi non poteſt totam Miſſam audire, non peccat ſi non audit illam partem, quam commodè poteſt. Verùm hoc mihi non probatur, quia qui poteſt partem materiæ præceptæ adimplere, non habet ſufficientem cauſam, qua eximatur ab obligatione illius partis adimplendæ, ergò peccat mortaliter, qui non audit illam partem Miſſæ, quam poteſt, modò pars ſit notabilis, nam qui non poteſt totum præceptum, ſed partem adimplere, peccat non adimplendo partem, quam poteſt. Ità docet Bonacina *de legib. diſp.* 2. *qu.* 8. *punct.* 1.

num.

*num.*4. *&* 8. Vide quod dixi *in tit.*71. *de diſpenſ.ad Int.*13. *in fine & in tit.*105 *de Jeiun. ad Int.* 12..

1551 Inter. 4. Excuſanturne ab audienda Miſſa, qui ad Eccleſiam pervenerunt inchoata jam miſſa in die feſto?

Reſp. Dico primo, quod iſti tenentur aliam Miſſam audire ſi adeſt copia Sacerdotis celebraturi, ſi autem non habent copiam alteriusSacerdotis à quo Miſſam audire queant, debent audire illam partem Miſſæ, quam poſſunt, ut dixi in præcedenti reſponſione. Dico ſecundo, quod ſi prævíderunt fore, aut dubitare potuerint, ut non pervenirent opportunè ad Eccleſiam, ſcientes aut ſaltem dubitantes non eſſe celebrandum aliud Sacrũ, cui poſſent intereſſe, peccant mortaliter, quia ſe expoſuerunt periculo non audiendi Miſſam; ſi verò per ipſos nõ ſtetit, ne Miſſam audiant, utique excuſantur, ut aliis relatis firmant Bonac. *tom.* 1.*de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun. ult. num.* 11.& eſt communis ſententia.

1552 Inter. 5. Qui audit Miſſam è Feneſtra domus, impletne præceptũ audiendi Sacrum?

Reſp. Negativè reſpondet Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 154. cum Filliucio *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 7. *num.* 209. nam, qui è ragione v. g. Feneſtræ, vel Portæ Eccleſiæ Miſſam audivit, vel videt, non dicitur moraliter præſens,ideò nõ ſatisfacit: hanc ſententiã etiam docet Portellus *in addit. ad dub. Regul. verb. verb. Indulgentia num.* 8. & alii plures.

1553 Inter. 6. Satisfacitne præcepto audiendi Miſſam, qui eodem tempore recitat Officium Divinum, quod tenetur ex præcepto recitare, vel recitat pœnitentiam à Confeſſario injunctam?

Reſp. Eodem tempore, & Miſſæ, & Officio ſatisfieri poſſe docent Navar. *in Man. c.* 21. *num.* 8. Cotrad. *in reſp. par.* 1. *quæſ.* 198. Em. Sà *verb. Miſſæ auditio n.* 2. Tolet. *lib.* 6. *cap.*6. *propè finem*; Layman. *tom.*2.*lib.* 4.*tr.*7. *c.* 3. *ſub num.* 2. Bonac. *de Euch. diſp.*4. *quæſt. ult. pun.* 11. *num.* 25. & de Horis Canon. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 2.§.2. *num.*4. *Sum.* Dian. *verb. Miſſ. audire num.* 14. *& par.* 2. *tr.* 12. *reſ.* 2. *verſ. hæc doctrina* & alii plures apud ipſos; Et ità quoque dicunt hoc eſſe verum de pœnitentia à Confeſſario impoſita, ſcilicèt quod adimpleri poſſit, quando audiunt ſacrum; Vide etiam Buſébaum *lib.* 1. *tr.* 2. *c.* 3.*dub.* 3. *& lib.*3. *tr.* 3. *c.* 1. *dub.* 3. *num.*4. Et ratio eſt, quia iſta ad unum, & eundem finem ordinantur; Patet igitur Reſponſio ad Interrogationem. Tamen ſine aliqua juſta, & rationabili cauſa, puta itineris, infirmitatis, vel alicujus magni momenti negotii peragendi &c. videtur meliùs fore ſi attenderet potius myſteria Miſſæ, aut ſaltem ad ea, quæ in Evangelio, & Epiſtola dicuntur, ut ajt Tolet *loco ſupracit.* cui libenter ſubſcribo, cum ſit optimum conſiliũ.

1554 Inter. 7. Quænam diſtantia ab Eccleſia excuſat, ut quis non teneatur illam adire ad audiendam Miſſam in diebus feſtis?

Reſp. Fateor non poſſe dari certam regulam in hoc caſu, ideòque judicio prudentis relinquendum eſt circa diſtantiam, habita ratione loci,temporis, & perſonæ. Bonac. *de Sac. diſp.*4. *quæſt. ult. punt. ult. num.* 12. ſex, aut ſeptem milliaria aſſignat, & poſtea ſubdit, tamen fieri poteſt, ut qui tempore ſudo, & ſereno non excuſatur ob ſpatium duorum milliarium, excuſetur tempore nivis, aut magnæ pluviæ. Itaque dicendum mihi videtur cum Dicaſtillo *de Sac.tom.* 1.*tr.*5. *c. dub.*10. *num.* 181. *& ſeqq.* in caſu quo tempus ſit ſerenum, nec pluit, aut ningit notabiliter, non excuſari duobus tantùm milliaribus diſtantem à loco Miſſæ, etiam ſi iter pedibus conficere debeat: Fœminæ verò delicatæ, & alicujus authoritatis, non tenentur pedeſtres ire ad audiendam Miſſam ultra unum milliare, nec aliæ fœminæ niſi fortè ruſti-

ruſticæ ſint tempore hyemis, aut æſtus ultra unum milliare cum dimidio. Quando autem notabiliter pluit, aut ningit, etiam perſonæ, quæ ſunt laboribus conſuetæ poſſunt excuſari ad quærendum Sacrnm ultra mille quingentos paſſus, id eſt ultra unum milliare cum dimidio. Nota tamen, quod non eſt eadem ratio de itinere pedeſtri, ac equeſtri; Unde quia in itinere equeſtri minus laboratur, ideòque ſaltem diſtantia trium milliarium cum dimidio eſt neceſſaria ad excuſandum ab auditione Miſſæ. Vide Dian. *par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 8. & *tr.* 15. *reſ.* 35. qui plures DD. congerit diversè ſentientes, & ſuam profert ſententiam, quæ mihi valdè probabilis videtur.

1555 Inter. 8. Qui habet curam Infirmi, peccatne omittendo Miſſam in die feſto?

Reſp. Omnes Doctores dicunt, quòd nō peccat, quia charitatis opus excuſat à Miſſa audienda, modò tamen infirmitas ſit periculoſa, & nullus alius ſit domi, qui aſſiſtat infirmo. DD. pro hac ſententia citat Bonac. *ſup. num.* 3. & de communi teſtatur Caſſianus à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Audiens* §. 5. *num.* 55.

1556 Inter. 9. Fœmina honeſta quæ veſte conveniente ſuæ perſonæ, aut ſocia caret, peccatne mortaliter non audiendo Miſſam de præcepto?

Reſp. Si commodè Veſtem, aut ſociam habere non poteſt, & credat irrideri, & magno pudore ſuffundi, certò ab audienda Miſſa excuſatur, & conſequenter non peccat illam non audiendo. Navar. *in man. c.* 21. *nu.* 3. Em. Sà *verb. Miſſæ auditio numer.* 3. Bonac. *ubi ſupra num.* 8. & alii plures penes ipſum.

1557 Inter. 10. Matres, & Nutrices, quæ non poſſunt Infantulos domi relinquere, teneturne Miſſam audire in diebus feſtis?

Reſp. Si infantes nimium ſtrepitoſi ſint, & nimis proni ad planctum, ut ferè ſemper cōtingit, excuſantur à Doctoribus, Matres, Nutrices, & omnes, quibus credita eſt cura parvulorum, quos non poſſunt Domi relinquere abſque probabili alicujus damni periculo, aut ſecum ferre ad Eccleſiam abſque gravi Celebrantis, vel adſtantium perturbatione, & moleſtia; ſed hoc intelligendum eſt modo Matres, ſivè Nutrices, non habeant, neque invenire poſſint perſonam, cui Infantes ſuos commendent, uſque dum Miſſam audire queant. Vide Navar. *in man. c.* 21. *num.* 3. Layman. *lib.* 4. *tr.* 7. *c.* 4. *num.* 3. *verſ. cauſa verum.* Trullen. *in Decal. tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 1. *dub.* 9. *n.* 5. Leandrum *de precep. Eccl. tr.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 28. & alios apud Dianam *par.* 10 *tract.* 15. *reſ.* 36. & Bonacinā *loco proximè cit. num.* 5.

1558 Inter. 11. Peccantne Paſtores non audientes Miſſam in die feſto?

Reſp. Quando non poſſunt ſine periculo gregis, aut gravis damni Miſsā audire, non peccant illam non audiendo, quia præceptum non obligat in tali caſu: Verum eſt tamen teneri ſe viciſſim adjuvare, ità ut unus Eccleſiam adeat, altero cuſtodiente grègem, eo verò redeunte, alter ad Miſſam accedat, modo ſuperſit alia Miſſa dicenda. Ità ex Azorio; Henriquez, Suarez, & Conincho docet Bonac. *loco ſupra cit. num.* 6. & eſt communis ſententia.

1559 Inter. 12. Quænam ſunt juſtæ cauſæ, quæ excuſant fideles ab audienda Miſſa in diebus feſtis?

Reſp. Sunt iſtæ, ut videre eſt apud Bonac. *ibid. de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun. ult.* Prima eſt impotentia, tam phyſica, quam moralis, ſecunda grave damnum tam corporale, quàm ſpirituale proprium, vel alienum: Itàque juſtum, & probabile periculum notabilis mali, in vita, in honore, aut in bonis, excuſat ab auditione Miſſæ, quia præcepta humana, cum tanto incommodo minimè obligant. Ità docent Tambur. *in decal. lib.* 4. *c.* 2. §. 2. *num.* 5. Marchinus *de Ordin. tr.* 5. *par.* 8. *c.* 17.

c. 17. *num.* 19. quibus ſubſcribit Caſſianus *ubi ſup. verb. Audiens* §. 5. *n.* 51.

TITULUS CLXXV.

De Prælatis Regularibus.

Vide tit. de Abſol. à Cenſ. Int. 2. 8. *tit. de Abſol. à reſer. Inter.* 17. *& ad Quæſ.* 1 *tit. de Ætat. &c. Int.* 6. *tit. de Cenſu. &c. Int.* 4. *tit. de Concionat. &c. Int.* 4. *tit. de Correct. Int.* 4. *tit. de Diſpenſat. Inter.* 10. 12. *tit. de Elect. &c, Int.* 3. *tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 33. 50. *tit. de Fid. prof. Int.* 1. 2. *titul. de Hæres. &c. Int.* 5. *tit. de Infirm. Int. ult. tit. de Ingreſſ. in Mon. &c. Int.* 5. *& ſeqq. tit. de Irreg. ad Quæſ.* 1. *tit. de lib. prob. Int.* 10. *tit. de Novit. Int. ult. tit. de Præc. Int.* 4. *tit. de Regul. &c. Int.* 32. 103. 105. *tit. de Relig. aliq. partic. Int.* 5. *& ad Quæſ.* 2. *tit. de Reſid. Int. ult. tit. de Sacr. Int.* 12. *tit. de Sig. Confeſ. Int.* 20. *tit. de Subdit. Int.* 1. 2. *tit. de Teſtam. Relig. Int. ult. tit. de Val. Confeſ. Int.* 16. 17. *tit. de Viſit.*

1560 INter. 1. Prælati Regulares poſſuntne exercere Juriſdictionem circa ſuos ſubditos in quocunque territorio exiſtant?

Reſp. De hoc nullus dubitat, nam Prælati Regulares, qui non habent juriſdictionem cum territorio, (ut quidam Abbates) habent immediatè juriſdictionem in perſonas Religioſorũ, & cenſentur habere totum mundum pro territorio, & hæc eſt communis ſententia, quia cum nullum habeant territorium, ideoque uſum juriſdictionis, quem habent in proprios ſubditos exercere poſſunt ubique. Vide Bonac. *de clauſ. quæſt.* 2. *pun.* 11. §. 3. *num.* 1. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 16. *nu.* 16. Dianam *in Sum. verb. Prælati Regul. num.* 57. Imò docent aliqui, Prælatum Regularem capere poſſe ſubditum ſuum, etiam non implorato brachio Judicis Sæcularis, vel Epiſcopi. Ità Cornejo, Villalobos, Coninchus, Sayrus, Cordonus, Præpoſitus, & Ugolinus, quos dat, & ſequitur idem Diana *parte* 5. *tract.* 9. *reſol.* 34. *prope finem*, addens cum Ugolino, hæc locum non habere, ubi Prælati Regulares juriſdictionem cum territorio habent.

1561 Inter. 2. Prælati Regulares poſſuntne, ut Epiſcopi uti privilegio diſpenſandi, & abſolvendi circa ſuos ſubditos?

Reſp. Dico quod omnes Prelati Regulares etiam locales Religionum exemptarum erga Religioſos ſibi ſubditos gaudent hoc privilegio abſolvẽdi, & diſpenſandi ſicut Epiſcopi, & hæc facultas fuit ipſis cõceſſa à B. Pio V. in ſua Conſt. incip. *Romanus Pontifex*, *edita die* 21. *Julii* 1571. prout tradunt Rodriquez *de qq. Regul. to.* 1, *quæſt.* 61. *art.* 9. Rodericus *in Compen. qq. Regul. reſol.* 52. *num.* 23. Joannes della Crux *de ſtatu Relig. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 16. & hanc ſententiã tenent, Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 13. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 39. *num.* 18. & in Collect. ad Triden. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform. num.* 8. Diana *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 5. *& par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 211. & alii apud ipſos contra nonnullos alios oppoſitum ſentientes. Sed vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 17. *num.* 2. 31. *&* 40. & totum capitulum ſi plura ſcire deſideras, & nota id, quod dixi ſuprà *in tit.* 102. *de Hæreſ. &c. ad Inter.* 5. ſcilicèt non poſſe ſuos ſubditos abſolvere ab hæreſi externa, quamvis occulta, ſuper quam nec Epiſcopus poteſt abſolvere.

1562 Inter. 3. Superior poteſtne tuta conſcienria diſpenſare in dubio an cauſa ſit juſta, vel non?

Reſp. Bonac. *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punt.* 3. *num.* 7. docet Superiorem peccare, quia ſe exponit periculo diſpenſandi ſine juſta cauſa; Tamen mihi vi-

detur

Digitized by Google

detur probabilius poſſe tuta conſcientia diſpenſare, quia in dubio in benigniorem, & clementiorem partem inclinandum eſt, & ità petit ſuave Eccleſiæ, & Religionis regimen, aliàs multorum ſcrupulorum occaſionibus eſſet Superiorum poteſtas expoſita, & vix auderent diſpenſare ſi ad cauſas ſolas certas eorum poteſtas extenderetur, & ità puto tenendum cum Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 45. *num.* 10. Cajet. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. Sylv. *verb. diſpenſatio quæſt.* 14. *co.* 10. Lezan. *tom.* 2. *verb. Prælati num.* 14. Dian. *par.* 1. *tr.* 10. *reſ.* 31. *& par.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 34. qui plures concordantes adducit. Poteſtas enim diſpenſandi competit Pralatis, & Superioribus in utilitatem, & commodum ſubditorũ, unde ſicut quilibet aliorum neceſſitati tenetur occurrere, ſic à fortiori Superiores per diſpenſationem neceſſitati ſubditorum conſulere debent, etiam quando cauſa fuerit dubia, quia ut ſupra dixi *in tit. de Jejunio ad Inter.* 25. ipſi diſpenſando juſtam efficiunt: Nam *in c. conſiderandum,* 50. *diſt.* dicitur magnæ eſſe actum pietatis diſpenſationẽ cognoſcimus, ergo cũ diſpẽſatio ſit magnæ pietatis actus, videtur extendenda ad caſum, in quo Superior dubitat utrum cauſa diſpenſationis ſit juſta, vel non; Et ita pluribus relatis concludit Sanchez *in Opuſ. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 2.

1563 Inter. 4. Poteſtne licitè Superior Regularis diſpenſare cum ſuis Religioſis circa obligationem recitandi Horas Canonicas?

Reſp. Affirmat Diana *par.* 2. *tract.* 12. *reſ.* 19. ſi tamen habeat aliquã juſtã, & rationabilem cauſam diſpenſandi, ſed hoc intelligendum eſt ſolùm cum illis, qui tantummodò ratione profeſſionis Divinum Officium recitare tenentur, non autem cum illis, qui ſunt in Sacris Ordinibus conſtituti, nàm onus Divini Officii eſt de jure communi Eccleſiaſtico, quapropter, nec Epiſcopus per ſe loquendo poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis Sacris Ordinibus initiatis, quia in jure communi diſpenſandi facultatem non habet. Ità Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *pun.* 2. *num.* 5. *in fine, & q.* 2. *pun.* 2. *num.* 9. *& q.* 4. *pun.* 3. *n.* 2. His tamen non obſtantibus puto poſſe Epiſcopũ ad tẽpus diſpẽſare cũ ſuis ſubditis in præceptis Eccleſiaſticis rationabili cauſa ſubſiſtẽte, niſi ſpecialiter lege, vel conſuetudine expreſsè prohibeatur, ut patet *ex Clem. nè Romani, de Elect. cum Gloſ. ibi & cap. unico de ætate, & qualitate præficiend. in* 6. ergo, & id facere poſſunt Prælati Regulares, cum ſibi inferioribus, quia habent authoritatem, quaſi Epiſcopalem. Ità docet Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. *n.* 28. *propè finem & cap.* 17. *num.* 55. Vide igitur quod dixi *in tit.* 104. *de Hor. Can. & Offic. Div. ad Int.* 6. Allozam *verb. Horæ Can. ſect.* 3. *n.* 3. *& in tit.* 71. *ad Int.* 10. *&* 12.

1564 Inter. 5. Poſſuntne tuta conſcientia Superiores Regulares diſpenſare cum ſibi Subditis, qui literis incumbunt docendo, aut mala valetudine laborant, quoad aſſiſtentiam in Choro, & quoad jejunia Religionis?

Reſp. Dico primò, quod Religioſis infirmis, aut valetudinariis omnis clementia, & charitas debetur, nam Sacri Canones nullo modo permittunt ſeverè agi cum infirmitate laborantibus; colligitur *ex toto tit. de Cleric. ægrot., vel debilit.* & alibi: Ægroti enim merentur ſibi rigorem diſciplinæ Religioſæ relaxari; agrum *cap. unico ubi gloſ. in verb. Perpetuò de Cler. ægrot. in* 6. *c. de Rectoribus* 3. *c. ex par.* 5. *eodem tit.* Et ubi infirmitas, ſenectus, vel ſimilis alia ratio urget, ab obſervantia regulari aliqualiter diſcedere Religioſo licet. Lezana *tom.* 1. *par.* 2. *c.* 12. *ſub num.* 13. Tandem neceſſe eſt, ut corpore non ſani ſupportentur in cunctis oneribus Religionis. Vide *c. Diſpenſationes* 1. *quæſt.* 7. & favent DD. communiter, cum ſit compertũ apud omnes, benignam eſſe legem Dei, ac proindè leges Religionum de-

debere eſſe Salis diſcretione conditas. Dico 2. Prælatos Regulares teneri citra diſciplinæ, & obſervantiæ regularis jacturam, omnem ſtudendi commoditatem ſubditis tribuere. Studia enim literarum (inquit Fagnanus *in c. Cæterum de reſcript. num.* 33.) ad communem pertinent utilitatẽ, ut in proœ. Gregorii *verſ. Ad communem*, tum maximè, quia Eccleſia plurimum indiget viris literatis nõ autem aſinis ferratis, ut ex Joan. Monach. *in c. cum ex eo, de elect. in 6* refert Pax-Jordanus *tom. 1. lib. 1. tit. 19. num. 11.* conſequenter aliquas exemptiones iis præſertim concedere debent, qui literis incumbunt alios docendo, ſi quidem *in c. quia nonnulli, & c. ſuper ſpecula, de Magiſtris*, conceditur ſtudentibus, ut exempti eſſe poſſint à reſidentia, & percipere fructus Beneficii, & hoc, ut commodius ſtudiis vacent. Jure meritò igitur habetur ex Decretis Clem. VIII. pro reform. Regul. poſſe Superiores cum ægrotis, & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis, licitè diſpenſare. De ægrotis intelligunt DD. tàm temporalibus, quàm perpetuis, juxtà legem. *Prætor. ff. de vacat. & exact. Mun.* inter quos meritò numerantur etiam ſenes *juxta leg. ſemper ff. de jure imm.* Studiorum verò cauſa legitimè impediti cenſentur Regentes actuales, & Lectores, necnon qui libros imprimunt, vel ad confutandos hæreticos ſtudent. Habetur ex eadem *leg. ſemper §. Negotiatores eod. tit.* & docet Peyrinus *tom. 3. in Conſtit. 10. Clem. VIII. §. 10. num. 3. & 4.* Præterea Viri literati præ aliis honorandi ſunt, & talis honor non ſolùm conſiſtere debet in extrinſeca reverentia, ſed etiam illos fovendo in quibusvis occaſionibus eis benefaciendo, ac plus, & priuſquã aliis de bonis temporalibus Monaſterii religiosè, & modeſtè tribuendo, ità tamen, ut alii non indigeant: Merentibus enim convenit Virtutum merita tribuere, ut ex diverſis juribus probat idem Peyrinus *tom. 2. de Prælato q. 2. c. 2. num. 74. & 75.* addens inſuper quòd qui abiiciunt Viros litteratos, & doctos, ſtatim ignorantiſſimos ſe eſſe proteſtantur &c. Alià plura videnda relinquo apud eumdem Authorem, & alios mox citandos ne contra conſuetum meæ brevitatis inſtitutum facere videar. Concludendum eſt igitur Superiores in caſu noſtro non ſolum poſſe, ſed teneri cum præfatis Senibus, infirmis, aut litteratis diſpenſare. Vide Sylv. *verb. diſpenſatio num 3.* Emm. Sà *eod. verb. n. 2.* Miranda *in man. to. 5. quæſt. 25. ar. 5. concluſ. 2. & quæſt. 30. ar. 5.* & *6. concluſ. 2.* Peyrin. *tom. 1. de Subdito qu. 1. c. 8. §. 5. per totum.* Lezanam *tom. 1. par. c. 7. n. 29. & c. 18. num. 70. & tom. 4. conſ. 7. num. 13:* & alios *in verb. diſpenſatio*. Vide etiam quæ dixi *in hoc tit.* ad Inter. 3.

1565 Inter. 6. Poſſuntne licitè Superiores locales Regularium diſpenſare in obſervantiis Regulæ, & Conſtitutionum ſuæ Religionis non conſtituentibus eſſentialiter ſtatum Religionis, in communi, vel particulari?

Reſp. Poteſtas diſpenſandi de Jure communi competit omnibus Prelatis, ſivè infimis, ſivè ſupremis, cum omnes habeant Iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, ac proindè dicendum eſt in caſu noſtro poſſe dictos Superiores locales diſpenſare juſta ſubſiſtente cauſa in omnibus obſervantiis Religionis nõ conſtituentibus eſſentialiter ſtatum Religionis in communi, vel in particulari: & hoc ſanè deducitur *ex cap. cum ad Monaſterium de ſtatu Monach.* licèt à contrario ſenſu, & ex textu *in can. Monachum cum Gloſ. Notabili 20. quæſt. 5.* & ex Conc. Trident. *ſeſſ. 25. de Regul. cap. 1.* & tandem ex *cap. fin. de pœniten. & remiſ.* & tradunt Abbas *in dicto cap. cum ad Monaſterium n. 26.* Card. *ibid.* Sylveſt. *verbo diſpenſatio num. 20. quæſt. 14. caſu 7. & 9.* Angelus *eodem verbo num. 8.* Suarez *tom. 4. de Religione tr. 8. lib. 2. cap. 12. n. 25. & 41.* Rodriquez *tom. 1. qq. Regul. q. 26. ar. 1.* Miranda *tom. 2. man. q. 9.*

ar. 6. concluſ. 3. Pellizzarius *in man. tr. 9. cap. 3. ſect. 4. num.* 188. Tamburinus *de jure Abbat. tom. 3. diſp.* 12. *quæſit.* 11. *num.* 4. Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 7. num. 29. & cap. 8. num. 22. & cap. 18. num. 54. & tom. 4. conſul. 6. per totum*, & tandem itâ declaraſſe Sixtum IV. in ſua Conſt. data idibus Decembris 1475. teſtatur idem Tambur. *loco cit.* Caſus verò, in quibus poſſunt licitè diſpenſare præfati Superiores, ſunt tempus, utilitas, qualitas perſonæ, neceſſitas, pietas, evitatio ſcandali, & evitatio offenſæ: Vide Peyrinum *tom. 1. de Relig. ſubdito q. 1. cap. 8. §. 5.* & Lezanam *tom. 4. conſ. 6. à num.* 10. *uſque ad num.* 17. & alios apud ipſos: Concludendum eſt igitur, rectè in omnibus caſibus ſaltem levibus, frequentibus, & propriis alicujus Monaſterii poſſe dictos Prælatos diſpenſare rationabili ſubſiſtente cauſa; quia ſi ipſis talis facultas diſpenſandi non eſſet conceſſa, non eſſet ſufficienter Regulari vitæ proviſum. Suarez *vbi ſuprà num.* 26. nam ſi oporteret in dictis caſibus ad Superiorem Prælatum recurrere, eſſet intolerabile, aſperum, vel durum tantum tempus expectare. Vide igitur, quæ dixi *in tit.* 71. *ad Inter.* 12. ubi egi de caſibus, in quibus Prælati Regulares diſpenſare poſſunt in legibus Pontificiis.

1566. Inter. 7. Poteſtne Prælatus Superior diſpenſare circa pœnas impoſitas à Prælato inferiori ipſo renuente, vel eximere Subditum ab obedientia Prioris, Guardiani, Rectoris, Provincialis &c.?

Reſp. Dico primò, non poſſe, & hoc deducitur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *de Reform. cap.* 1. & docet Caſtropalaus *tom. 1. tr. 3. diſp. 5. punct. 6. n.* 13. & alii communiter, & ratio eſt, ne auctoritas dicti Prælati inferioris contemnatur à Subditis. Vide Rodriquez *de q. q. Regul. tom. 1. quæſt. 22. ar.* 8. qui tamen rectè notat, quòd ſi Prælatus inferior ſiuierit Officium ſuum, tunc poſſe Provincialem, aut Generalem, ſubditum condemnatum à Priore, Guardiano, Rectore &c. abſolvere, nulla requiſita licentia à Priore, ſeù Guardiano moderno, quia tunc auctoritas Prælati, qui condemnavit, non contemnitur, cum non ſit ampliùs Superior; & hoc idem affirmat Leander à Murcia *in qq. Regul. cap. 4. ſuper cap. 8. Regul. num.* 5. qui benè addit, niſi fuerit à Subdito interpoſita appellatione, & imploratum officium majoris Prælati; nam tunc cenſetur cauſa ipſi devoluta. Vide Dianam *par. 8. tr. 3. reſ.* 31. & Lezanam *to. 1. par. 1. cap. 4. num. 34. & tom. 2. verb. Prælatus Regularis ſub num.* 16. Dico ſecundò contrà Pellizarium *in Man. Regul. tom. 1. tr. 4. ſect. 6. num.* 167. non poſſe Prælatum majorem, utpotè Generalem, aut Provincialem eximere Sùbditum ab obedientia inferioris Prælati, ut docent Sylveſter, Miranda, Peregrinus, Rodriquez, & Lezana citati à Pellizario *ubi ſuprà*, & conſentiunt Bordonus *in Conſ. Reg. tom. 2. reſ.* 80. *num.* 49. Portellus *in dub. Reg. verb. Generalis n.* 3. Leander à Murcia *loco cit.* & Peyrinus *in Conſt. 5. Julii* 11. *num.* 6. quibus ſubſcribit Diana *par. 9. tr. 9. reſ.* 38. & fatetur hanc ſententiã eſſe communem, & ſolùm admittit, poſſe Generalem facere aliquam gratiam alicui Subdito, vt v. g. non accedat ad Matutinum, vel non comedat in Refectorio, aut non legat in Menſa, & ſimilibus. Vide Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 18. n. 23. 54. & 70.*

1567 Inter. 8. Poteſtne Generalis diſpenſare in voto vitæ Quadrageſimalis Minimorum, Redemptionis captivorum, & non acceptandi Prælaturas cũ Patribus hujus noſtræ Congregationis, & aliis, qui tale votum emittunt?

Reſp. Dico, quòd ſupradicta vota non poſſunt per Generalem diſpenſari, irritari, aut còmmutari, quia dicta vota ſunt annexa ei ſtatuto Religioſo, & à Papa confirmato, & conſequenter ſunt indiſpenſabilia per Prælatos

latos Religionis, ut benè probat Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 12. *à num.* 28. Caſtropalao *tom.* 3. *tract.* 15. *diſp.* 2. *pun.* 8. *num.* 5. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 6. *aſſert.* 5. *in fine. Portellus verb. Voti irritatio num.* 68. Tambur. *de Jure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *cap.* 2. *dub.* 37. *num.* 7. Bordonus *in Conſiliis Regul. reſol.* 14. *n.* 24. quibus aſtipulatur Diana *parte* 6. *tract.* 8. *reſol.* 34. ubi egregiè contrà Mirandam hanc ſuſtinet ſententiam, & meritò, ac proindè non poteſt Generalis Religioſo voventi humilitatẽ præcipere, ut Epiſcopatum acceptet.

1568 Inter. 9: Generales Religionũ, poſſuntne excipere Confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum, abſque Epiſcopi loci licentia? vel ſaltem Confeſſiones ſæcularium?

Reſp. Non poſſunt Generales audire Confeſſiones Monialium ſuorũ Ordinum ſine ſpeciali deputatione Epiſcopi: Ità docet Bordonus *in conſ. Regul. tom.* 1. *reſ.* 5. *quæſt.* 1. *numer.* 1. Squillante *de privil. Epiſc. par.* 3. *cap.* 39. *num.* 17. Novarius *in ſum. Bullar. tom.* 2. *rubr. de Epiſcoporum privil.* & ità declaraſſe Sac. Congregationem teſtatur Gavantus *in man. Epiſc. verb. Monialium cura ſpirit. poſt num.* 39. *in addit.* Vide Dianam *par.* 9: *tr.* 6. *reſ.* 49. *& tract.* 8. *reſ.* 51. Nec Confeſſiones ſæcularium audire poſſunt, abſque Ordinarii loci approbatione, ut docet Leander *de Sacr. tom.* 1. *tr.* 5. *diſp.* 11. *quæſt.* 63. & Diana *par.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 8. nec audiendi ſunt, qui oppoſitum docent.

1569 Inter. 10. Generales Religionum, debentne approbari pro audiendis Confeſſionibus Sæcularium abſq; examine?

Reſp. Bordonus *in conſ. Regular. tom.* 2. *reſ.* 80. *qu.* 9. *num.* 18. putat, quòd Generales Ordinum ſint approbãdi ſine examine, quia idoneitas præſumitur includi in eminentia Officii Generalatus. At Diana *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 6. *ſub verſ. nota etiam hic obiter*; fatetur ſibi non placere, cum major idoneitas præſumi debeat in publicis profeſſoribus Sacr. Theologiæ, utpotè Salmanticenſibus, Complutenſibus, Sorboniſtis, Lovanienſibus, &c. quàm in Generalibus Religionum, & tamen dicti publici profeſſores ſubjiciendi ſunt approbationi, & examini Epiſcoporum; ergò & Generales, & Provinciales, & alii hujuſmodi Superiores Religionum, qui actu ſunt, & fuerunt, examinandi erunt; Nam Superioris officium, neminem facit doctum; imò aliquando ad munera Religionis aſſumuntur quidam, quibus multum reſtat ſciendum, ut muneri ſuo rectè ſatisfacere valeant; Incedit enim hoc eodem modo cum ſententia S. Gregorii Papę *lib.* 4. *cap.* 5. *in lib. Regum* 1. *cap.* 10. ubi ſic inquit: *Plerũque culmen Prælationis accipiunt, qui in charitate Dei, & proximi perfecti non ſunt.* Vide in Breviario *Domin.* 3. *poſt Pentecoſt.* lectiones 2. Nocturni. Leandrum *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 11. *qu.* 62. & me ipſum *in tit.* 86. *de Exam. quoad Scientiam, & Doctrinam ad Inter.* 1. *&* 2. *& in tit.* 160. *de Paroch. ad Int.* 7.

1570 Inter. 11. Poſſuntne Pręlati Regulares vota ſuorum Religioſorum irritare? & qui ſunt iſti Prælati, quibus competit hujuſmodi facultas irritandi vota?

Reſp. Dico primò, quòd exceptis tribus votis ſubſtantialibus, & aliquibus aliis, quæ emittuntur in profeſſione juxtà Conſtitutiones Religionum à Pontifice approbatas; & excepto itidem voto arctioris Religionis, omnia Religioſorum vota irritari poſſunt à Prælato Regulari, quia ſicut nec Servus, ità nec Religioſus aliquod votum emittere poteſt abſque conſenſu ſui Superioris, nec ullum Religioſi votum eſſe firmum abſque Superioris conſenſu, tradunt innumeri Doctores, & ratio ipſa ſuadet, nam voluntas Religioſi debet eſſe omninò ſubiecta Superiori, & dependens ab ipſius volunta-

luntate in omnibus ad rectam vitę di-
rectionem pertinentibus, ac proinde
in novis obligationibus ſuſcipiendis;
& ità docent Sanctus Thomas 2. 2.
qu. 88. *art.* 8. *ad* 3. *& in* 4. *diſt.* 38. *q.* 1.
ar. 1. *quæſtiunc. ult. ad* 3. Sylv. *verb. Votū*
3. *q.* 3. Azor. *to.* 1. *lib.* 11. *c.* 16. *q.* 8. *& c.* 17.
qu. 9. Navar., & alii multi, quos refert,
& ſequitur Sanch. *to.* 1. *par.* 2. *lib.* 4. *c.* 33.
n. 7. Bonac, *de Præc. Dec. diſp.* 4. *q.* 2. *pu.*
7. §. 2. *n.* 26. Em. Sà *verb. Voti irritatio*
num. 1. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18.
num. 47. & alii penès ipſos; Religio-
ſus enim cenſetur ut impubes. Dico
ſecundò, poteſtatem irritandi vota
Religioſorum competere quibuſcun-
que Prælatis Regularibus; ut ſunt
Generales, Provinciales, Priores,
Guardiani, Rectores, &c. hi enim
omnes ſunt verè Prælati, ut docet
ipſe Sanch. *ibidem num.* 15. Cęteriq;
Doctores: & idem dicendum eſt de
Vicariis in capite, & de aliis, qui in
abſentia Superioris localis ejus vices
gerunt, ita ut tota Conventus guber-
natio ad ipſos ſpectet. Vide Bonac.
ibid. n. 31.

1471 Inter. 12. Poteſtne licitè Su-
perior irritare votum Religioſi poſt-
quam in illud conſenſit, vel illud con-
firmavit?

Reſp. Dicunt Doctores, quòd ſic,
ſed ſi hoc ſine juſta cauſa facit, peccet
venialiter tantùm, juxtà aliquorum
ſententiam, nam aliqui dicunt pecca-
tum eſſe mortale, ut Sanch. *ubi ſupra*
cap. 27. *num.* 32. & alii ab ipſo relati,
dummodò tamen materia voti ſit gra-
vis; Mihi tamen magis placet ſenten-
tia Bonac. *loc. ſupra cit. n.* 29. ſcilicèt
eſſe tantummodò veniale, etiamſi ma-
teria voti ſit gravis, & ratio eſt quia
Superior irritando non violat votum,
cum ipſe non emiſerit votum, nec eſt
cauſa violationis voti, cum per irri-
tationem auferat voti obligationem.
Cæterùm irritatio tenet, nec peccat
ſubditus non adimplendo votum. Syl-
veſt. *verb. Votum* 4. *qu.* 2. Cajetanus
in Summ. verb. Voti diſpenſatio. Tolet.
lib. 4. *cap.* 18. *ſub num.* 2. Emman. Sà
loco ſupracit. num. 2. Lezana *cap.* 18.
n. 47. & alii, quos refert, & ſequitur
Bonac. *ubi ſupr. n.* 29.

1572 Inter. 13. Poteſtne Prælatus
Regularis irritare vota Novitiorum?
& quid de Monialibus Novitiis?

Reſp. Abſolutè loquendo nō poſ-
ſunt vota Novitiorum irritare, præ-
ſertim vota realia; perſonalia verò
poſſunt irritare, ſed indirectè, ſcilicèt
ſuſpendendo ea vota quatenus guber-
nationi, & convenienti Ordinis regi-
mini obviant. Ità docet Bonacina
ubi ſup. num. 32. Sanch. *loco cit. cap.* 33.
num. 32. Candidus, Facundez, & Bor-
donus, quibus ſubſcribit Lezana *to.* 2.
verb. Novitii num. 37. quam poteſta-
tem habent etiam eorum Magiſtri,
cum habeant plenam, & abſolutam
poteſtatem circa Novitiorum inſtitu-
tionem, ac Novitiatus regimen, ut
patet ex Decretis Clemen. VIII. pro
Inſtitutione Novit. ſed nota quòd per
retroceſſionem à Religione dicta vo-
ta Novitiorum reviviſcunt, ità ut ſi
è Religione exeant, ad illa vota re-
manent obligati ſicut prius, ut optimè
ex aliis firmat ipſe Lezana *ibidem.* Et
hoc quod dictum eſt de Novitiis, di-
cendum eſt etiam de Monalibus, mi-
litat enim eadem ratio; Ideò notent
hæc utriuſque ſexus Superiores.

1573 Inter. 14. Vota, quæ Epiſco-
pus emiſit, dum erat Religioſus, poſ-
ſuntne à Prælato Regulari irritari?

Reſp. Ad irritandum votum re-
quiritur poteſtas dominativa ergà ſibi
ſubditum, ut ego breviter dixi *in titu-*
lo 70. *de Different. ad Int.* 28. Sed Re-
gularis poſt adeptum Epiſcopatum
non eſt amplius ſubiectus Prælato Re-
gulari, ſed immediatè Summo Pon-
tifici, ergò non poſſunt illa vota à
Prælato Regulari irritari, ut docent
Caſtro Palaus *tom.* 3. *tr.* 15. *diſp.* 2.
pun. 3. §. 3. *num.* 3. Layman *in Theol.*
Moral. lib. 4. *tr.* 4. *cap.* 7. *num.* 11.
& Trullench. *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1.
cap. 2. *dub.* 32. *num.* 12. qui citat San-
chez

Digitized by Google

chez, & Suarez, quibus ſe ſubſcribit Diana *par. 6. tract. 7. reſ.* 26.

1574 Inter. 15. Superiores locales Regularium, poſſuntne confiteri cum Confeſſario extraneo, qui non ſit ab Ordinario approbatus, quamvis non ſint extra Conventum?

Reſp. Dicunt Doctores infrà citandi, quòd Superiores locales, utpotè Priores, Guardiani, Præpoſiti, Rectores, & quovis alio nomine appellentur, licèt ſint ſubordinati Generalibus, & Provincialibus, tamen ſunt exempti, veri Prælati, & Paſtores Ordinarii ſuorum Religioſorum. Ità Sylveſter *verb. Prælatus qu. 2. & verb. dignitas num.* 1. Emm. Sà *verb. Præl. num.* 1. Navar. *comment. 2. de Regul. num. 36. & comment. 3. num.* 4. Suar. *tom. 4. de Religione tr. 8. lib. 2. cap. 2. &* 13. Armilla *verb. Abſolutio n.* 15. Diana *par. 3. tr. 2. reſ.* 2. Summa Diana *verb. Prælat. Regul. num.* 47. Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 18. num.* 2. Marcus Leo *in praxi ad litter. major. pœnit. par. 4. fol. 403. verſ. Religioſo viro, & fol. 400. verſ. Præmittendum.* Buſembaum *lib. 6. tr. 4. cap. 2. dub. 3.* & alii. Præterea Superiores Locales non ſolùm ſunt Prælati habentes in ſuos Subditos ordinariam juriſdictionem, ſed habent etiam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut tradunt Doctores communiter *in Clemen. I. de rebus Eccleſiæ non alienandis in verbo Proprii,* & habetur *ex cap. Abbatis de Privil. in 6.* Suarez *ubi ſupra cap.* 2. *num.* 13. & 14. Lezana *loco cit. num.* 2. Et ideò quia ſunt veri Prælati, poſſunt utique ſibi eligere Confeſſarium, juxtà Privilegium Gregorii IX. conceſſum omnibus Prælatis, ſive Infimis, ſive Supremis, quale Privilegium habetur *in cap. Ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ.* & ità de Superioribus localibus affirmant Goffredus *in Summ. tit. de Pœnit. & remiſſ. num. 17. propè finem.* Cajetanus *in Summ. verb. Abſolutio,* Emm. Sà *verb. Confeſſor num.* 1. Tolet. *lib. 3. cap. 13. ſub num.* 5. Lezana *loco ſupracit. num.* 81. Card. de Lugo *de pœnit. diſp. 19. ſect. 1. num.* 4. Buſembau. *loco cit.* Diana *in Summ. verb. Confeſſio num.* 3. Andreas à Matre Dei *tom. 4. tr. 18. cap. 4. pun. 2. §. 2. num.* 50. Auctor Speculi Monaſtici *par. 2. c. 35. num.* 18. Bordonus *tom. 2. par. 1. reſol. 34. num.* 3. & alii apud ipſos. Notat tamen Diana *par. 3. tr. 2. reſol. 1. propè finem* cum Molfeſio, quòd licèt omnia ſupradicta ſint vera, tamen non convenit, ut Prælati Regulares confiteantur extrà Religionem, quàquam de rigore poſſint: Sed vide Fagnanum *in dicto cap. Ne pro dilatione per totum,* ubi circa hanc doctrinam aliquas limitationes affert, & benè monet Paſſerinus *de Stat. tom. 2. q. 187. ar. 1. num.* 211. ut attenderc debeant Regulares Prælati, ne contra ſuas leges confiteantur Sacerdotibus Sæcularibus, aut alterius Ordinis.

1575 Inter. 16. Poſſuntne ſupradicti Superiores locales ſuis Subditis licentiam concedere, ut cum Confeſſariis extrà Religionem confiteantur?

Reſp. Seclusâ Conſtitutione Religionis, vel Statuto in contrarium, poſſe, tradunt Sylveſter *verb. Confeſſor 1. num. 4. &* 5. Emm. Sà *verb. Confeſſor num.* 6. Cardin. de Lugo *de pœnit. diſp. 20. ſect. 5. num.* 67. addens præterea hoc non ſolùm eſſe verum in caſu neceſſitatis, ſed etiam extra illam. Diana *par. 3. tr. 2. reſ.* 2. Lezana *par. 1. tom. 1. cap. 18. num.* 26. Alloza *in Summ. verb. Confeſſio ſect. 9. num.* 8. Paſſerinus *de ſtat. tom. 2. q. 187. art. 1. num.* 211. Andreas à Matre Dei *loco prox. cit. num.* 49. & alii communiter, & ratio eſt, quia omnis, qui habet ordinariam poteſtatem, poteſt illam delegare. Vide Sylveſtrum *loco cit. num.* 5. Immò notat Diana *loc. cit.* quòd quando Regulares ex licentia, vel privilegio confitentur extrà ordinem, non tenentur eligere Confeſſarium ab Ordinario approbatum, ſed ſufficit eligere idoneum, hoc eſt, non ſuſpenſum, vel excommunicatum, &

pro

Digitized by Google

pro ſe citat Joan. della Crux *de Stat. Relig. lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 11. *concluſ.* 1. *in fin.* Sed vide quæ dicam in fine Reſponſionis *ad Int.* 113. *tit.* 180. *de Regul. ſeù Relig.*

1576 Inter. 17. Prælati Regulares poſſuntne ſuas Eccleſias pollutas reconciliare?

Reſp. Portellus *in dub. Regular. verb. Eccleſiæ fratrum num.* 1. quem refert Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 91. tenet, Superiorem Regularem poſſe reconciliare ſuam Eccleſiam aqua tantùm à ſe benedicta, quod etiam concedit de Sacerdote Sæculari; ſed hoc intelligendum eſt, ſi Eccleſia fuerit ſolùm benedicta, nam ſi eſt conſecrata, nullus Sacerdos, neque Regularis, etiam de licentia Epiſcopi, poteſt illam reconciliare, ut teſtantur jura, & Doctores, & quamvis Novarius *in Sum. Bullarum, tit. de Pollut. Eccl. num.* 7. doceat poſſe Superiores Regulares ex privilegio ſuas Eccleſias conſecratas pollutas reconciliare, tamen hoc multi negant. Verùm ſententiam affirmativam docent plures Doctores, quos refert, & ſequitur Marchinus *de Sac. Ordin. tr.* 3. *par.* 3. *cap.* 11. *num.* 14. & alii plures, quos ſequitur Diana *par.* 6. *tr.* 6. *reſ.* 22. idem docet Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 5. *num.* 12. qui etiam addit ex privilegio poſſe Superiores Regulares ſolemniter benedicere ſuas Eccleſias, & Cœmeteria, ſi Epiſcopus nolit, aut negligat. Itaque ad dubium dicendum eſt, poſſe Prælatos Regulares ſuas Eccleſias pollutas, quamvis conſecratæ fuerint, reconciliare ex privilegio Leonis X. conceſſo mendicantibus, & conſequenter illo uti poterunt communicantes in privilegiis cum eis, ſed ſolùm in eo caſu, quòd Epiſcopus diſtet per duas dietas, ut requirit idem Pontifex in dicto Privilegio: Per unam dietam intelligitur iter viginti milliarium, ſeù circiter ſeptem leucas, prout colligitur ex Gloſſa *in cap. Nonnulli, de reſcr. verb. duas dietas*, & docet Lezana *tom.* 2. *verb. Eccleſia num.* 16. ex Miranda, & Barboſa: Diana verò *loco cit. reſ.* 22. ſic ait, quòd Dieta alia eſt vulgaris, & alia legalis: vulgaris metienda eſt ſecundùm conſuetudinem regionis; legalis verò viginti milliaria continet, & tandem concludit probabilius eſſe, & ſecurius in dicto privilegio Leonis per dietas intelligendas eſſe vulgares, ſecundùm variarum regionum conſuetudinem, & credit, quòd in Sicilia, dieta contineat iter 30. milliariū, ſed ego puto, quòd quoties Epiſcopus diſtet per 40. milliaria in Italia, dicatur diſtare per duas dietas, & conſequenter dictum privilegium Leonis X. habere locum in caſu noſtro. Immò notandum eſt, poſſe Regulares illo privilegio uti, non ſolùm quando Epiſcopus diſtat per duas dietas, ſed etiā quando defunctus eſt, ſeù quocunque modo abſit, ſive morte, renunciatione, aut depoſitione, &c. prout ex Rodriquez, & Perſico notat Diana *ea reſ.* 22. Vide eundem Diān. *par.* 11. *tr.* 8. *reſ.* 23.

1577 Inter. 18. Prælati Regulares, poſſuntne ſolemni benedictione benedicere paramenta, Corporalia, Ornamenta, & alia quæcunque ad divinum cultum pertinentia?

Reſp. Dico, quòd omnes Prælati Regulares, etiam locales poſſunt omnia ſupradicta ornamenta benedicere ex privilegiis conceſſis pluribus Religionibus, & per communicationem dictorum privilegiorum, hoc competit omnibus Prælatis; Sed hæc facultas Prælatorum Regularium benedicendi ornamenta Eccleſiaſtica, ſeù alia, intelligi debet ubi non intervenit Chriſma, & ad proprios uſus, & pro ipſorum Eccleſiis dumtaxat, non autem pro aliis, ut declaravit Sacra Congregatio *die* 13. *menſis Martii, anno* 1632. his verbis: *Abbates, Priores, Guardiani, & alii Religionum Prælati, etiam ex ſocietate Jeſu habentes privilegia benedicendi veſtes ſacras, Cœmeteria, & ſimilia, dicto privilegio*

uti

uti non poſſunt, niſi in iis rebus, in quibus ſacra unctio non adhibetur, & pro ſervitio dumtaxat Monaſteriorum, & Eccleſiarum propriarum. Nec audiendi ſunt oppoſitum docentes, prætextu alicujus conſuetudinis in contrarium; nam abrogata fuit ab eadem Sac. Congreg. *die* 18. *Auguſti* 1629. referentibus Gavanto *in man. Prælator. verb. Abbas num.* 30. & Novario *in Lucern. Regul. verb. benedicere num.* 2. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Benedictio num.* 7. 8. & 9. Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 40. & Gavantum *in Comment. rubr. miſſal. tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 19. *num.* 21. & Armillam *verb. Conſecratio Eccleſiæ, numer.* 12.

1578 Inter. 19. Peccatne mortaliter Prælatus Regularis, qui habet Subditum infirmum, & non præbet ei neceſſaria ad vitæ conſervationem, & fitne irregularis ſi dictus Religioſus ſubditus citius moriatur ex defectu neceſſariorum ad vitam?

Reſp. Utique mortaliter peccat; nam Superiores tenentur habere curam ſubditorum, cum ſint ipſorum caput, ac vices Parentum gerant, ac proinde tenentur ad eadem, ad quæ Parentes ergà filios; tum quia Religioſus eſt addictus Religioni, ut filius Patri, & non ut ſervus Domino, ut inquit Sayrus *in Clavi Regia lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 23. tum etiam quia Religioſi comparantur cum ſuis Prælatis, velut filii cum Parentibus, ut docet Lezana *tom.* 2. *verb. Furtum, num.* 3. Quamobrem, ſi Superior non tractat Religioſum, ut filium, ſed ut vile mancipium, nullam curam habens de ſubditi ſanitate, & vita, quod ex odio procedat, vel maxima negligentia, quę eſt valdè culpabilis, manifeſtè apparet. Tandem, qui alteri in extrema neceſſitate poſito, vitę non ſuccurrit, cum poſſit, mortaliter peccat, & ſi ille moriatur, peccat peccato homicidii, ut docet Toletus *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 4. & conſequenter etiam irregularitatem incurrit, eodem modo, quo Gubernator navis, qui tempore tempeſtatis poteſt ſubvenire, & non ſubvenit, eſt vera cauſa ſubmerſionis navis, & homicida eorum, qui ſubmerguntur. Vide Toletum *lib.* 1. *cap.* 87. *num.* 6. & 7. Concludendum eſt igitur, Prælatum Regularem, ſi non dat Subdito ea, quæ ex juſtitia dare tenetur tempore infirmitatis, ſi inde ſequatur mors Subditi, peccare mortaliter, & effici irregularem, quia eſt cauſa propinqua talis mortis, nec opus eſt, ut dolo, & malo animo id faciat, cum ſufficiat ejus negligentia, & lata culpa: Væ igitur Paſtoribus iſtis, qui paſcunt ſemetipſos, & non paſcunt gregem Domini, ſiquidem, quòd infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, & quod confractum eſt non alligaſtis, ut ait Ezechiel Profeta *c.* 34. Undè hęc dicit Dominus Deus. Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant amplius ſemetipſos Paſtores, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam, &c. Vide Peyrinum *tom.* 2. *de Prælato quæſt.* 1. *c.* 7. *num.* 2. & id quod dicam infrà *in tit.* 180. *de Regular. ſeù Religioſis, ad Int.* 76. & 110.

1579 Inter. 20. Tenenturne ex juſtitia, vel charitate Superiores Regulares alimenta dare ſuis ſubditis, & quid intelligitur nomine alimentorum?

Reſp. Tenentur ex juſtitia providere ſubditos, tam ſanos, quàm infirmos de cibis, & veſtimentis neceſſariis pro vitæ ſubſtentatione, juxtà ſtatuta Religionum, Regulę, vel Conſtitutionum: Peyrinus *de Relig. Prel. qu.* 1. *cap.* 5. *num.* 50. & alii ab ipſo relati. Nomine autem victus, ſeù alimentorum, veniunt non ſolùm cibaria, ſed veſtimenta, calceamenta, lectus, habitatio, & medicinalia, & alia hujuſmodi, ſine quibus homo vivere non poteſt. Sylveſter *verb. Alimen-*

mentum, Emm. Sà *eodem verb. num.* 1. Bonacina *de legib. diſp.* 6. *qu. ult. pun.* 1. §. 1. *num.* 1. Diana *par.* 1. *tr.* 2. *reſolut.* 86. *verſ. Notandum eſt*, & præſertim vide Marcum Paulum Leonem in praxi ad litt. M. Pœnitent. *par.* 1. *pag.* 93. *verſ. Victum*, qui *par.* 4. *pag.* 442. dicit etiam teneri Superiorem miniſtrare Spiritualia ſubditis, & corporalia, & pro ſe Jura, & Doctores refert. Unde Superior, qui id negligit ſubditis prębere, graviter peccat cum faciat contra jus naturale, quia alimenta tenetur Pater jure naturæ pręſtare filiis, & Religioſi comparantur cum ſuis Prælatis, veluti filii cum Parentibus, ut docet Lezana *tom.* 2. *verb. Furtum ſub num.* 3. Ultra quod præbet cauſam peculiis, & quòd Subditi per fas, & nefas ſibi conſulant. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 6. *n.* 31. nam in iis quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, omnes ſumus pares, ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 5.

1580 Inter. 21. Peccantne mortaliter Superiores Regularium nolentes admittere aliquem abſque cauſa in Religione ad annum Novitiatus peragendum?

Reſp. Suarez *tom.* 3. *de Religione lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 28. aſſerit, illos graviter peccare, ſi abſque ulla rationabili cauſa moveantur, primò quia Religioni officiunt, illius Novitii obſequiis ipſam privantes, & juriſdictione ſibi data abutentes. Secundò, quia ſecuram viam ſalutis procuranti ſine cauſa præcludunt. Ità ex Suarez tenet etiam Caſtropalaus *tom.* 3. *tr.* 16. *diſp.* 1. *pun.* 9. *num.* 15. Verùm Bordonus *in Conſ. Regular. tom.* 2. *reſol.* 54. *num.* 138. Card. de Lugo *de Juſtit. & Jure tom.* 1. *diſp.* 9. *ſect.* 3. *in Append. num.* 54. & Garcia, cum quibus ſentit Diana *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 6. oppoſitum ſuſtinent. Et inter alias rationes, quas adducit Bordonus, prima eſt, quia nulla lex ſuadet hujuſmodi receptionem; ergò nolle quem recipere ad Religionem ex mero arbitrio, nulla eſt tranſgreſſio, conſequenter neq; peccatum. Secunda, quia impedire alicujus bonum, nullum eſt peccatū, niſi impeditus ad illud habeat jus, ſaltèm ad rem, qui autem ingredi Religionem deſiderat, nullum jus habet, ergò non dicitur iniquè impediri. Alias rationes omitto, ut ſolitam brevitatem amplectar. Vide illas, ſi libet, apud Bordonum, vel Dianam *locis citatis*. Ego verò primæ ſententiæ libenter adhæreo, ſaltèm ob illud axioma fundatum in lege naturali: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, &c. Vide ſupra *in tit.* 116. *de Ingr. in Relig. ad Int.* 7. *& tit.* 151. *ad Int.* 5.

2581 Inter. 22. Tempore Iubilæi, poſſuntne illud promulgare Prælati Regulares pro ſuis ſubditis, ante promulgationem Epiſcpi?

Reſp. Affirmat Emman. Sà *verb. Indulgentia num.* 12. Boſſius *de Jubilæo ſect.* 4. *num.* 7. & alii, ſed oppoſitum eſt verius; nam Prælati Regulares, qui non habent propriam Diœceſim, ſeù juriſdictionem, quaſi Epiſcopalem in Subditos ſæculares, non veniunt nomine Prælatorum Eccleſiaſticorū, ideò non poſſunt promulgare Jubilæū pro ſuis ſubditis, ante promulgationem Epiſcopi, ut aliis relatis, rectè firmat Diana *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 33. & ità optimè ſervat praxis, à qua nullo modo eſt recedendum; cum affirmativam ſententiam tutam non eſſe in praxi docet Bordonus *in Miſcellaneis, deciſ.* 23. apud eumdem Dianam *ibidem*. Ne deſeras ipſum videre.

1582 Inter. 23. Poſſuntne Prælati Religionum, aliquem Religioſum Choriſtam, ad ſtatum Laicorum, ſeù Converſorum transferre, & aliquem Converſum ad ſtatum Clericalem aſſumere?

Reſp. Si Clericus ad Chorum deſtinatus non ſit in ſacris conſtitutus, poſſunt Superiores illum in eadem Religione ad ſtatum Converſorum tranſferre juſtis verò de cauſis: Cauſę autem regu-

regulariter ſunt tres, ob quas Clericus non ordinatus in Sacris poteſt ad Converſos dejici; nempè punitio delicti, inaptitudo ad literas addiſcendas, & maximus ardor vitæ humilioris. Ità docet Sanch. *in Sum. to. 2. lib. 6. c. 7. n. 81.* Lez. *to. 1. pa. 1. c. 22. n. 52.* Bord. *in conſ. Regul. to. 2. reſ. 54. num. 229.* & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par. 9. tr. 7. reſ. 74.* Vide etiam Peyrinum *de Subdito tom. 1. qu. 1. de Obedientia cap. 24.* & Pellizarium *in Man. Regul. tom. 1. tr. 5. cap. 8. num. 69.* & alios apud Dianam *ibidem*. Econtra verò Converſi, ſeù Laici etiam durante Novitiatu, nullatenus poſſunt ad ſtatum Clericalem tranſire, aut tranſferri; nec ullo modo ad ſacros Ordines licitè promoveri, ut docet idem Lezana *tom. 1. par. 2. cap. 8. num. 22.* Bordonus *loco cit.* & alii; Nam in Decretis Clem. VIII. pro inſtitutione Novitiorum, ità decernitur: *Qui ad Converſorum Habitû recepti fuerint ad Clericalem ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis non poſſint*: Vide Lezanam *eo cap. 8. num. 22. 36. & ſeq. uſque ad n. 49. incluſivè.*

1583 Inter. 24 Poſſuntne Prælati Regulares ex juſta aliqua cauſa ſuis ſubditis licentiam præbere permanendi extra Clauſtra?

Reſp. In Decretis Clemen. VIII. pro Reform. Regularium approbatis, ac innovatis à Sac. Cong., juſſu Urbani VIII. habetur, ut hujuſmodi licentiæ non concedantur, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica approbanda. Undè ſublata eſt Superioribus Religionum poteſtas, atque omnis facultas extra Conventum degendi, aut concedendi in perpetuum, vel ad longum tempus manendi extra Clauſuram; Undè non eſt audiendus Portellus *verb. Parentum Fratres n. 2.* apud Dianam *par. 3. tr. 2. reſ. 90.* Verùm ad breve tempus non videtur illis prohibitum dictam licentiam concedere, puta ſpatio duorum menſium. Vide Peyrinum *tom. 1. de Subdito qu. 3. cap. 23.* Pellizarium *in Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 3. ſect. 4. num. 174.* & Dianam *par. 9. tr. 11. reſ. 60.* & ea, quæ ego dicam infra *in tit. 180. de Regular. ſeù Relig. ad Int. 38.* Ideò non eſt audiendus Diana *par. 6. tr. 7. reſolut. 19.* nam loco proximè citato *dicta reſ. 60.* mutata ſententia, amplius non approbat quæ dixit *ea reſ. 19.* Vide etiam Lezanam *tom. 1. par. 1. c. 16. num. 23.* Dixi ſpatium duorum menſium, quia in hoc caſu quoque poteſt dari parvitas materiæ; Duo autem menſes cenſentur modicum tempus aliquibus Doctoribus, ut docui *tit. de celebr. Miſſæ ad Int. 30.* loquens de Sacerdotibus, qui oneribus Miſſarum non ſatisfactis, nova Miſſarum onera accipiunt; Ergò &c.

1584 Inter. 25. Poſſuntne licitè Prælati Regulares concedere licentiam ſuis Subditis exeundi è Conventu abſque ſocio?

Reſp. Clemens VIII. in ſuis Decretis pro reformatione Regularium, præcipit, ut nullus è Conventu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiamque ſingulis vicibus impetrata, & benedictione accepta, qui non aliter eam concedat Superior, niſi cauſa probata, ſociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio. Ità Barthol à S. Fauſto *in Theſaur. Relig. lib. 6. qu. 162.* Barboſa *in Collect. ac Trid. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 4. num. 2.* Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 16. num. 5.* Rectè igitur mandant Conſtitutiones noſtræ *par. 1. cap. 11. num. 11.* quòd nullus extra Conventû abſque ſocio ire præſumat, ſub pœna gravis culpæ. Etſi fuerit Prior, qui foras ire, vel aliquem Fratrem mittere, niſi in extrema neceſſitate, præſumpſerit, pro prima vice à Vic. Generali per menſem ab Officio ſuſpendatur, pro ſecunda, Officio omninò privetur; nam de mandato ejuſdem Clementis VIII. in præfatis Decretis pro reformatione Regul. innovatis à Sac. Cong. juſſu Urbani VIII. præcipitur

Digitized by Google

Generalibus, ac omnibus aliis quibuſcunque Superioribus, ad quos ſpectat, ut curent, ac efficiant prædicta omnia Decreta inter alias eorumdem Ordinum Conſtitutiones perpetuò valituras redigi. Vide Decreta Clem. quę incipiunt, *Nullus omninò* à num. 40. & Lezanam *loco ſupracit. cap.* 8. *n.* 26. Et nota quòd in dictis decretis eo numero 40. interdicitur omninò Superiorum facultas illa declarandi, & adverſus eas unquam diſpenſandi ſub pœna privationis officiorum, & inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipſo facto incurrenda. Ideoq; in hoc caſu ſolùm conſuetudo legitimè præſcripta, vel extrema neceſſitas poteſt excuſare. Conſuetudo enim eſt optima legum interpres, & neceſſitas non ſubjacet legi, ut ex juribus vulgatis ſatis patet.

1585 Inter. 26. Quando duo Prælati contraria præcipiunt, cui eſt obediendum?

Reſp. Sine dubio majori eſt obediendum; nam non licet obedire minori, neglecto majori, & ratio eſt, quia poteſtas Pręlati minoris, ſubordinata eſt majori, & ità illi ſubjecta, & minus obligans. Si tamen per impoſſibile daretur caſus, quòd Prælati æqualis eſſent auctoritatis, & aliquid præciperent ſubdito, tunc parendum eſſet illi, qui pręcipit in ordine ad finem nobiliorem, aut illi, qui primò præcipit, & tandem ſi paria ſint cætera, tunc obedire poterit ſubditus illi, cui magis ſibi placuerit. Ità docet Lezana *par*, 1. *tom.* 1. *cap.* 4. *n.* 21. qui pro ſe citat Peyrinum *tom.* 1. *de ſubdito qu.* 1. *de Obed. cap.* 7.

1586 Inter. 27 Poſſuntne Pręlati Regulares applicare bona opera ſuorum ſubditorum Benefactoribus, aliiſque perſonis, contra voluntatem ſubditorum?

Reſp. Poſſunt tum ex privilegio Urbani V. tum quia jure communi quilibet Prælatus cujuſcunque Congregationis id facere valet, ut docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 20. *qu.* 1. *art.* 1. & alii, quos refert, & ſequitur Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *num.* 67. ubi ex aliis tenet etiam poſſe hujuſmodi opera Benefactoribus applicari à Prælatis, ſubditis quamquam renitentibus. Sed hoc intellige quantum attinet ad vim meritoriam de congruo, ut benè obſervat Peyrinus *mox adducendus*. Quomodo verò Generales, & Provinciales poſſint Benefactoribus Ordinis communicare ſuffragia, Indulgentias, Orationes, & alia bona ſpiritualia, latè tractat idem Lezana *tom.* 2. *verb. Bona Regularium num.* 2. *& ſeqq.* & ibi *num.* 7. aliis relatis, licèt concedat eſſe probabile, aut ſaltem optimum conſilium, ut in applicatione iſtarum ſatisfactionum ſubditi voluntariè ſubdantur diſpoſitioni ſuorum Prælatorum; Tamen ſi tales ſatisfactiones ſubdito neceſſariæ fuerint, quia ſcilicèt habet aliquid ſolvendum de pœna temporali, probabilius eſſe, non poſſe à Prælato applicari aliis, contra voluntatem ſubditi. Et ratio ipſa ſuadet, nam ſicut non poteſt Prælatus à Subdito auferre bona temporalia neceſſaria ſimpliciter, ut cibum, veſtes, ſomnum, & cætera hujuſmodi, ſic nec ſpiritualia neceſſaria; Siquidem in iſtis neceſſariis non ſubditur voluntas ſubditi Superiori. Ità ex Scoto, Bonacina, & Peyrino aſſerit idem Lezana. Quare concludendum eſt, non licere ità facile Superiori locali inducere novas obligationes ſubditis, præter illas, ad quas de jure ex vi Regulæ, ſeù Conſtitutionum Religionis tenentur, nè ſaltem ſe exponat periculo, ut ejus finis non ſortiatur effectum. Sed vide Peyrinum *tom.* 1. *de Subdit. qu.* 1. *cap.* 6. §. *Unicus, per totum*, ubi tandem reſolvit, quòd in talibus ſatisfactionibus ad præceptum Prælati concedendis, & applicandis, faciles eſſe debeant ſubditi, quia acquirunt meritum charitatis, & eleemoſynæ; idem tenet Lezana *loco cit.* quibus calculum fero.

1587 Inter.

1587 Inter. 28. Poſſuntne Prælati Regulares, nulla præcedente accuſatione, aut infamia, ſuos ſubditos punire?

Reſp. Nullus Judex in cauſis criminalibus poteſt procedere ad effectũ puniendi delinquentes, ſine prævia accuſatione. *leg. ilicitos ff. de Offic. Præſidiis, & cap. ſi legimus de accuſat.* Et quãvis Prælati Regulares poſſint ſuos ſubditos punire in levibus delictis ſine accuſatione, in gravibus tamen, quæ abſque infamia delinquentium fieri nõ poteſt, nequaquam illos ſine accuſatore, & ſubſtantiali ordine juris, & Judicii punire, aut caſtigare poſſunt. Ità pluribus relatis docet Miranda apud Rodericum *in Comp. qq. Regul. reſ.* 41. *num.* 2. Immo ſi tres, aut quatuor ſecretò denuncient Prælato aliquem Religioſum commiſiſſe aliquod crimen, Prælatus non debet, nec poteſt illum publicè punire, vel alios teſtes vocare, aut de ejus vita inquirere ſine ulla pręcedente accuſatione, vel infamia. Vide Rodericum *loco citato, reſ. 39. ſub num.* 4. *verſ.* 41. *ſub n.* 10. qui pro hac ſententia adducit Navar. Sotum, Salzedo, & tandem D.Tho. 2. 2. *qu.* 67. *art.* 3. *in corpore*, & dicit eſſe communem ſententiam Theologorum, & Canoniſtarum: Et rectè quidem, nam ſervanda eſt fama proximi quoties ſine illius detrimẽto ejus animæ mederi poteſt, ut multis rationibus probat Navarr. *in cap. Sacerdos de pęnit. diſt.* 6. & in man. *cap.* 18. *n.* 56. Itaque omnia cum charitate tentanda ſunt, ut minori cum detrimento Fratris ſubveniatur. Ità S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 33. *ar.* 7. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 3. *cap.* 27. *num.* 19. & *tom.* 2. *verb. Judex num.* 6. Vide ſup. *in tit.* 127: *de Judicibus ad Inter.* 4.

1588 Inter. 29. Prælati Regulares tenenturne ratione officii ad aſſiſtendum Choro? Et quam pœnam incurrunt, ſi fuerint negligentes?

Reſp. Certum eſt, Neminem immunem eſſe à ſervitio Chori, licèt ſit Generalis Religionis, niſi pro eo tempore, quo proprii Officii munere actu fuerit occupatus; ità enim præcepit Clem. VIII. in Decretis pro Reformatione Regul. editis anno 1593. & incipiunt; *Nullus omnino.* Imò *in Clementina* 1. *de celeb. Miſſar.* præcipitur Ordinariis, Rectoribus, & omnibus Superioribus, ut ſollicitam adhibeant diligentiam, ut debitis horis convenienter Divinum officium pſallatur, vel celebretur, ſi Dei, & Apoſtolicę Sedis indignationem evitare voluerint; quæ verba quidem indicant præceptum obligans ad mortalem culpam, ut docent Doctores communiter: Itaque dicendum eſt, peccare mortaliter Prælatos negligentes notabiliter in ſequela Chori abſque cauſa legitima; Nam ut aſſeruntSuarez. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de horis canon. diſp.* 10. *num.* 8. Fillincius *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 4. *num.* 135. Bartholom. à S. Fauſto *de horis canon. lib.* 2. *quæſt.* 18. quos ſequitur Lezana *tom.* 2. *verb. Officium Divinum num.* 3. Prælatis abſentibus vix poterit Divinum Officium, prout decet in Choro celebrari; Et rectè quidem; dum præter ſcandalum, & malum exemplum, quòd præbent ſubditis, ſunt in cauſa, quod ſubditi idem faciant; Undè ob circumſtantiam perſonæ, & propter aliorum exemplum; magis tenentur ipſi Superiores, præſertim locales, quàm cęteri Religioſi ad ſequelam Chori; cum ad perfectionem Evangegelicam, & ad obſervantiam Regulæ, & Conſtitutionum Religionis, & Apoſtolicæ Sedis, verbo, & exemplo efficaciter provocare teneantur. Quare concludendum eſt, quod hujuſmodi Superiores notabiliter negligentes ſine legitima cauſa in frequentatione Chori; non ſolum non debent eligi in Prælatos, ut mandant Decreta Clement. VIII. ſupra relata *num.* 36. ubi habetur; ut ad officia, gradus, & Prælaturas illi Præcipuè eligantur, qui poſſint, & conſueverint Regulas Ordinis, & Conſtitutiones obſervare;

Q 2 *præ-*

præſertim, *quæ pertinent ad ſervitium Chori*, *ac veſtitum*, *& victum communem*. Sed ſi electi jam fuerint, debent graviter puniri, & ab officio deponi, quia deſtruunt in ſe, & in aliis Regularem obſervantiam; & ità deponi jubetur Clericus Eccleſiæ deputatus, ſi Choro adeſſe negligens erit in Jure communi. *cap. Clericus diſtin. 91. & cap. Si quis Presbyter diſtin. 92.* & in noſtris Conſtitutionibus *par. 3. cap. 7. num. 9.* ubi loquitur de Priore, habetur expreſsè, quod ſi ex conſuetudine Divino officio non intereſt abſque legitima cauſa, poſſit officio privari: Vide circa tale dubium Peyrinum *tom. 2. de Prælato qu. 1. cap. 4. n. 123.* Dianam *par. 2. tract. 12. reſ. 38.* Bonacinam *de Horis Canon: diſp. 2. qu. 1. pun. 2. ſub num. 1.* & Lezanam *loco ſuprà cit.* Ac tandem nota teneri Superiores bonorum operum ſibi ſubditis exemplum præbete, quia magis movent exempla, quam verba, ut probat idem Lezana *tom. 1. par. 2. cap. 15. num. 19. verſ. Jure etiàm*; & plura congerit ad hoc propoſitum, & inquit præterea, quod verus familiæ, aut Belli Dux non dicet ſuis: Ite, facite hoc Milites; ſed eamus, & faciamus Commilitones, & prius ſuis anteibit, & manum operi admovebit, uti dicebat, & faciebat Julius Cæſar: Unde, ſi ità nō faciunt Superiores, præſertim Regulares, certè muneri ſuo non competenter ſatisfaciunt, & ſunt in ſtatu peccati mortalis, ut conſideranti patebit.

1589 Inter. 30. Quibus de cauſis poſſunt Prælati Regulares deponi, & officio, quo funguntur, privari?

Reſp. Dico primò attendendas eſſe leges peculiares ſingulorum Ordinum. Dico ſecundò, quod Prælatus Regular. de jure communi poteſt deponi, & officio privari, ſi eſt delapidator bonorum Monaſterii, vel ſi incontinenter vivit, aut ſi Regulam deſtruit, eamq: relaxat in ſe ipſo, & aliis, vel tandē ſi alia hujuſmodi committat, propter quæ meritò privandus ſit ab officio, de quibus agit Panormitanus in cap. Monachi *de ſtatu Monachorum in cap. ut ſi Clerici, & in cap. cum non ab homine de Judiciis*. Sed Vide Peyrinum *de Religioſ. ſubdit. tom. 2. cap. 18.* Dilapidator autem bonorum Eccleſiæ, dicitur Prælatus res Eccleſiaſticas alienans, & malè expendens, & deponi debet, ut dixi, & docet etiam Sylveſter *verbo Dilapidator ex cap. Apoſtolicos 12. q. 2. & cap. nullus 7. q. 4.*

1590 Inter. 31. Poſſuntne Superiores Regulares aliqua peccata ſub pœna excommunicationis ſibi reſervatæ prohibere?

Reſp. Affirmant nonnulli apud Dianam *par. 3. tr. 2. reſ. 49.* & apud Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 18. ſub n. 21.* ſed ut inquit ipſe Lezana, hæc ſentententia non poteſt in praxi teneri, & teſtatur declaraſſe Sacr. Cardinalium Congregationem *die 7. Julii 1617.* in Decreto Clem. VIJI. ſuprà relato *in tit. 33. De Caſibus reſervatis, ad Int. 2.* comprehendi etiam cenſuras, nam omnis reſervatio illis interdicta eſt, ideò caveant Superiores à tali cenſurarum reſervatione. Vide Sanchez *in Sum. tom. 2. lib. 6. cap. 1. n. 15.* Peyrinum *tom. 2. privil. minim. in conſt. 10. Urbani VIII. §. 16. num. 10.* & alios, quos refert, & ſequitur Diana *ubi ſuprà*; nam Prælati Regulares ſtante Decret. Clem. VIII. ſuper caſuum reſervatione, quod incipit *Sanctiſſimus Dominus noſter*; non poſſunt excommunicationem ſibi reſervare, prout etiam declaravit Sacr. Congregatio die, & anno ubi ſuprà.

1591 Inter. 32. Prælati Regulares poſſuntne ſuos ſubditos damnare ad triremes, vel ad perpetuum carcerem?

Reſp. Dico poſse Prælatos Regulares ſibi ſubditos ad triremes condēnare, caſu tamen raro, & ad ſatisfaciendum alicui ſcandalo publico ex delicto enormi; immò aliquando hoc neceſſarium cenſetur in caſibus, quibus aliter delicta caſtigari nō poſſint: Ità

Ità etiam non eſt improbandum poſse ſuos ſubditos provida deliberatione, in perpetuum ad carceres condemnare juxtà delicti arrocitatem. *cap. quamvis de præbend.* Vide Peyrinum *de Relig. ſubdito cap. 27. quæſt. 1. de obed.* Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 16. nu. 23. & cap. 18. num. 16.* Et noſtræ conſtitutiones *part. 4. cap. 7. num. 2.* aliquibus delictis graviſſimis, decernunt pœnam perpetui carceris, & ità probabiliter puto decerni in ſtatutis, vel conſtitutionibus aliorum ordinum, ne delicta remaneant ſine debita pœna impunita.

1592 Inter. 33. Prælati Regulares poſſuntne abeſſe à ſuis Monaſteriis tempore peſtis, aut hæreſis?

Reſp. Sæpè Dico, & præſertim *ad Inter. 7. tituli* 184 *de Reſidentia* non poſſe; quia de Jure Divino reſidere tenentur in ſuis Monaſteriis, nec poſſunt deſerere gregem; Undè debent aſſiſtere ſuis Monaſteriis, etiam cum periculo mortis; nam ſunt quaſi illorum Monaſteriorum Parochi; Parochis autem non licet fugere in talibus eventibus, ut docet Sanchez *in Sum. lib. 6. cap. 2. num.* 55. & ex eo Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 18. num.* 12. & eſt communis ſententia. Vide Dianam *par. 9. tract. 7. reſ. 53. & ſuprà in tit.* 160. *de Parochis ad Inter.* 21.

1593 Inter. 34. Prælati Regulares recipientes in Viſitatione aliquid ultrà victualia, ſubiiciunturne pœnis impoſitis contrà Viſitatores, qui Jure Ordinario viſitant? Et quo Jure viſitare tenentur?

Reſp. Utiquè eodem modo, quo Epiſcopi, aut alii ex officio viſitantes, cavere debent à munerum receptione *ex cap. Romana* §. *Procurationes de cenſib. in 6.* & ex Trident. *Seſſ. 24. de refor. cap. 3.* cum generaliter prohibeatur omnibus, qui Jure Ordinario viſitant, munerum receptio, & quamvis liberaliter donata fuerint ad reſtitutionem tenentur. Verum eſt tamen, quod licitè recipere poſſunt taxas à Conſtitutionibus, ſeù Statutis Religionis, aut ex laudabili Religionis conſuetudine deſignatas; ſed gravare non debent Viſitatos expenſis, aut cibis, & potibus delicatis, & exquiſitis, ut ex Peyrino *de privileg. minim. in Conſt. 10. Leonis X. num. 6. & ſeq.* Rectè obſervat Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 18. num. 68. & tom. 2. verb. Viſitator Regul. num.* 11. undè etiam Bonac. *tom. 4. diſp. 3. qu. 5. pun. 4. n. 7.* Et Thomam à Jeſu *de Viſit. Regul. tr. 1. cap. 21. per totum.* Et tandem Viſitationem eſſe de Jure Naturali, & Divino, docet S. Thom. 2. 2. *qu. 83. ar. 2.* & ibi Cajet. & habetur *ex Proverbiorum cap. 27. Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.*

Quær. 1. An peccent mortaliter Prælati Regulares, qui non procurant obſervantiam vitæ communis in Subditis? Et quid poſſint facere iidem ſubditi ſi non provideantur à ſuis Prælatis de neceſſariis ad vitam?

Reſp. Superiores Religionum, in quibus viget obſervantia vitæ communis, & omninò in communi vivitur, certò mortalitèr peccant, nec ſunt in bono ſtatu conſcientiæ, quià tales Religioſi tenentur vivere vita communi in victu, veſtitu, lectiſterniis, & aliis diſpenſatis, & diſtributis à ſuis Superioribus, inſpectis tamèn ætatibus, & neſſitatibus Religioſorum: Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 6. num. 6. & 60.* Vita autem communi vivere non poſſunt Religioſi, quandò Superiores eis providere non curant de neceſſariis ad vitam, & decentiam ſtatus ipſorum, tam ſanitatis, quàm infirmitatis tempore, habita ratione, ut dixi, & conſideratis circumſtantiis ſtatus, valetudinis, laborumque ſingulorum, undè culpa transfunditur in Superiores ipſos, cum ſint cauſa peculii, aut ſaltèm, ut ex malitia, avaritia, negligentia, vel ipſorum lata culpa, aliqua inobſervantia ſequatur; Dantur enim aliquando aliqui Superiores ita indiſcreti, aut rubuſti., ut

ſua

Digitized by Google

ſua duritie alios metiuntur, & neſciunt illis compati,& ſic graviter peccat ſi eos,ut ita dicam,mori permittat ex defectu neceſſariorum ad vitam, nam faciunt contrà legem Dei,& Religionum inſtituta, nec non contrà Sac. Concilii Tridentini *ſeſſ.*25. *cap.* 2. decreta, & mentem Summorum Pontificum, præſertim Clementis,& Urbani VIII. & Innoc. XII. ut liquet ex eorum Conſtitutionibus, atque Bullis; Itaque concludendum eſt, dictos Prælatos Regulares, qui in quantum poſſunt, non curant, quòd Subditi vita communi abſque peculio vivant, aut etiam ut proprios, & ſuperfluos uſus vitent, eſſe in ſtatu peccati mortalis, & ratio eſt, quià paupertatis votum, quod Religioſi emittunt, id expoſcit omninò, Summique Pontifices, & Concilia præcipiunt. Videantur Sylveſter *verb. Religio.* 6.*q.*7. Sanchez *tom.* 2. *moralium lib.* 7. *c.* 19. *num.* 27.& Lezana *loco cit. cap.* 18. *n.*14.& ea,quæ egomet dicã *in tit.*180. *de Regul.&c.ad Int.* 73. *& dixi in hoc tit. ad Int.*19.Si verò ſtãte nimia paupertate,& inopia Conventuũ,Subditis omninò providere nequeãt Superiores, tunc quidem non peccant,cũ impoſsibilium nulla ſit obligatio,& ſubditi queunt licitè, ac tuta conſcientia ſibi providere de ſimpliciter neceſſariis ad vitam, quia quandò duo præcepta concurrunt, quæ ſimul ſervari non poſſunt, ſervandum eſt illud, quod ſtrictius obligat: Et ſic quoties Religioſus aliquid accipit, vel expendit in dicto caſu ad ſubveniendum extremæ neceſsitati propriæ,aut alienæ,non peccat mortalitèr, quia Superior cenſetur conſentire, & conſenſum præſtare debet, nam in iis, quæ pertinent ad naturam omnes ſumus pares.Vide igitur quæ dixi circà tale dubium in *hoc tit.de Prœl.Reg.adInt.*20.*& dicã in tit.de Regul.ſeù Relig.ad Int.*60.&Nota quòd in uſum communem ceſetur impendi id, quod de licentia Superioris in uſum alicujusReligioſi impenditur, ut ex Navar. docet Em. Sà *verb. Religio num.* 49. & Sanchez *tom.* 2. *Moral. cap.* 19. *lib.* 7. *num.* 76. *in fine.* Ita pro conſcientia reſpondeo, dummodò caſus in praxi contingat.

Quær. 2. An Prælati Regulares exBonis Cõvẽtusaliquid gratioſèdonarepoſſint?

Reſp. Omnes Doctores fatentur, Superiores Regulares non eſſe Dominos bonorum Conventuum,ſed ſolùm diſpenſatores; Ergò non poſſunt ex alieno donationes facere, ut dicitur *in cap. Abbati diſt.* 54. Immò *in cap. Nullam* 18. *quæſt.* 2. ſolùm conceditur quòd Abbas poſſit expendere Bona Monaſterii in Dei cultum, & Monaſterii utilitatem, & cum debeant etiam ipſi obſervare Decreta Clem. VIII. & Urbani VIII. de largitione munerum ſicut cœteri Religioſi, ſequitur eos peccare mortalitèr contra Juſtitiam, ſua abutendo poteſtate, & contrà votum paupertatis, utendo illis bonis, tamquam domini, undè tàm ipſi, quàm qui recipiunt ab eis, reſtituere tenentur, ut pluribus relatis docet Peyrinus *tom.* 2. *de Prælato quæſt.* 1. *cap.* 5. *num.* 55. & Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 6. *ſub num.* 53. *& cap.* 5. *num.* 13. *& tom.* 2. *verb. Dare ſeù Donare num.*10. Quòd autèm poſſint ex cauſa, aliquas donationes moderatas facere, eſt in confeſſo apud omnes, non ſolùm de ſuperfluis, ſed etiam nõ ſuperfluis,ut quidam dicunt, prudenter tamen, & diſcretè juxtà conventus facultates, ſecundum ſuæ ReligionisConſtitutiones,&Regulam, & dummodò Religioſis nihil de neceſſariis ad vitæ conſervationem, & decentiam ſtatus deſit, nam Superior curam debet habere corporis, & animæ ſuorum Subditorum, & omni cum charitate neceſſaria prò poſſibilitate providere.Videatur ſi lubet id,quod dixi *in tit.* 2. *de Abbat.&c.ad Int.*3.*necnon in tit.*131. *de largit. mun. Int.*5. *& dicam in tit.* 180. *de Regul. &c. ad Inter.* 40. liquidem plura ad hoc propoſitum haberi poſſunt. Sed circa præſens

ſens dubium ne deſinas videre Dianā *par. 8. tract. 6. reſ.* 12. Lezanam *to.* 1. *par.* 2. *cap.* 19. *num.* 54. & Bonac. *to.* 1. *de alien. bonor. Eccleſ. diſp.* 3. *pun.* 6. *num.* 1. *& ſeqq.* nam plura congerunt ad intentum. Notandum eſt denique poſſe Prælatum concedere Subdito, quod ipſe poteſt, ſcilicet uti, & donare cauſa pietatis,& remunerationis, docet Em. Sà *verb. Religio ſub n.* 48.

Quær. 3. An Prælati Regulares poſſint abſolvere ſibi ſubditos ab excommunicatione ob percuſſionem gravem, & enormem contracta?

Reſp. Religioſi omnes, præſertim ex ordine mendicantium, & qui cum eis participant in privilegiis, poſſunt etiàm à percuſsione enormi abſolvi à ſuis Prælatis, nàm alioqui ſi ad Papam mittendi eſſent, occaſio vacandi illis tribueretur: Tale privilegium fuit conceſſum à Clemen. IV. Prælatis ordinis Prædicatorum, & eorum Vicariis, ut ex aliis refert Diana *loco mox adducendo.* Itèm Syxtus IV. & Julius II. idem privilegium conceſſerunt Generalibus, & Provincialibus nonnullarum aliarum Religionum, teſte Lantuſca *in Theat. Regul. verb. Abſolutio num.* 5. ideòque non prohibentur dicti Prælati Regulares quia etiam poſsint abſolvere ſuos ſubditos ab excommunicatione, ob gravem & enormem Clerici percuſsionem contractam. Ita tradunt Sayrus *de cenſu. lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 13. Rodriquez *de qq. Regul. to.* 1. *quæſt.* 20. *art.* 12. Tamburrinus *de Jure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 54. *quæſt.* 11. *num.* 2. *&* 3. Fragoſus *in Reſp. Chriſt. tom.* 2. *lib.* 1. *§.* 3. *num.* 55. *& ſeq.* quos refert, & ſequitur Diana *par.* 9. *tr.* 4. *reſol.* 49. & concordant etiam Bordonus *in Conſiliis Regul.* 1. *reſol.* 28. *n.* 50. & Lezana *tom.* 3. *verb. Clericus ſub num.* 12. *propè finem,* qui addit, & bene, niſi aliter in ſtatutis particularium Religionum ſtatuatur. Unde licèt adſint Decreta Sac. Congreg. ſub Urbano VIII. emanata anno 1628. die 17. Novemb. & Innocentii X. anno 1647. die X. Decemb. & aliorum Pontificū prædeceſſorum, tamen quià loquuntur de confeſſariis, qui prætextu ſuorum privilegiorum abſolvebant ab omnibus caſibus Papæ reſervatis perſonas ſæculares, & nihil dicant de Regularibus, idcircò remanet probata noſtra concluſio. Vide Dianam *loco ſupracit. reſ.* 50. 5. *Notandum eſt tamen,* & Bordonum *ubi ſuprà num.* 50. Supradicta tamen procedunt quando Religioſi ſe ad invicem percutiunt, non autem ſi percutiant Clericum ſuæ, vel alterius Diœceſis, ut conſtat *ex cap. cum illorum, & cap. Religioſi, de ſent. excom.*

TITULUS CLXXVI.

De Prilegio Canonis, & Fori.

Vide tit. de Cler. &c. ab Inter. 5. *uſque ad* 13. *tit. de Eccleſ. Immun. Int.* 34. *& ult. tit. de Uxor. ad quæſ.*

1594 INter. 1. Titius primam Tonſuram, vel Ordines minores accepit animo non aſcendendi ultra ſed ut gauderet privilegio Fori, & exemptione à Tributis, peccavitne mortaliter?

Reſp. Affirmativè reſpondet Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi par.* 2. *alleg.* 11. *num.* 12. Bannes *in* 2. 2. *quæſt.* 12. *ar.* 1. *in* 2. *difficult. concluſ. ult. cum aliis*. Sed negat Diana *par.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 20. cum Sanchez, Villalobos, & Conincho, & ratio (ut ipſi dicunt) eſt, quia verba Concilii non ſonant præceptum graviter obligans; Utraque ſententia eſt probabilis. *Vide in tit.* 83. *ad Int.* 68.

1595 Inter. 2. Clericus bigamus gaudetne privilegio fori, vel Canonis?

Reſp. Nullo Privilegio Clericali gaudet, non privilegio fori, affirmat Diana *in ſum. verb. Clericus num.* 12. Non privilegio Canonis, aſſerit idem Diana *loco cit. verb. Cenſura ob percuſſ[illegible]em Cler. num.* 5. Imò faciliùs amittitur

titur privilegium Canonis, quàm fori, cum illud à jure humano, hocque à juro Divino procedat. Tandem quod Clericus Bigamus nullo privilegio Clericali fruatur, tradunt Tolet. *lib.* 1. *cap.* 67. *num.* 6. & *cap.* 68. *ſub num.* 4. Emm. Sà *verb. Irregularitas ex Bigamia num.* 5. Alloza *eodem verb. ſect.* 4. *num.* 38. Lezana *tom.* 2. *verb. Bigamia num.* 10. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. *num.* 4. Bonac. *de cenſu. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 16. & *to.* 3. *de cenſu. in particul. diſp.* 2. *quæſt.* 3. *pun.* 6. *ſect.* 3. *num.* 3. & *ſequen.* Diana *par.* 9. *tract.* 4. *reſol.* 6. *verſ. An verò*, & habetur expreſsè. *in cap. Altercationis, de bigam. in* 6. ubi Pontifex ſic habet. *Omni privilegio Clericali declaramus eſſe nudatos, & coercitioni fori Sæcularis addictos, conſuetudine contraria non obſtante: Ipſiſquè quoquè ſub anathemate prohibemus deferre tonſuram, vel habitum Clericalem.* Sed hoc intelligendum eſt dumtaxat de Clericis Bigamis bigamia vera, vel interpretativa in minoribus conſtitutis, non autem de bigamis bigamia ſimilitudinaria, ut in ſequenti reſponſione dicetur. Vide *tit.* 23. *de Bigamia, ad Inter.* 1. & *præſertim in tit.* 89. *de Excommunicatione ob Clerici percuſſionem, ad Inter.* 2.

1596 Inter. 3. Bigamus bigamia ſimilitudinaria, amittitne omne Clericale privilegium, ut dictum eſt in præcedenti Reſponſione de Clerico Minoribus initiato?

Reſp. Supponendum eſt primo illum eſſe Bigamum bigamia ſimilitudinaria, ut dixi *in tit.* 23. *de Bigamia, ad Inter.* 1. qui poſt votum ſolemne caſtitatis emiſſum in ſuſceptione Sacrorum Ordinum, vel in aliqua Religione approbata, mediante ſolemni profeſsione, matrimonium cum aliqua contrahit, eamque carnaliter cognoſcit: Qui quidem nulliter matrimonium contrahit, eſt ſuſpectus de fide, & fit irregularis, ſicut cœteri Bigami; tamen nullum Clericale privilegium amittit, quià textus *in cap. unico de Cler. Conjug. in* 6. & *cap. Altercationis, de Bigam. eodem libro* 6 expreſsè loquitur de Bigamis in minoribus conſtitutis. Sylveſter *verb. Bigamus quæſt.* 8. Toletus *lib.* 1. *cap.* 67. *ſub num.* 6. Sayrus *de cenſur. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 32. Lezana *tom.* 2. *verb. Clericus num.* 6. Diana *par.* 9. *tract.* 4. *reſol.* 6. §. *An verò*, & alii communitèr. Vide Bonac. *loco proximè cit.* & *ad Inter. ſequentem.*

1597 Inter. 4. Si aliquis Subdiaconus ex diſpenſatione Papæ cum Vidua Matrimonium contraheret, gauderetne Privilegio fori, & Canonis?

Reſp. Prædictus Subdiaconus, ſicut, & quilibet Bigamus ſimilitudinarius non perdit privilegia Canonis, & Fori, Perſonæ, & rerum, quià nullibi in jure nudatur his privilegiis; ſicut Minoribus initiati, propter etiam differentiam, quià in Sacris conſtituti, & profeſsi continuò manent in ſuo ſtatu Clericali, & Eccleſiaſtico, non enim recedere poſſunt à ſuo ſtatu, ut poſſunt initiati minoribus, qui ſine Apoſtaſia redire poſſunt ad Sæculum, ac proindè iſti, ut Sæculares, ſunt ipſo jure privati privilegiis Clericalibus, quæ Laicis non competunt. Conſtituti autem in Sacris, atque profeſsi manent ſicut priùs in ſuis ſtatibus Eccleſiaſticis. Hactenus Bordonus *de privil. Cleric. cap.* 8. *num.* 58. Et quod prædictus Subdiaconus gauderet privilegio fori, habetur quoquè ex declaratione Sac. Congreg. apud Barboſam *in Collect. Bullar. verb. Subdiaconus, teſte* Lezana *tom.* 2. *verb. Clericus num.* 20.

1598 Inter. 5. Clericus ſolutus tempore delicti, ſi poſtea Viduam ducat in Uxorem, amittitne ex bigamia privilegium Fori?

Reſp. Etiamſi dictus Clericus ſit tantùm in Minoribus conſtitutus, in dicto caſu non amittit privilegium fori, quia habilitas Perſonæ circa privilegium ſolùm conſideratur tempore deli-

delicti commiſſi, illa enim poſt delictum non nocet, undè is tanquam Clericus ſolutus remittetur, attèto delicti tempore. Ità ex Pereira, & Alexandro docet Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 27. & teſtatur de communi.

1599 Inter: 6. Clericus conjugatus cum unica, & Virgine, veſtes Clericales, & Tonſuram deponens, ſi poſteà illas aſſumat, gaudetne privilegio fori?

Reſp. Privilegio fori gaudere firmat Diana ex aliis, *par.* 1. *tr.* 2. *reſ.* 80. *& par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 78. *verſ. Notandum eſt*. Et rectè quidem, namq; quivis Clericus ſi habitum dimittit, & poſtea illum reaſumit, etiam ſine licentia Epiſcopi, gaudet privilegio fori, & quamvis in Synodo Diœceſana hoc fieri prohibitum eſſet Clericis. Squillante *de privil. Cler. cap.* 6. *dub.* 1. *n.* 19. Riccius *par.* 2. *deciſ.* 267. apud Dianã *par.* 4. *tr.* 1. *reſ.* 18. *verſ. Notandum eſt hic*, Barboſa *in Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *num* 43. Vide Dianam *par.* 9. *tract.* 4. *reſ.* 13. *& ſuprà in tit. de Excommunicatione ob Clerici percuſſionem, ad Interog.* 3.

1600 Inter. 7. Clerici conjugati gaudentne privilegio fori in civilibus, vel in criminalibus cauſis dumtaxat?

Reſp. Eſt quæſtio gravis inter DD. an gaudeant in civilibus, nam in criminalibus, nemo dubitat, dummodò nõ ſint Bigami, & incedant in habitu, & tonſura, & alicui Eccleſiæ in Spiritualibus deſerviant. Diana *par.* 1. *tra.* 2. *reſ.* 50. *& par.* 4. *tr.* 1. *reſ.* 78. Mordicus defendit illos gaudere etiam in Civilibus, & pro ſe plures DD. refert. Sed hoc ego puto verum, ubi adeſt conſuetudo gaudendi etiam in civilibus, ut in Regno Neapolitano, ut docet Barb. *in Trident. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 6. *ſub num.* 44. Lezana *tom.* 2. *verb. Clericus ſub num.* 20. & ità deciſiſſe Sacr. Congregationem teſtantur præfati Auctores. Vide Gavantũ *in Man. Epiſc. verb. Clericus num.* 84. qui teſtatur id præſertim procedere in Regno Neapolitano ex declaratione Sac. Congregationis.

1601 Inter. 8. Clericus in Minoribus, quandò gaudet privilegio Fori?

Reſp. Quandò habet aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, aut habitum, & Clericalem tonſuram defert, & alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſervit, aut in Seminario Clericorum, vel in aliqua ſchola, ſeù univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad Majores Ordines ſuſcipiendos, verſatur. Ità Triden. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. Emm. Sà *verb. Clericus num.* 4. Imò nota ex Bonac. *de Legibus diſp.* 10. *q.* 2. *pun.* 1. §. 4. *num.* 10. & aliis multis, quos ſequitur Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 29. *verſ. Quæritur primo, & par.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 89. ut Clericus gaudeat privilegio fori, ſufficere, ut habeat tantùm Beneficium, quamvis non deferat habitum, & tonſuram, & alicui Eccleſiæ deſerviat, nàm Concilium loquitur diſiunctivè, cum particula *aut*. Lezana *tom.* 2. *verb. Clericus ſub num.* 20. Peccat verò mortalitèr, non deferendo habitum, & tonſuram, ut bene probat idem Lezana *ubi ſuprà ſub num.* 2.

1602 Interr. 9. Si Clericus in Minoribus tantùm deferat habitum, & non Tonſuram, vel è contrà, gaudetne privilegio fori?

Reſp. Clericus in Minoribus conſtitutus, niſi habeat Beneficium, vel inſerviat alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi, & incedat in habitu, & tonſura, non gaudet privilegio fori. Ità docet Navar. *conſ.* 17. *de privil. num.* 2. Emm. Sà *verb. Clericus ſub num.* 4. Rodericus *in Compend. qq. Regul. reſol.* 82. *num.* 10. & alii communiter. Quidam verò apud Dianam *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 33. putant ſufficere quod habitum, vel tonſuram deferat, dummodò cœtera neceſſaria concurrant, quià dimiſſio tonſuræ non videtur tantæ ſolemnitatis in Clerico in Minoribus conſtituto. Tamèn DD. quos refert Diana ibidem pro prima

R ſen-

ſententia, aſſerunt Sac. Congregationem deciſiſſe in favorem Trident. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 6. ubi loquitur copulativè, nempè, ut Clerici deferant habitum, & tonſuram, & alicui Eccleſiæ deſerviant. Verùm prout vidi in aliquibus locis, oppoſitum practicatur quoad tonſuram. Ideò hujus dubii reſolutionem remitto ad Sac. Congregationem, ut dicit Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 93.

1603 Inter. 10. Clericus, qui alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi non inſervit, nec Beneficium Eccleſiaſticum habet, gaudetne fori privilegio?

Reſp. Si defert habitum, & tonſuram, & eſt deſcriptus in Catalogo Clericorum, qui in Synodo Diœceſana obedientiam præſtant Epiſcopo, licèt de ejus mandato alicui Eccleſiæ non inſerviat, dummodò per paucas vices in Choro, & Proceſſionibus interfuit, gaudere privilegio fori determinavit Sac. Congreg. Concilii in Nullius die 28. Martii 1628. teſte Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 29. *verſ. Nota ſecundo.* Vide Dianam *ibidem reſ.* 35. *& par.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 2. *& par.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 6. *verſ. Confirmatur*, & Barboſa *in Triden. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *n.* 32. *& ad Inter. antecedentem.*

1604 Inter. 11. Clericus qualem habitum deferre debet, ut gaudeat privilegio fori? Et cognitio an habitus ſit Clericalis, ad quem Judicem ſpectat?

Reſp. Diana *par.* 3. *tr.* 1. *reſ.* 10. 15. *&* 63. rectè arbitratur illum privilegio fori gaudere, qui eo utitur veſtium genere, ut ſi à populo videatur, Clericus judicetur. Verùm ſi circà hoc ſit controverſia inter Judicem Sæcularem, & Epiſcopum, ſcilicèt an habitus, cum quo inventus eſt Clericus ſit Clericalis, vel non, ad Epiſcopum pertinere, reſolvit ipſe Diana contrà nonnullos oppoſitum docẽtes, & malè, quia aliàs Judex Laicus incurret pœnas contrà immunitatem Eccleſiaſticam infringentes latas, ut benè docet Bonac. *tom.* 1. *in Bulla Cœnæ diſp.* 1. *quæſt.* 16. *ſect.* 1. *pun.* 6. *n.* 30. *& ſeq.* cum aliis communiter, ut teſtatur idem Diana *loco cit.* Vide iterũ Dianam *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 29. & Barboſ. *in Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reform. num.* 24.

1605 Inter. 12. Cui reſervata fuit penſio, ſi non incedit in habitu, & Tõſura, gaudetne privilegio fori tanquã Beneficiatus?

Reſp. Memini me pluribus citatis docuiſſe in hoc titulo *ad Inter.* 8. Clericum beneficiatum, quamvis non incedat in habitu, & tonſura, gaudere fori privilegio, & docent plurimi, quos refert Barboſ. *in Collect. ad Trid. ſeſſ.* 23 *de reform. cap.* 6. *num.* 11. Ità etiam gaudere fori privilegio putant quidam penſionarium, licet non incedat in habitu, & tonſura, & exemptum eſſe à juriſdictione fori ſæcularis ſicut Beneficiarius: Doctores ità ſentientes refert Barboſ. *loco cit. n.* 19. & Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 31. Verùm de tonſura, & habitu penſionariorum extat Conſt. Syxti V. quæ incipit *Paſtoralis* edita anno 1589. qua præcipitur, quod Clericus habens beneficium, aut penſionem excedentem ſexaginta aureos de Camera, teneatur ad tonſuram, & habitum talarem, alioquin ipſo facto ſit privatus officiis, & beneficiis, nec faciat fructus ſuos in utroque foro. Vide Em. Sà *verb. Clericus num.* 33. Sed circà hanc conſtitutionem Syxti V. vide Theſaurum *de pœnis par.* 2. *verb. Habitus Clerici cap.* 1. *num* 2. Docet autem Bellet. *in diſquiſ. Cler. par.* 1. *tit.* 3. §. 8. *num.* 11. & alij, habentem penſionem non excedentẽ ſummam ſexaginta ducatorum aureorum de Camera, non gaudere privilegio fori; ſecùs tamen ſi penſio excedat ſexaginta aureos de Camera, utiq; gaudere: Alii verò, quos refert Dian. *loc. cit.* dicunt, quòd ſi Clericus habeat penſionem loco tituli beneficii, reputatur, ut Beneficiatus, ac proinde gaudeat privilegio fori, & hoc mihi magis placet.

1606 In-

1606 Inter. 13. Clerici poſſuntne renunciare privilegio, & exemptioni libertatis Eccleſiaſticæ ?

Reſp. Doctores communiter docent, non poſſe Clericos dicto privilegio, & exemptioni renunciare tam in civilibus, quàm in criminalibus, cum ſit eis omninò interdictum *in cap. inſolita* 11. *quæſt.* 1. *cap. Placuit*; *cap. Si diligenti de foro comp. & cap. cum tempore de Arbitr.* Et ratio eſt manifeſta, quia privilegium exemptionis à Laica poteſtate, non eſt conceſſum ſingularibus perſonis, ſed ſtatui Clericorum in communi; & perſona privata non poteſt cedère privilegio cōceſſo Cōmunitati, aut toti alicui Ordini, vt docet Bonac. *de Cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punt.* 2. *ſub num.* 5. Et ego breviter dicā *in tit.* 180. *de Regularibus, ſeu Religioſis, ad Inter.* 88. loquens de privilegiis Religionibus conceſſis. Imò Clerici neque dicto privilegio renunciare poſſunt de licentia Epiſcopi. Vide circà tale dubium Dianam *par.* 1. *tr.* 3. *reſ.* 3. qui ad ſatietatem Doctores refert, & teſtatur de communi.

1607 Inter. 14. Famuli Clericorum, gaudentne privilegio fori ?

opin. Famulos Clericorum gaudere privilegio fori aſſerunt plurimi Doctores, qui indiſtinctè loquuntur de Mancipiis, & famulis perpetuis, de quibus nulli dubium eſt, ac de famulis temporalibus, & conductoriis, præſertim ſi Clerici gravi aliquo incommodo arbitrio Judicis mēſurando afficiantur eo quòd ſervi, aut ipſorum famuli, foro, vel alio privilegio non fruantur. Vide igitur Gratianum *in diſcept. foren. tom.* 2. *cap.* 340. *num.* 4. & 5. Paulum Squillante *de Privileg. Cleric. cap.* 7. *dub.* 2. *num.* 57. & alios apud Dianam *par. tertia tract.* 1. *reſ.* 47.

Quær. 1. An Clericus immiſcens ſe enormitatibus, etiam habitù, & tonſura clericalibus demiſſis, perdat ipſo jure privilegium fori, antequàm ter moneatur deſiſtere? Et quid dicendum ſit de Religioſo profeſſo ?

Reſp. Video circà hanc quæſtionem Doctores inter ſe acertimè digladiare, ſiquidèm multi tenent, amittere non ſolùm privilegium canonis, ſed etiam fori, licèt à ſuo Epiſcopo non fuerit ter monitus; hos Doctores refert Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 130. & *par.* 10. *tr.* 12. *reſ.* 4. *verſ.* 3. inter quos quidam ſunt Theologi, ut Sylveſter, Molina, Reginaldus, Cotiolanus, & alii, & eſt probabilis hæc opinio. Attamen (quidquid ſit de priuilegio canonis, de quo ego non dubito, cum facilius amittatur, quàm privilegium fori, de quo tamen non loquuntur Canones, qui pro oppoſita citantur ſententia) recedere non audeo à ſententia, quæ docet Clericos, & Beneficiarios, haud amittere privilegium fori, quanquàm ſe miſceant enormitatibus, & in habitu laicali incedant, niſi prius ter moneantur, & præcedat declaratio Judicis Eccleſiaſtici, & ità docent innumeri Doctores, tam Theologi, quàm Canoniſtæ, quos congerit idem Diana *locis ſuprà cit.* & hæc quidem ſententia mihi videtur juri conformior, & Chriſtianæ pietati aptior, immò quia ſumus in dubio ob diverſitatem opinionum, videtur amplectendam eſſe in praxi, cum faveat Religioni, & Eccleſiaſticæ libertati; Fori enim privilegium, ſecundum veriorem, ac probabiliorem ſententiam, Dei ordinatione, & Canonicis ſanctioribus fuit Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis conceſſum, ut ex Diana, Bonac. & aliis, alibi docui. Quare dicendū puto non poſſe Judicem laicum pro quocumque graviſſimo, & enormiſſimo delicto judicialiter, & auctoritativè Clericum interrogare, examinare, judicare, & punire, quamvis ſe immiſcuerit enormitatibus, & eſſet incorrigibilis, quia ſemper retinet dictum privilegium, donec poſt monitionem, ſecundum jura, illud perdat, aut ſervatis de jure ſervandis, ſi eſt in Sacris, Judici ſæculari ab Eccleſiaſti-

co puniendus tradatur : Et hoc eriam, poſt Conc. Trid. apud me eſt indubitatum , maximè ſi loquamur de Clerico habente Beneficium Eccleſiaſticum, vel in Sacris conſtituto, aut etiã de Religioſo profeſſo , licèt Laico, cũ in hoc æquiparetur Clerico Sacris Ordinibus inſignito . Cenſeo igitur omninò neceſſariam eſſe monitionem à Judice Eccleſiaſtico factam , antequã privilegium fori Clericus ammittat, ut habetur *ex cap. in audien: iam, capit. contingit de ſent. excom. & cap. Judices eodem tit. in 6.* Et ita inter alios docent Navar. *tom. 2. conſ. 25. de Privileg.* Em. Sà *verb. Clericus num. 4.* Bonac. *de legib. diſp. 10. qu. 2. pun. 1. §. 1. ſub num. 5. & §. 2. 3. & 4.* Diana *locis cit.* & præſertim *par. 1. tr. 2. reſ. 24. & par. 7. tr. 1. reſ. 11.* Lezana *tom. 3. verb. Clericus num. 21.* & alii penès ipſos. Imò Tabiena *verb. excommunicatio 5. num. 25.* ſic ait : Quidam dicunt, quòd opinio , quæ dicit , quòd perdit privilegium fori , , eſt practicanda, ſed me degente Bononiæ , practicata eſt opinio contraria toto approbante ſtudio ; & tandem notandum eſt Barboſam *in Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 6. num. 25.* ex Sellio , aſſerere , ità fuiſſe deciſum in Motulenſi . 1. *Februarii* 1620. de qua Sac. Congregationis declaratione , mentionem facit etiam Lezana *ubi ſura* , ergo ſequitur hanc noſtram ſententiam ſequendam eſſe in praxi , & nullo modo poſſe ſalva conſcientia Judicem laicum condemnare Clericum de quoque enormiſſimo delicto , ut dixi in *tit. 37. de Cler. etc. ad Inter. 5.* nam ſemper neceſſaria eſt declaratio criminis facta à Judice Eccleſiaſtico, per quam de ejus enormitate conſtare poſſit , an Clericus brachio Sæculari conſignari debeat , ut pœna mortis puniatur. Vide *cap. cum non ab homine de judic. & cap. ex literis de vita , & honeſt. Cler.*

Quær. 2. Quare Clericus dimiſſo habitu, & tõſura clericali in enormitabus ſe intromittens privilegium canonis perdat , & non privilegium fori ? & in quo alio caſu privilegium clericale amittatur ?

Reſp. Quia privilegium fori fundatur in jure divino , ut dixi in præcedenti reſponſione , & habetur *ex cap. quanquàm de cenſ. in 6. Gloſ. penult. in cap. ſi Imperator diſt. 96.* & ex Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de reform, cap. 20.* Privilegium autem canonis eſt privilegiũ ſolùm a jure poſitivo indultum, ideoq. facilius deperditur propter enormitates , quibus Clericus ſe immiſcet; imò excluduntur ab hoc privilegio canonis Clerici Joculatores , goliardi , & buffones , per annum talem arté exercentes , ut patet *ex cap. unico de vita , & honeſt. Clericor. in 6.* & docent Navar. *lib. 5. conſ. 25. de privileg. ſub n. 1.* Suarez *de cenſ, diſp. 22. ſect. 1. num. 14.* Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. num. 5.* Item dictum privilegium perdunt Clerici , Carnificis , Macellaris , vel Tabernarii officium exercentes , ſi ſint conjugati , vel habitum clericalẽ dimiſerint , ac ter moniti ab Epiſcopo non deſtiterint, aut ſi poſt quàm deſtiterint , idem officium reaſumant ; Si verò conjugati non ſint , nec bigami , & habitum clericalem retineant , privilegio canonis , & fori , quoad perſonas non privantur , ſed ſolum quoad eorum bona , ità ut eorum negotium à Judice Eccleſiaſtico non eſt defendendum , nam inſtar ſæcularium debent , ac tenentur tributa ſolvere . Ità aliis allegatis docet Diana *par. 9. tr. 4. reſ. 13.* Vide Lezanam *tom. 3. verb. Clericus num. 10.* ubi loquitur de priuilegio canonis, *& num. 19. 20. & 21.* loquitur de privilegio fori, & quinam Clerici his privilegiis fruantur , aut illis priventur . Item vide Sylveſtrum *verb. Clericus 3. num. 4. & 5. & verb. excommunicatio 4. n. 7.* Tolet. *lib. 1. cap. 33. ſub num. 3.* & Bonacin. *tom. 2. de legib. diſp. 10. qu. 2. pun. 1. §. 4. num. 9. & 22.* & alios plurimos , quos ipſi referunt , à quibus plura haberi poſſunt ad intentum , longum enim eſſet recenſere , quæ ipſi docent, & ego , ut alibi dixi , in hiſce meis la-

Digitized by Google

laboribus brevitati ſtudeo.

TITULUS CLXXVII.

De Pueris.

Vide tit. de Caſ. reſer. Int. 11. *tit. de Denunc. Int.* 24. 26. 29. 30. *tit. de Eccl. Pollu. Int.* 13. *tit. de Ingreſſ. in Mon. &c. Int.* 2. *tit. de Ingr. in Religionem Int.* 1. *tit. de Morib. &c. ad quæſ. tit. de Præc. aud. Sac. Int.* 9. *tit. de Sacr. Baptiſ. Int.* 12. *& ad quæſ. tit. de Sepul. Eccl. Int.* 1.

1608 INter. 1. Tenenturne Pueri ſtatim poſt uſum rationis præceptis Eccleſiæ?

Reſp. Pueri poſt ſeptennium completum obligantur legibus; & præceptis Eccleſiæ; nam illo completo generaliter præſumitur in omni materia uſum rationis habere, & alleganti cōtrarium incumbit onus probādi. Itaq; Pueri poſt uſum rationis tenentur præcepto Confeſſionis. Vide infra *ad Int. ſeq.* & à carnibus; & lacticiniis abſtinere in Quadrageſima, & vigiliis, ſicuti cæteri Chriſtifideles; & hæc ſententia eſt probabilior, & tutior. Vide Sanchez *in Summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. Salas *de legib. diſp.* 14. *ſect.* 13. Suarez *in* 3. *par. tom.* 4. *diſputat.* 36. *ſect.* 2. *num.* 3. Azotium *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *qu.* 1. *& cap.* 40. *quæſt.* 6. & Dianam *par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 87. Verùm quoad præceptum Communionis non currit eadem ratio, ut docent Doctores communiter, teſte Diana *loco cit. reſ.* 70. Tamen aliqui apud Dianam tenent, pueros poſt uſum rationis poſſe communicari ſtatim, imò teneri ad præceptum annuæ communionis, & in articulo mortis. Sed quoad Confeſſionem, & Communionem Puerorum, vide Emm. Sà *verb. Confeſſio num.* 3. ubi ſic inquit: Et ſi communis opinio ſit, teneri ad Confeſſionem annuam, qui habet uſum rationis, tamen Eccleſia non videtur obligare ante pubertatem ad pœnas non confitentibus impoſitas: *& verb. Euchar. num.* 12. *in Addit.* docet ex aliis, & præſertim ex Suarez, quòd indiviſibilis terminus præſcribi nequit quoad Euchariſtiam, nam aliis citius, aliis verò tardius illuceſcit rationis radius; videtur autem concludi terminus à 10. uſque ad 16. ætatis annum. Ideò Parochus judicet, &c. nam Corradus *in Reſp. par.* 1. *qu.* 54. *in fine* docet, quòd Pueri non obligantur ad Communionem uſque *ad* 12. *annum* & ità video ſervari in praxi.

1609 Inter. 2. Pueri poſt ſeptennium, cenſenturne uſum rationis habere, & tenenturne confiteri, & quid dicendum eſt ante ſeptennium?

Reſp. Si compleverint ſeptenniū, in dubio præſumēdi ſunt habere uſum rationis; quia præſumptio deſumenda eſt ex communiter contingentibus, nam argumentum à communiter accidentibus valet: ſed ante ſeptennium in dubio, an puer habeat uſum rationis, præſumitur non habere; conſequenter nō tenetur jejunare; & poteſt comedere carnes, &c. Vide Dianam *par.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 52. ubi pro hac ſententia plures Doctores refert. An verò Pueri teneantur confiteri, obſervanda hic eſt aurea Doctrina Duardi *in Commentariis ſuper C. omnis utriuſq; ſexus diſp.* 1. *ſect.* 7. *num.* 6. quod neceſſitas præcepti Confeſſionis tam Divini, quàm Eccleſiaſtici ex ejuſdem neceſſitate ad ſalutem provenit, & propterea tunc quis tenetur ad confitendum ſemel ſaltem in anno, & in articulo, ſeù periculo mortis, cum lethalem culpam contraxit, ſiquidem tunc neceſſitas ſalutis incipit, ut rectè declarat Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *qu.* 1. *ar.* 3. *in fine*. Undè Eccleſia voluit pueros obligari ſtatim poſt annos diſcretionis, ideſt qui ſunt doli capaces, ſecundùm Gloſſam.

1610 Inter. 3. Confeſſarius debetne abſolvere Puerum quando dubitat

an uſum rationis habeat?

Reſp. Si conſideratis conſiderandis dubium remanet, poteſt, & debet abſolvere puerum, de cujus capacitate dubitat, ſub conditione ſaltem mente retenta, & hoc à fortiori procedit, ſi puer ſit in mortis articulo; nam in dubio, inclinandum eſt in favorem animæ, ut rectè docet Layman *lib. 5. tr. 6. cap. 5. num. 7.* Zambranus *de caſ. temp. mortis cap. 4. dub. 3. nu. 4. & 9.* & Villalobos *in Summ. tom. 1. tr. 9. diffic. 28. num. 3.* quibus ſubſcribit Diana *loco prox. cit. reſol. 53.* qui pluribus rationibus hanc firmat ſententiam.

1611 Inter. 4. Impuberes incurruntne Excõmunicationem latam ab Epiſcopo contra non obſervantes præceptum annuæ Confeſſionis, vel Communionis in Paſchate?

Reſp. Contra non confitentes ſemel in anno, & non communicantes in Paſchate, in jure commumi non adeſt excommunicatio latæ ſententiæ, ſed debent excommunicari. At ſi in Diœceſi aliqua adſit hujuſmodi Excommunicatio latæ ſententiæ, certum eſt, quòd inobedientes ipſo facto illam incurrunt. De pueris verò nondùm habentes ætatem annorum duodecim, eſt problema, an talem excommunicationem incurrant. Affirmat Hurtadus *de Sac. Pœnit. diff. 6.* & alii: Tamen probabilius mihi videtur dicendum, pueros non vinciri Eccleſiæ legibus ànte annum duodecimum. Ità Emm. Sà *verb. Cenſura num. 2. & verb. Confeſſio num. 3.* & alii ab ipſo relati, & hanc ſententiam ſequuntur multi graves Auct. ut Marcer. *de ſac. in 3. p. D. Th. q. 6. a. 5. n. 7.* & alii apud Dian. *par. 4. tr. 4. reſ.* 207. quibus addo Leandrum *de Sacr. tom. 3. tr. 5. diſp. 3. quæſt. 57.* Trullench. *in Decal. tom. 1. lib. 3. c. 4. dub. 2. num. 12.* Martinum à S. Joſeph *in Mon. Confeſſ. tom. 1. lib. 1. tract. 6. de pœnit. num. 12.* quia licèt pueri peccent contra Divinum, & humanum præceptum, tamen, ut dicitur *in c. 2. de Delict. Puer.* In pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis provectioris ætatis, humanæ leges dicunt, ſeverius puniendum; Sed vide, quæ dixi *ad Inter. 1. hujus tituli*, ubi non approbo ſupradictas opiniones cum tanta laxitate, & Bonacinam *de Sacr. diſp. 5. qu. 5. ſect. 2. punct. 4. n. 3*, qui plures concordantes adducit.

1612 Inter. 5. Pueri in minoribus conſtituti, inter ſe rixantes, & ſe invicem percutientes pugno, ità ut ſanguis è naribus eliciatur, innodanturne excommunicatione?

Reſp. Dico quòd non, quamvis in Templo fiat percuſſio, quia actio puerilis pœnam adeò gravem non meretur, nam plerumque hæc injuria inter ipſos levis cenſetur. Sum. Diana *verb. Cenſura ſub num. 21. verſ. Excuſantur*, Mendo *Epit. Opin. Moral. verb. Excommunicatio num. 4.* Verum eſt tamen, quòd aliquando poteſt eſſe gravis injuria, ideoque ex circumſtantiis colligendum eſt, ut ex Conincho, Layman, & Molina benè advertit Diana *loco prox. cit.* §. *Quibus*. Vide Em. Sà *verb. Excommun. Papæ reſerv. num. 6.*

1613 Inter. 6. Pueri ſi decedant ante uſum rationis, poſſuntne ſepeliri in loco interdicto?

Reſp. Licèt tales Infantes non comprehendantur interdicto, tamen ſi decedant tempore interdicti, ſepeliri nõ poſſunt in loco Sacro interdicto; quia hæc prohibitio, non tam ipſos, quam ſepelientes reſpicit, ut docent Emm. Sà *verb. Puer*, Salas *de legibus diſp. 14. ſect. 13. num. 126.* Suarez *de cenſur. diſp. 35. ſect. 1. num. 2.* Sanchez *in Sum. tom. 1. lib. 1. cap. 12. num. 8.* quos refert, & ſequitur Diana *par. 3. tract. 6. reſol. 88. in fine*, *verſic. Notandum.*

1614 Inter. 7. Pueri ante pubertatem, ſcilicèt ante annum decimum quartum, ſi homicidium v. g. commiſerint, incurruntne irregularitatem?

Reſp.

Reſp. Dicunt quidam, quòd non, quia odia ſunt reſtringenda, & hanc ſententiam docet Sancius *in ſelectis*, *diſp.* 26. *num.* 18. & pro ſe citat Avil. & Henriquez. Vide Dianam *par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 38. *verſ. Ex quibus infertur*: ſed idem Diana *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 67. aſſerit, quòd Avila, & Henriquez hoc non dicunt, ſed docent: pueros doli capaces incurrere irregularitatem, & ità omnino eſt tenendum cum Sanch. *in ſum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. Layman. *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 10, *numer.* 6. Præpoſito *in* 3. *par. q.* 5. *de irregular. dub.* 10. *n.* 76. & Gavanto *in Aphor. Epiſcoporum verb. irregularitas nu.* 91. ubi ſic inquit. *Puer major ſeptennnio occidens fit irregularis*. Ante *ſeptenniū verò, etiamſi habeat plenum rationis uſum, irregularitatem evadit, ut docet Avila par.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 13.

1615 Inter. S. Pueri ligantur ne ſtatim poſt uſum rationis cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis impoſitis contra delinquentes? & debentne pœna ordinari puniri?

Reſp. Em. Sà *verb. Cenſura*, dicit, quòd cenſuram nemo incurrit ante annum decimum, ſed ſecundum alios, nec ante duodecimum teſte eodem Sà *verb. Puer.* idem docet Andreas Mendo *Epit. opin. moral. verb. cenſura n.* 11. Alii verò putant, pueros non ligari cenſuris ab homine latis quouſque ad pubertatem deveniant, benè tamen cenſuris latis à Jure, ut videre licet apud Dianam *par.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 88. Caſtro Palaus autem *par.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *pun.* 24. §. 2. *num.* 9. abſolutè probat ſolùm ſententiam excommunicationis ipſo jure latam ob percuſſionem Clerici propter ejus gravitatem contrahi à pueris doli capacibus ante pubertatem, quia in textu ſic decernitur. Vide tamen id quod dixi *ad Inter.* 5. *hujus tituli*, ſed aliæ cenſuræ, & exconmmunicationes ab homine latæ, etiam generaliter non comprehendunt pueros. Ità Palaus. Sed pro reſolutione hujus difficultatis, Dico primò Impubes infantiæ proximus, ideſt ſeptimum annum egreſſus, & in octavo conſtitutus poteſt incurrere excōmunicationem, aliaſque cenſuras ipſo jure latas, vel ex edictis generalibus per modum Juris pro futuris culpis, ſi doli ſit capax. Ità Henriquez, Navar. Sanchez, Suarez, Layman, Sancius, quos dat, & ſequitur Theſaurus *de pœnis par.* 1. *cap.* 17. Quarè Corduba *in ſum. quæſt.* 40. docet pueros, & puellas poſt ſeptimum annum, ſi rationis uſum habent, & prohibitionem non ignorant, peccare mortalitèr, & incurrere excommunicationem latam in Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 5. contra ingredientes Monaſteria Monialium (cujuſcumque ſexus, vel ætatis fuerint) ſine licentia Epiſcopi &c. ad quem locum Concilii Barboſ. *in collect. num.* 64. ità inquit *Pueros igitur ſeptennes præſumendos uſum rationis adeptos, & proindè compræhendi ſub hac prohibitione tenent* Sanchez, Bonac. Hactenus Barboſ. Dico 2. Cenſuris ſpecialibus, ſcilicet ab homine latis, vel etiam per edicta generalia pro præteritis culpis, impuberes quicumque nondum proximi pubertati, etiam majores ſeptennio, juſtè ligari non poſſunt, Æquum enim non eſt, ut Eccleſia puniat pueros pœna ordinaria, quia pœnitentia puerorum debet eſſe diverſa à pœnitentia Adultorum, ut habet Gloſ. *in cap. eos quos de conſec. diſt.* 4. & pluribus relatis firmat D. meus de Zaulis in hac Alma Urbe Viceſgerens meritiſſimus; Vide ipſum *tom.* 1. *obſer. ad rubr.* 20. *lib.* 4. *num.* 15. & 16. An verò validè ligentur, dum tamen ſint doli capaces, pro parte affirmativa P. Theſaurus allegat. Suarez, Coninchum, Rodericum, Bonac. & Sanchez, ſubdit autem: *Veruntamen, quod non cenſeantur impuberes, ſi non ſit proximi pubertati, comprehenſi in Sententiis iſtis generalibus pro præteritis culpis, niſi exprimantur, tenent DD. quos allegat* Sanchez *in ſum. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 7. & *ſequitur*

tur Diana,& Layman. Hactenus Theſaurus : & D. de Zaulis *ubi ſupra* docet pueros non poſſe puniri pœna ordinaria, ſed extraordinaria arbitrio Judicis, & quod ſolùm Infantes, qui nondum ſeptimum annum expleverint, & tanquam doli incapaces, à delictis excuſentur, & à pœna ſint immunes. Vide etiam duas antecedentes Reſponſiones.

1616 Inter. 9. Poſſuntne licitè confirmari pueri uſu rationis carentes?

Reſp. Licèt ſuſcipiens iſtud Sacramentum capax eſt, ſivè ſit Maſculus, vel Fœmina cujuſque ætatis; Tamèn ex conſuetudine non debet adminiſtrari niſi ſit in ætate ſeptem annorum vel ſaltem habeat rationis uſum, ut recordetur ſe hoc Sacramentum recepiſſe, nè iterum recipiat, & ab hac conſuetudine recedendum non eſt, ut docent Toletus *lib.* 2. *cap.* 24. *ſub n.*2. Bonac. *de Sac. diſp.* 3. *quæſt. unica, pun.* 4. *num.* 5. qui pro hac ſententia plures Doctores allegat: Verum eſt tamèn licitè adminiſtrari poſſe hoc Sacramentum puero antè ætatis ſeptennium, quandò manifeſtè apparet uſum rationis habere. Secundo quando non confirmatus diù non habiturus ſit occaſionem Sacramenti accipiendi. Tertiò quandò puer in periculo mortis exiſtens opportunè iſtud Sacramentum conſequi nequeat. Quartò quando in aliqua Diœceſi conſuetudo vigeat, ut pueri rationis uſu carentes confirmentur. Ità Layman. *lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. Filliucius *to.*1. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 36. & alii, quos dat, & ſequitur Diana *par.* 3. *tract.*4. *reſ.* 19. qui etiam ſubdit non eſſe peccatum mortale confirmare infantem antè ſeptennium ſinè aliqua juſta cauſa ex ſupradictis, & pro ſe citat Nugnium *in* 3. *par. quæſt.* 72. *art.* 8. *concluſ.*4. Vide ergò rationes ſaltem apud ipſum Dianam *loco cit.* quæ quidem mihi videntur concludentes, maximè quià ſecundum doctrinam D. Thomæ 3. *par. quæſt.* 72. *art.* 8. non eſt omnino neceſſarium expectare uſum rationis in ſuſcipiente, teſte Thoma de Chaves *in ſumm. ſac. ubi de confirmatione num.* 44. alios allegante.

1617 Inter. 10. Infans promotus ad Sacros ordines ante rationis uſum, teneturnè ſervare caſtitatem; vel poteſt ducere Uxorem?

Reſp. Paludanus *in* 4. *diſt.* 31. *q.*1. *art.* 1. D. Antoninus 3. *par. tit.* 1. *cap.* 8. *concl.*2. Rebellius, Ledeſma,& alii dicunt, quòd caſtitas Ordini Sacro acceſſoria ſit, ac proindè infans ordinem Sacrum recipiens, ad caſtitatem teneatur. Verùm oppoſitum eſt probabilius; Ideòque dicendum cum Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.*30.*n.*3. Henriquez, Rodriquez, Filiucio, & aliis, non teneri ad ſervandam caſtitatem, & poſſe validè, ac licitè matrimonium contrahere poſtquam pervenit ad rationis uſum, modò tamen non ratificavit votum liberè, & ſpontè dicto, vel facto; undè danda eſt ei optio, an velit in ordine ſuſcepto permanere, vel non. Ratio hujus reſponſionis eſt, quia dictus infans, nec ex voto ad caſtitatem tenetur; non ex voto, quia votum liberum conſenſum requirit; non ex lege, quia nullus lege Divina ad caſtitatem tenetur, & Eccleſia, quæ Juris Divini eſt imitatrix, nemini eam obligationem imponit. Vide Bonac. *de Matrim. diſ.*3. *pun.* 9. *num.* 14. & 15. ,& Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 12. *ver. ſed ad pleniorem*, qui hanc ſententiam docent, & plures concordantes referunt, & eſſe communiorem, atque veriorem aſſerit idem Diana ibidem. Nota verò, quod ſi perveniat ad ætatem diſcretionis, & doli, ac judicii perfecti ad rationem Ordinis Sacri, & ipſe Ordinem exerceat, tunc cum facto ipſo cenſeatur ratificaſſe votum, tenebitur ipſum obſervare, & præſertim in foro externo, cum non ſit credendum ipſum velle peccare, nam Eccleſia ſic illũ obligat, niſi probet ſe ex errore, ſeu ignorantia antececedente ſic operatũ fuiſſe,

TITU-

TITULUS CLXXIX.

De Querelis Subditorum Regularium.

Vide tit. de Apoſt. à Relig. tit. de Regul. &c. Inter. 54.

1618 INter. 1. Poſſuntnè licitè ſubditi ſuos accuſare Prælatos: & quetelæ contra Prælatos debentnè ſtatim admitti?

Reſp. Subditi ſuos Prælatos accuſare prohibentur, qui non affectione charitatis, ſed ſua pravitate vitam eorum diffamare, & reprehendere quærunt; ut habetur *ex cap. cum nonnulli 2. quæſt.* 7. & Gloſ. ibidem. Vide S. Thomam 2. 2. *quæſt. 68. art.* 1. *ad* 2. Rodericum *in compend. qq. Regul. reſol.* 40. *ſub num.*8. Nam quando Religioſi concordant contra ſuum Prælatum criminando illum apud Superiores non ſervato ordine correctionis Evangelicæ, aut ſuarum conſtitutionum, ſunt conjuratores, aut conſpiratores, cum illi præjudicent. Sylveſter *verb. præjudicium*: Quetelæ igitur contra Prælatos in actu, vel qui fuerunt, non debent ſtatim recipi: ſicut nec facilè debent admitti contra illos probationes, etiamſi videantur plenæ, quia Prælati multorum calumniis ſunt expoſiti; ſiquidem ſi volunt ſuo muneri ſatisfacere corrigendo, & puniendo, quæ correctione, & punitione digna ſunt, facillimè incurrunt in odium ſubditorum, licèt miſericordes eſſe ſtudeant, & quamvis citra condignum puniant ſubditos delinquẽtes; putant enim ſemper ſubditi ſe ultra condignum fuiſſe punitos ex odio, & paſſione Superioris. Colligitur *ex cap. non eſt Crudelis 23. quæſt. 5. & cap. qualiter 2. de accuſationibus*, & docent Rodriquez *de Regul. tom. 3. quæſt. 77. art.* 4. Peyrinus *in formulario littera P. cap. 16. numer.* 7. Lezana *tom. 1. par. 2. cap. 27. num.* 18. Undè contra Prælatos major ſæpè deſideratur probatio, quàm contra alios. Verùm quando clarè, & evidenter conſtat de culpa Prælati, vel quòd ſit malæ notę, & famæ, non militat præfata doctrina, ſicque ſervari non debet, ut ex diverſis juribus, & doctoribus ſatis probat idem Rodriquez *loco ſupra cit.* Et nota, quòd non omnes ſubditi, ſed criminoſi dumtaxat Prohibentur accuſare Prælatos, ut habetur *ex cap. Præſumunt 2. quæſt.* 7. Undè ſi Monachus accuſare vult Abbatem, eſt ei licitum, immò debet habere expenſas à Monaſterio pro lite, ut decernitut *in cap. ex parte de accuſat.* nec in tali caſu neceſſarius eſt Abbatis conſenſus. Gloſ. *in cap. cum Paſtoris 2. qu. 7. in princ.* & hoc quod dicitur de monachis, intelligendum eſt etiam de omnibus aliis Religioſis, prout docent conmmuniter Doctores. Vide Lezanam *tom. 2. verb. Accuſare num. 3. 4. & 9. & tom. 1. par. 1. cap. 9. ſub num.* 11.

1619 Inter. 2. Religioſi poſſuntne appellare à ſententia injuſta Superioris, & debentne appellari gradatim à Guardiano, vel Priore ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Sactiſſimum, vel Sacram Congregationem ejus vices habentẽ?

Reſp. Dico quando evidenter conſtat fieri notabilem injuriam Religioſis in fama, vita, & honore, vel propter exceſſus correctionis, vel punitionis, etiam aliàs Regularis, in ipſius ſubſtantia, modo, aut circumſtantiis, licitã eſt illis appellatio. Vide D. Thomam. 2. 2. *quæſt. 69. artic.* 3. Salonium *quæſt. cit. art.* 10. Em. Sà *verb. Religio num.* 55. & ibi Victorellum, Lezanam *par. 1. tom. 2. cap. 9. num. 4. & 7. & tom. 2. verb. appellatio num.* 4. in quibus locis aſſerit etiam licitè fieri poſſe appellationem ad Sedem Apoſtolicam, vel Sac. Congregationem ſine medio; idem docet Diana *par. 3. tra. 2. reſ.* 54. qui alios concordantes referunt. Verùm neceſſe eſt in appellatione cauſam gravaminis exprimere; quia ſolummodo admittitur appellatio cum modus exceditur; immò San-

chez *in Summ. tom. 2. lib. 6. cap. 8. nu.* 102. inquit, quòd ſubditus non poſſit appellare, niſi exceſſus Superioris maniſeſtus ſit; quia pax, & ſimplicitas, & obedientia Religioſorum hoc poſtulat. Unde ſi cauſa non aſſignatur, vel ea aſſignata frivola, aut injuſta viſa fuerit Judici, & aliis ad hoc conſiliariis adhibendis, nihil de illa curare debet Judex, quia talis appellatio nō ſuſpendit executionem ſententiæ. Vide Alderete *lib. 2. de diſciplina Relig. cap.* 28. *num.* 28. & Sanchez *loco cit. num.* 102. *& ſeqq.* à quibus plura haberi poſſunt ad intentum.

1620 Inter. 3. Poſſuntne Regulares exempti facere querelam contra ſuos Superiores, vel alios Religioſos corā Epiſcopo? vel ſaltèm ſupplicare Epiſcopum, aut Gubernatorem, ut vim eis illatam ab eorum Superiore tantùm tollant?

Reſp. Dico quod non, quia Judex eorum non eſt Epiſcopus, ſed Prælatus Regularis. Vide Lezanam *tom. 2. verb. Appellatio num.* 6. Tamen Rodericus *in compend. qq. Regul. reſ.* 10. *n.* 14. *& ſeqq.* ex aliis, quos ipſe ſequitur, putat licitum eſſe Religioſo in aliquo particulari caſu pro vi injuſta tollenda, & ad repellendam vim injuſtè illatam, caſu quo facile non ſit recurſus ad Superiorem Regularem, nec aliter repelli poſſit, recurrere ad Epiſcopum, vel Gubernatorem ad impetrandum, ſeù implorandum remediū contrà injuſtum gravamen ſibi illatū, non per modum appellationis, ſed ſolùm, ut intercedat, & moneat, ut deſiſtatur ab injuſto gravamine: Defenſio enim eſt de Jure naturali, quam nemini eſt deneganda, quod quidem mihi valdè probatur, licèt oppoſitum doceat Diana *par. 3. tr. 1. reſ. 53. in fine.*

TITULUS CLXXIX.

De Raptu Mulierum.

Vide tit. de Eccl. Immun. Inter. 32. tit. de Infam. Int. 2. tit. de Vol. Sac. Matr. Int. 5. 6. & 7.

1621 Inter. 1. Quid eſt raptus?

Reſp. Raptus ſpecies luxuriæ, eſt quando rapitur Mulier cauſa libidinis, ſivè mulier ſit ſoluta, ſivè conjugata, ſivè Virgo, DD. communiter.

1622 Inter. 2. Inter alias pœnas, quas incurrunt raptores Mulierum, liganturne aliqua cenſura, qua poſita, non poſſint abſolvi ſine ſpeciali facultate?

Reſp. Ultrà alias pœnas, incurrunt etiam excommunicationem; Ità habetur ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. tamen hæc excommunicatio nulli eſt reſervata, & ideò non eſt neceſſaria ſpecialis facultas. *Tolet. lib.* 1. *c.* 41. *n.* 4. Em. Sà *in Aphor. verb. Excommunicat. nulli reſerv. n.* 5.

1623 Inter. 3. Eſtne idem dicendum de dantibus conſilium, favorem, & auxilium ad raptum committendum?

Reſp. Maximè, quia ità decernitur in Trident. loco cit. & Tradunt DD. communiter, ſed ut dixi, dicta excommunicatio nemini eſt reſervata. Vide Tolet. *loco cit. & lib.* 5. *c.* 12. *n.* 2.

TITULUS CLXXXX.

De Regularibus, ſeù Religioſis.

Vide tit. de Apoſt. à Relig. tit. de Bul. Int. 1. tit. de Celeb. Miſſ. Int. 22. 24. & ad quæſ. 5. tit. de Circumſt. pec. Int. 6. 16. 17. 18. tit. de Concion. ad quæſ. 3. & 4. tit. de Confeſſar. ad quæſ. 2. tit. de Confeſſar. extr. Mon. Int. 3. tit. de Deſf. bon. temp. Int. 3. tit. de Defenſ. bon. Int. 1. tit. de Denunc. ad quæſ. tit. de Deſid. Int. 3. 4. tit. de Divor. Int. 9. 10. 11.

11. tit. de Eccl. Immun. Inter. 14. 15. 39. *tit. de Eleem. Int.* 13. *tit. de Epiſcopat. Int.* 6. 50. *tit. de Excom. ob Cler. percuſ. Int.* 1. 12. 20. 21. 23. 24. *tit. de Furt. Int.* 8. *tit. de Gabel. Int.* 4. 5. *tit. de Hor. Can. &c. Int.* 3. 8, 9. 10. *tit. de Jejun. Int.* 28. *tit. de Impot. coeun. Int. ult. tit. de Infirm. ad quæſ. tit. de Illegit. ad quæſ.* 1. *tit. de Irreg. Inter.* 16. *& ad quæſ.* 2. *tit. de largit. Mun. Int.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. *tit. de Lud. Int.* 2. 3. *tit. de Monial. Int. ult. tit. de Negot. Cler. & Relig. Int.* 4. 6. 8. 9. *tit. de Novit. tit. de Oblat. fid. Int. ult. tit. de Ora.. priv. Int.* 3. 9. 10. *tit. de Paroch. Int.* 16. *tit. de Peccat. Int. ult. tit de Pecmor. Int.* 3. *tit. de Præl. Regul. Int.* 1. 7. 16. 19. 23. 24. 25. 27. 28. 32. *tit. de Privil. Can. &c. ad quæſ.* 1. *tit. de Quer. Subd. Reg. tit. de Sacr. Matr. Int. ult. tit. de Sacril. Int.* 6. *tit. de Teſtam. Relig. tit. de Val. Conf. Int.* 16, 18. 20. *tit. de Verb. cum Monial. Int.* 1. *tit. de Vic. Cap. Int. ult. tit. de Viſit. Int.* 1.

1624 INter. 1. Si in aliquo Monaſterio ſit tantum Superior; & alius Religioſus Sacerdos, & ſe invicem percuſſerint, poſſuntne ſe invicem abſolvere?

Reſp. Eſt quidem pulchra quæſtio inter DD. ut videre licet apud Dianã. *par.* 9. *tr.* 4. *reſ.* 52. ſed omiſſis aliorũ dictis, dicendum eſt poſſe ſe invicem abſolvere, modo non ſit alius à quo abſolvi queant, & urgeat præceptum v. g. celebrandi, quia licèt excommunicatus majori excommunicatione non poſſit abſolvere, tamen in caſu neceſſitatis, prout in præſenti, cum neceſſitas lege careat, id facere poteſt. Ità ex Tabiena, Rodriquez, Miranda, Coriolano, Peyrino, & aliis, docet Lezana *tom.* 2. *verb. Clericus ſub n.* 17. Itàque poteſt Superior dare facultatẽ Subdito, ut ſe ipſum abſolvat, & viceverſa poteſt Superior abſolutus, ſuum ſubditum abſolvere, quia is cenſetur caſus neceſſitatis, in quo lex ſervari non poteſt; Tamen, ut vitetur incurſus irregularitatis, non debet primò abſolvens ſacramentaliter abſolvere, ſcilicet à peccatis, ſed tantum ab excommunicatione præcisè, qua ſublata debet deinde abſolutus primum ab utriſque abſolvere, hoc eſt à cenſura, & à peccatis, quia irregularitas nõ incurritur ab excommunicato, niſi quãdo exercet actum Ordinis Sacri, non autem ſi exerceat actum juriſdictionis in caſu noſtro. Ità fortioribus terminis probat Bordon. *in Conſ. Regul. tom.* 1. *reſ.* 28. *num.* 57. & huic ſententiæ adhæret Diana *loc. cit.* & alii ab ipſo relati; Vide Portellum *in Reſp. caſ. moral. par.* 2 *caſ.* 30. apud Lezanam *ubi ſup.*

1625 Inter. 2. Confeſſarius alicujus Religionis, poteſtne abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis illum, qui de proximo vult ingredi ejus Religionem?

Reſp. Affirmat Bartolomæus de Vecchis *in prax. Novitior. diſp.* 4. *dub.* 7. *num.* 5. apud Dianam *parte* 3. *tr.* 2. *reſ.* 46. neque hoc eſſe contra Decreta Summorum Pontificum, in quibus prohibetur Regularibus abſolvere vi privilegiorum pœnitentes à caſibus Epiſcopis reſervatis, quia præfata Decreta loquuntur de Confeſſariis, qui audiunt Confeſſiones Sæcularium, ſed qui ſtatim Religionem ſunt ingreſſuri, non debent comprehendi inter Sæculares, ergò &c. Imò teſtatur idem Auctor conſuluiſſe ſuper hoc ſui Ordinis Procuratorem Generalem, qui poſtea fuit ad dignitatem Cardinalitiam aſſumptus, & reſpondit de mente Clemen. VIII. ſupradictos Novitios, ſeù Religioſos in fieri abſolvi poſſe à caſibus reſervatis, eo modo, quo abſolvi poterant priuſquam ejuſdem Clementis VIII. decretum de anno 1602. emanatum fuiſſet. Vide Dianam *loco citat. & par.* 11. *tract.* 4. *reſ.* 16. *verſ. Nota hic*, & Lezanam *to.* 1. *par.* 1. *cap.* 24. *num.* 7. 8. *&* 9. *& to.* 2. *verb. Novitii num.* 36. ac etiam *in titulo* 151. *de Novitiis, ad Interrogationem* 2.

1626 Inter. 3. Si aliquis Subditus

Epiſcopi commiſerit aliquod peccatum ab eodem reſervatum in Monaſteriis Regularium exemptis, poteſtne à quolibet Confeſſario abſolvi?

Reſp. Affirmat Baucius *in Miſcel. Caſ. conſc. tom.* 2. *Opuſcul.* 3. *qu.* 264. cui adhæret Diana *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 7. Sed an hæc opinio ſit probabilis, judicent viri docti, ipſe certò ad praxim eam dedecere non auderem, quia, etſi caſuum reſervatio facta in Diœceſana Synodo ſit per modum ſtatuti, tamen non ſequitur ex hoc, quòd peccatum reſervatum in Monaſterio Regularium commiſſum, non ſit reſervavatum, & per conſequens à quocunque ſimplici Confeſſario abſolubile, nã peccati reſervatiò, non ſolùm eſt pœna delinquentis, ſed etiam eſt limitatio juriſdictionis abſolventis, cum directè impediat Confeſſarium, ne illum abſolvat; Sed nunc pro hujus rei intelligentia ſupponamus, quòd in Diœceſi, ubi Confeſſarius moratur, percuſſio Parentum ſit caſus reſervatus, non tamen in Diœceſi pœnitentis, tamen nulli dubium eſt, non poſſe Confeſſarium hujuſmodi pœnitentem abſolvere ex defectu juriſdictionis, quam non habet in reſervata, ità à pari dicendum eſt de peccato reſervato commiſſo in Monaſterio Regularium intrà Diœceſim Epiſcopi reſervantis, & ratio eſt, quia caſuum reſervatio nihil aliud eſt, quàm quædam prohibitio facta Confeſſariis reſervanti ſubjectis, ne illos abſolvant; Undè liquidè patet perpetrantem peccatum reſervatum in Monaſterio Regularium, non poſſe abſolvi à quolibet approbato Confeſſario carente poteſtate ſuper reſervatis, ut docuit Baucius, & ex eo Diana *loco cit.* & conſequenter adhùc ſub poteſtate reſerũantis comprehendi, & hãnc ſententiam, ut probabiliorem confirmat Facundez apud Dianam *par.* 1. *tr.* 10. *reſ.* 14. *propè fin.*

1627 Inter. 4. Si Confeſſarius Regularis petat à ſuo Superiore facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis aliquem Religioſum, & Superior neget, poteſtne hoc non obſtante Confeſſarius talem Pœnitentem abſolvere?

Reſp. Clemens VIII. in ſuo Decreto ſuper caſuum reſervatione declaravit, & declarat, ut ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicujus reſervati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, abſolvere. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *num.* 29. & Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſol.* 126. qui etiam addit, quòd ſi Confeſſarius petat licentiam à Superiore Regularium abſolvendi à reſervatis aliquem Religioſum particularem, poſſit etiam illum abſolvere à reſervatis commiſſis poſt licentiam obtentam pro prima vice, ſecùs ſi talis licentia fuerit à Pœnitente obtenta, & pro hac ſententia citat Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 12. *numero.* 9. Leonem, & Floronum. Sed Vide ipſum Dianam *par.* 6. *tract.* 6. *reſolutione* 59. ubi plura congerit ad intentum.

1628 Inter. 5. Quid facere debet Religioſus, qui pluries cadit in aliquem caſum reſervatum, ſi Confeſſarius ipſius petat facultatem à Superiore, & Superior concedere recuſat? poteſtne Miſſam celebrare, vel communicare ſi neceſſitas urget?

Reſp. Si talis Religioſus non poteſt ſine nota infamiæ Miſſam, vel Communionem omittere, vel cogitur celebrare, vel communicare, debet inſtruere Confeſſionem apud inferiorem Confeſſarium, à quo poterit abſolvi indirectè à non reſervatis, ut ſæpè me dixiſſe memini, cum onere tamen confitẽdi peccatũ reſervatum cuicunque habuerit auctoritatem illud abſolvendi directè. Sed hoc eſt intelligendum in caſu, quòd Religioſus prudenter timeat aliquod grave

dam-

damnum ei eventurum, ſi ſuo Prælato confiteretur, puta fractionem Sigilli, infamiam apud alios, aut aliud hujuſmodi; nam ſi ſolùm nollet confiteri ſuum peccatum Superiori propter ruborem, verecundiam, vel quia non habebit bonam opinionem de ipſo, non excuſatur à præcepto divino integrè confitendi, cum hujuſmodi difficultates non ſint ſufficientes ad deobligandum aliquem à præcepto divino integræ Confeſſionis; Vide quæ dixi ſupra *in tit.*44. *de Confeſ. Sacram. ad Int.*7. Sylveſt. *verb.Confeſſor* 1.*n.*6. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 12. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *ſub num.*29. & Victoria *in Sum. tit. de Confeſſione num.* 163.

1629 Inter. 6. Religioſus furans aliquid notabile ad uſum alicujus Fratris particularis pertinens, incurritne in caſum reſervatū in Decr. Clem. VIII. aut ſaltèm poteſtne Superior reſervare illud furtum quatenus eſt peccatum proprietatis?

Reſp. Dico primò, quòd aliqui probabiliter putant, dictum Religioſum non incurrere in caſum reſervatum; quia Clem. VIII. conceſſit tantùm Superioribus Religioſorum reſervationem furti de rebus Monaſterii, & Conventus, ergò non debet fieri extenſio ad res ad uſum Fratris particularis pertinentes; tamen hoc non obſtante, puto non eſſe recedendum ab affirmativa ſententia, præſertim quia Coriolanus *de caſ. reſ. par.* 3. *caſ.* 8. *dub.* 5. *num.* 13. apud Dianam *par.* 1. *tr.* 6. *reſ.* 44. ex Sorbo, teſtatur ità declaraſſe ipſummet Clementem VIII. de hac re conſultum, quamvis idem Diana dicat, poſſet quis reſpondere de dicta declaratione non conſtare autenticè. Dico ſecundò, quòd licèt Ledeſma penès Dianam *ubi ſupra reſol.* 45. putet eſſe probabile, non poſſe Superiorem reſervare tale furtum particulare, etiam quatenus eſt peccatum proprietatis, nihilominus verius oppoſitum cenſeo; quia ſub nomine proprietatis, non intelligitur tantùm largitio alicujus rei magni valoris, quā faceret Religioſus, tanquam Dominus, & ſine licentia Superioris, ut vult ipſe Ledeſma: ſed intelligitur omnis proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale; nam lex indiſtinctè loquens complectitur omnem caſum, maximè cum non adſit major ratio in uno, quàm in altero, ut habetur *ex leg.* 1. §. *Indeffinitum ff. de lege præſtanda.* Undè rectè ibidem inquit Diana, quòd ſecundùm mentem ſupradicti Auctoris dictum eſſe velit, non poſſe Superiorem in tali caſu reſervare tale furtum, &c.

1630 Inter. 7. Si Sacerdos Regularis applicat Miſſam contra mentem Superioris, valetnè talis applicatio, vel peccat ſic faciendo?

Reſp. Quod peccet contra votum Obedientiæ non eſt dubium apud Doctores; an verò applicatio valeat, eſt diſſenſio, ut videre licet apud Dian. *par.* 2. *tract.* 4. *reſ.* 72. Utraque ſententia eſt probabilis, ſed magis communis eſt illa, quæ docet valere, quià Chriſtus Dominus liberum actum celebrationis, & conſecrationis inſtituit, ut tota applicatio pendeat ex Sacerdotis intentione. Alloz. *in Sum. verb. Miſſ. ſect.* 1. *n.*34. & 35.; Et quidem prævalere applicatione ſubditi, efficaciter oſtendit Paſqualig. *de Sacrific. Miſſ. q.* 83. *ubi allegat* 28. DD. idem ſentientes; licèt oppoſitum probabile putat Diana, & alii.

1631 Inter. 8. Epiſcopus prohibet Regularibus ne ſinant celebrare Sacerdotes in eorum Eccleſijs ſine veſte talari, tenentur nè Regulares ei obedire?

Reſp. Certò obedire tenentur, nam licèt Ordinarii locorum non poſſint prohibere Regularibus peregrinis, ne celebrent ſine eorum licentia in Eccleſiis eorum Ordinum, ut declaravit Sac. Congregatio anno 1626. *die* 27. *Julii*, tamèn poſſunt prohibere Regularibus, ne in eorū Eccleſiis Sacerdotes Sæcu-

lares

lares exteros ad divina officia celebranda admittant, niſi priùs ab ipſis viſis litteris commendatitiis, ipſi Sacerdotes admiſſi fuerint, ex declaratione Sac. Congregationis. Vide Lezanam *tom.2. verb. Epiſcopus quoad Regulares num.*20. Immò non poſſunt Regulares in ſuis Eccleſiis ad celebrandum admittere Presbyteros Sæculares contrà prohibitionē Epiſcopi, ut ex alia Sac. Congregationis declaratione *die 2.Julii* 1621. conſtat. Teſte Angelo à Lantuſca *in Theat.* Regul. verb. declaratio num.1. & hic Romæ extat edictum Em. Card. Vicarii de mandato Clem. Papæ IX. editum *die 29. Junii 1667.*, & aliud de mandato Innocentii Papæ Duodecimi feliciſſimæ recordationis, editum die vigeſima Novembris *anno 1691.* quibus præcipitur, ut nullus ad celebrandum admittatur, niſi præter tonſuram, deferat etiam veſtes talares, & ità in omnibus Eccleſiis adamuſſim obſervatur, & rectè quidem, nam Sacerdos in celebratione Miſſæ debet eſſe indutus veſtibus ſibi convenientibus, quarum exterior, ſaltem talum pedis attingat, ut habetur ex Rubrica Miſſalis *verb. Ritus ſervandus in celebratione Miſſæ ſub nu.*2. Et notandum eſt, quòd omnis conſuetudo contraria Rubricis Miſſalis declaratur abuſus à Sac. Rit. Congregatione, cujus decretum habetur in principio Miſſalis, teſte Nicolio *in floſculis verb. conſuetudo num.* 10. ſed vide etiam Barb. *in Collect. Doctorum in Trident. ſeſſ. 23. de Reform. cap. 16. num.9. & 10.*

1632 Inter. 9. Si Epiſcopus vult in Eccleſia Regularium ſuæ Diœceſis ſolemnes Benedictiones, & officia divina celebrare, poteſt nè ab ipſis Regularibus impediri?

Reſp. Minimè eū impedire queunt. Ità Doctores, quos dat, & ſequitur Lezana *tom. 3. verb. Epiſcopus quoad Regul. num.*22. Immò declaratum eſſe dicit a Sac. Congregatione in una Fanenſi *die 11. Aprilis anno* 1601. poſſe Epiſcopum in die Palmarum, (dummodò ipſe perſonalitèr accedat unà cum Capitulo, & Clero) benedicere Palmas in Eccleſia Regularium, etiam privativè quoad Abbates: Item poſſe in eorum Eccleſijs cantari facere Miſſas Rogationum per ſuos Canonicos, ut declaravit eadem Sac.Congregatio in una Firmana 25. Januar. 1603. Vide Novarium *in Lucerna Regul.verb.Epiſcopus quoad Regulares num.*1., & 40., & Dianam *par.3. tract.6. reſ. 36. verſ. Ad illud verò.*

1633 Inter. 10. Poſſuntnè Religioſi aſſiſtere Comediis ſine peccato mortali?

Reſp. Si comediæ res laſcivas, turpes, aut impudicas continent, vix poſſunt excuſari Religioſi à mortali, tum ratione ſcandali, tum ratione periculi lapſus. Si verò in ipſis comediis repreſentantur hiſtoriæ Divinæ, vel humanæ, aut etiam fabulæ, & figmenta Poetarum, ſine rebus turpibus, & inhoneſtis, ſecluſis aliis circumſtantiis, ſcilicet ſcandali, periculo peccandi, vel alicujus prohibitionis, nullum eſſe peccatum affirmat Lezan. *tom. 1. par. 1. c. 10. num. 7.* ex D. Thom. 2. 2. *quæſt. 168. ar. 3. ad 3.*

1634 Inter. 11. Regulares poſſunt nè prædicare ſine licentia, & benedictione Epiſcopi?

Reſp. Regulares in Eccleſiis, quæ ſui Ordinis non ſunt, ſine licentia Ordinarii prædicare minimè poſſunt; In Eccleſiis verò ſui Ordinis prædicare poſſunt, ſed petere tenentur Epiſcopi benedictionem: Ità habetur ex Trid. *ſeſſ.5. cap.2. & ſeſſ.24. cap.4. de reform.* decernitur etiam, quòd nullus, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat: Imò ſi prædicaverint in alienis Eccleſiis ſine tali licentia, & in propriis ſine benedictione petita, poſſunt Epiſcopi contrà eos pœnis, & Eccleſiaſticis cenſuris procedere, & eos toties, quoties opus fuerit, punire; Vide *Conſt.2. Gregor.XV.* quæ incipit. *Inſcrutabili*, data nonis Februarii 1622. §.8. Dianam *in ſum. verb. Regularium privil. nu.*1., &

præ-

præſertim Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 20. *nu.* 3., & iterum Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 11. Vide infrà ad Inter. 44. hujus tituli.

1635 Inter. 12. Poteſt nè Epiſcopus benedictionem negare Regularibus in propriis Eccleſiis prædicare volentibus, & quid ſi licentiam neget?

Reſp. Plures Doctores apud Lezanam *loco proximè cit. ſub num.* 3. dicunt quod non, & dato quòd licentiam neget, adhùc Regulares poſſint in ſuis Eccleſiis prædicare, & ratio eſt quia Tridentinum dumtaxat mandat, ut petant benedictionem, nec dicit, quod obtineant; Benedictio autem jure petita, ſi injuſtè denegetur, videtur jure conceſſa, & ità cenſuiſſe Sac. Congregationem teſtantur Henriquez *lib.* 6. *de pænit. cap.* 13. *num.* 4. Peyrinus *de ſubdito tom.* 1. *q.* 1. *de obed. cap.* 22. Gavantus *in man. Epiſ. n.* 35. *& ſeq.* Barboſa *in Collect. Bullarii verb. Prædicare*, & *Prædicatio*, & in Collect. DD. in Triden. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 4. *num.* 23. *& alii*. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Concionari, &c. ſub num.* 7. & Dianam *par.* 11. *tr.* 2. *reſ.* 1. Vide etiam in hoc titulo ad Inter. 44.

1636 Inter. 13 Si Regulares non poſſunt prædicare invitis, & contradicentibus Epiſcopis, ut habetur in Triden. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. quomodo ergo poſſunt prædicare non obtenta ab ipſo benedictione?

Reſp. Dico, hoc intelligendum eſſe, ſi Epiſcopus non prohibuerit, in quo caſu Clem. X. infrà *in præſenti titulo in Reſponſione ad Inter*, 44. referendus (ſed prius Triden. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4.) clarum exprimit non licere. Videatur infrà verba Clem. X. Ad dictam *Int.* 44.

1637 Inter. 14. Eſtne petenda à Regularibus Epiſcopi Benedictio, dumtaxat in Quadrageſima, & Adventu, vel etiam tempore infrà annum, toties, quoties volunt in eorum Eccleſiis concionem habere?

Reſp. Gavantus *in Man. Epiſcop. verb. Sacra num.* 16. docet Sac. Cong. declaraſſe, quòd doctrina tradita de petenda benedictione ab Epiſcopo, intelligatur etiam de prædicationibus extrà Adventum, & Quadrageſimam; Et id etiam præcipit Clem. X. infrà in Reſponſione ad Inter. 44. hujus tituli referendus. Vide Dianam *par.* 7. *tr.* 12. *reſ.* 24. Sed notat etiam ipſe Auctor *in verb. Regularium jura ſub Epiſ. nu.* 36. ex alia Sac. Congregationis declaratione, quòd non debeat denegari benedictio pro concione ſine cauſa. Vide Lezanam *loco proximè cit. ſub n.* 7. *circà finem*.

1638 Inter. 15. Epiſc. poteſt nè in Eccleſiis Regularium exemptorum ipſis invitis prædicare?

Reſp. Eſt diſſentio inter DD. quia actus videtur honoris, non verò juriſdictionis, ut eſt Chriſmare, Ordinare, Confirmare, degradare, &c. Peyrinus *tom.* 1. *Privil. Minim. in Conſt.* 26. *Leonis X.* §. 24. *num.* 46. Tambur. *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *num.* 4. Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 109. Lezana *tom.* 3. *verb. Baldachinum ſub n.* 4. & alii tenent nō poſſe ibi prædicare contra voluntatem Prælatorum earum Eccleſiarum, quià exemptis non præjudicatur in ſuo privilegio, niſi quatenùs exprimitur, ut docet Cardinalis *in Clem. Archiepiſcopo* §. *ſi tamen n.* 2. *&* 3. Oppoſitum tamèn eſt dicendum, nempè poſſe Epiſcopum prædicare in quacunque Eccleſia etiam Regulari ſuæ Diœceſis, nec ab ullo poſſe prohiberi, & ità deciſum fuiſſe à Sac. Cōgregatione Epiſ. & Regul. teſtatur Gavantus *in Man. Epiſc. verb. Concio Sac. nu.* 1. Barb. *in Collect. Bullar. verb. Prædicare*, nec diſſentit Lezana *loco cit.* Vide Barb. *in Collect. ad Triden. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 4. *n.* 3. idem docentem.

1639 Inter. 16. Quomodo, & à quo puniri debet Regularis excipiens Cōfeſſiones ſine Epiſcopi approbatione?

Reſp. De hoc dubio interrogata Sacra Cardinalium Congregatio Concilii, ſcilicet qua pœna, & à quo ſit puniendus Sacerdos Regularis, qui abſque

ſque prævia Archiepiſcopi, ſeù Epiſcopi approbatione confeſſiones perſonarum ſæcularium audit? Sacra Congregatio die 14. Aprilis 1646. ſic reſpondit: Puniendum eſſe ab eodem Archiepiſcopo, ſeù Epiſcopo pœnis, etiam cenſurarum. Ita teſtatur Diana. *par.9. tr.9. reſ.36. verſ. ſed ſi aliquis.* Sed vide etiam Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *num.* 41. ubi docet, hujuſmodi crimen eſſe depoſitione dignum ex *cap. Placuit diſt.6.* Verum nunc apud Fagnanũ *cap. Inuitaris num.* 340. *verſ. his demũ adjicimus de Conſtit.* Invenio Decr. SS. Inquiſit. 30. *Januarii* 1659. ab Alex. VII. approbatum, propoſitione prima expreſsè ferens cenſurã inductionis in hæreſim circa illam opinionem aſſerentem, Concil. Trident. non obligare in Gallia Regulares ad obtinẽdas approbationes ab Epiſcopis, ad audiendas ſæcularium cõfeſſiones: Quod Decretum magis militat pro Regularibus extra Galliam, cum ubique ſint immediatè ſubiecti Sedi Apoſtolicæ, & conſtat etiam ex aliis Pontificum Bullis, omnes ubique Regulares obligantibus; Quarè Regulares audientes confeſſiones in alia Diœceſi ab ea, in qua fuerunt approbati, ſunt quidem de hæreſi ſuſpecti, & meritò ab Inquiſitoribus punirentur, & hoc idem advertit Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Meus DANDINUS *de ſuſp. de hæreſ, cap.* 3. *ſect.* 1. *ſubſec.* 1. *num.* 25. Prælatus quidem, non ſolùm nobilitate, ſed etiam moribus, Doctrinaque præſtantiſſimus, cujus præſtantiam ſatis prædicabilem ejus mirificum reddit Opus.

1640 Inter. 17. Poteſtnè licitè Epiſcopus denegare approbationem, & licentiam audiendi Confeſſiones Regularibus, ex eo quia in loco, aut Diœceſi plures adſint Confeſſarii?

Reſp. Mendo *Epit. opin. moral. verb. Confeſſio ſub n.*25. dicit, quod non, & idem tenent alii plures penes Dianam *loco mox citando*, tamen probabilius aſſerit Diana *par.*11. *tr.* 8. *reſ.* 27. *verſ. Sed quid dicendum, uſque ad finem*, teneri Regulares obedire: Vide Auſ onium *in ſum. Diana verb. Regulares num.*38. Puto tamen, peccare Epiſcopum, (maximè ſi nullam aliam cauſam juſtam habeat) nolentem approbare, aut admittere ad examen Regulares ea tantum de cauſa. Vide Vaſquez *in* 3. *par. tom.*4. *q.* 93. *art.*3. *dub.*5. *n.*5. Card. de Lugo *de pœnit. diſp.*21. *ſect.* 3. *num.* 54. Dicaſtillum *de Sac. tom.*2. *tr.*8. *diſp.*10. *dub.*10. *n.*298. Laurentium Longum *in Tabul. Sacram. par.* 2. *cap.* 58. *num.*7. & Pellizarium *in Man. Regul. tom.* 2. *tr.* 8. *cap.*3. *ſect.* 2. *ſub ſect.* 1. *num.*25.

1641 Inter. 18. Epiſcopus poteſtne tradere licentiam Regularibus cum limitatione, ſc licèt prohibendo ne Cõfeſſiones excipiant renuente Parocho?

Reſp. Minimè, & ratio eſt evidens, quia Regulares ab Ordinario approbati poſſunt quidem Confeſſiones Sæcularium audire, abſque Parochi aſſenſu, ex vi Privilegiorum à ſummis Pontificibus conceſſorum Fratribus Ordin. Minorum, & extenduntur ad cæteros Regulares per communicationem cum eis in privilegiis, & ſic non valet Epiſcopus privilegia Regularibus conceſſa tollere, aut limitare, conſequentèr nec illis id prohibere, ut docent Barboſ. *de Officio Parochi par.*2. *cap.* 19. *num.* 23. Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 128. & alii penes ipſos; ſed hoc intellige in propriis Eccleſiis. Vide infra in hoc titulo *ad Inter.* 24.

1642 Inter. 19. Si Epiſcopus ſine juſta cauſa non admittit Sacerdotem Regularem ad Confeſſiones audiendas, poteſtne hoc non obſtante talis Sacerdos Confeſſiones excipere?

Reſp. Pro utraque parte erant opiniones Doctorum, ut videre licet apud Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 22. & 24. tamen dico, quod licèt peccet mortaliter Epiſcopus ſi ex odio, & paſſione non approbat Regularem idoneum, non per hoc poteſt validè, aut licitè Confeſſiones audire, nam non ſatisfacit

cle præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato, & oppoſitum, ut minimum, tanquam ſcandaloſum, fuit reprobatum ab Alexandro VII. in ſuo Decreto emanato anno 1665. & eſt 13. propoſitio ibi reprobata; Sed vide Fagn. *in c. omnis, de pænit. & remis. num.* 51. pro hac noſtra ſententia, & Dianam *par. 6. tr. 7. reſ.* 60. & *par.* 11. *tr.* 4. *reſ.* 14.

1643 Inter. 20. Religioſus, qui fuit ſemel generaliter approbatus ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones, ſi recedit à Diœceſi, & poſtea redit, teneturne novā quærere approbationē?

Reſp. Non tenetur novam quærere approbationem, & licentiam audiendi confeſſiones, & hoc procedit etiamſi interim mutatus fuerit Epiſcopus in illa Diœceſi, in qua Religioſus jam fuit generaliter approbatus. Ita ex Nugno, Henriquez, Zerola, Facundez, & Barthol. à S. Fauſto firmat Barb. *in Collect. DD. in Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *num.* 39. Sed vide quod dicam *infra hoc tit. ad Inter.* 43.

1644 Inter. 21. Regularis ad Confeſſiones audiendas ab Epiſcopo admiſſus ſimpliciter, & ſine ulla temporis præfinitione, poteſtne ab eodem Epiſcopo reprobari, vel ab audiendis confeſſionibus ſuſpendi?

Reſp. Non poteſt Epiſcopus id facere ſine nova cauſa, eaq; ad confeſſiones ipſas concernente, aut ob non ſervatum Interdictum ab ordinario poſitum, & ità determinatum eſſe à Sacra Congregatione teſtātur plurimi, quos refert, & ſequitur Lezana *tom. 1. par.* 1. *cap.* 19. *num.* 9. & concordant alii plures apud Barboſā loco in præcedente Reſpon. allegato *num.* 45. Verùm eſt tamen, quod an eadem cauſa ſubſit, necne, Epiſ. nō tenetur ipſis Regularibus edicere, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi apetiri poſtulaverit. Sed vide Barboſ. *loc. cit.* & Conſt. Clem. X. quæ incip. *Superna*.

1645 Inter. 22. Epiſcopus Valetne Regul. à cōfeſſionibus audiēdis repellere, ſi cū ſcādalo, & inhoneſtè vivant?

Reſp. De hoc minimè eſt dubitandum, nam ità declaratum fuiſſe à Sacra Congregatione refert Aldanus *in Compend. Canon. reſol. lib.* 1. *tit.* 13. *num.* 4. *in una Oriolen.* 30. *Aug.* 1630. Ideoque integrum eſt Epiſcopo ſuſpēdere, aut repellere Regularem, ſi cum ſcandalo, aut inhoneſtè vivat, vel aliquod delictum committat, propter quod rationabili ipſius Epiſcopi judicio, in quo ipſius tantum conſcientia onerata erit, videtur à confeſſionibus audiendis illum ſuſpendere. Vide Barboſ. *in Collect. DD. in Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *num.* 49. patet etiam ex Conſt. Clem. X. citata.

1646. Inter. 23. Poteſtne Epiſcopus adimere facultatem audiendi confeſſiones omnibus ſimul unius Conventus Regularibus confeſſariis?

Reſp. Non poſſe Sacr. Congregatione inconſulta id facere, docet Aldanus *in Comp. Canon. reſ. lib.* 1. *tit.* 13. *num.* 5. atteſtans eamdem Sacr. Congr. ità cenſuiſſe *ſub die* 20. *Novēb.* 1615. & hoc Decretum ejuſdem Sac. Congregationis refert per extenſum Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *ſub n.* 9. & latè ſcribit de tali dubio *tom.* 4. *conſul.* 50. *per totum*. Et id docet etiam Gavantus *in Mant. Epiſc. verb. Confeſſ. num.* 24. & habetur expreſsè in dicta Cōſtitutione Clem. X. Qui Auctor etiam ſubdit hæc pręciſa verba; Unde ſi contrà hoc Decretum, Confeſſarii Regulares ſuſpendantur ab audiendis confeſſionibus, puto quòd nō tenentur obedire, cum excedant in tali caſu Ordinarii limites Auctoritatis, quā habent. Sed dico obediendum eſſe, & recurrendum ad Sedem Apoſtolicā.

1647 Inter. 24. Epiſcopus poteſtne prohibere Regularibus, nē audiant confeſſiones infirmorum in eorum domibus ſine licentia Parochi?

Reſp. Dico quòd non, modò Regulares fuerint ab eodem Epiſcopo approbati ad audiendas confeſſiones Sæ-

cularium, ſed dumtaxat ipſi Confeſſarii tenentur relinquere fidem, ſeu ſchedulam apud Infirmum, vel ipſius conſanguineos, qua teſtatur infirmum confeſſum fuiſſe, nec tenentur ullo modo petere licentiam à Parocho. Vide Lezanam *tom.3.verb. Epiſcopus quoad Regul.ſub num.* 8. qui ſic à Sacra Congregatione deciſum fuiſſe teſtatur,& ità decrevit idem Clem.X.Vide ſuprà ad Int. 18.

1648 Inter. 25. Regulares poſſuntne excipere Confeſſiones famulorum actu inſervientium, & commorantiū in eorum Conventibus abſqueOrdinarii licentia, & approbatione?

Reſp. Nullus Sæcularium Confeſſiones audire poteſt, niſi ſit Parochus, aut approbatus ab Epiſcopo, vel Ordinario,ut patet ex Tridentin. *Seſſ.23. cap.* 15. Imò Urb. VIII. in Bulla, quę incipit *Cum ſicut accepimus tom.* 4.*Bullarii*, & eſt Bulla 92. revocavit omnia privilegia aliàs conceſſa quoad audiendas Confeſſiones ſęcularium perſonarum,ſine examine,& approbationeOrdinarii, Ergò non ſunt audiendi Bordonus *in conſ. Regul. tom.* 1. *reſ.* 34. *num.* 84. & *tom.* 2. *reſ.* 75. *num.* 4. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 2, *diſ.* 6. *quęſt.* 6. *num.* 4. Peyrinus *tom.* 1. *in cōſtitut.* 1. *Julii II. num.* 12. quos citat, ſed non ſequitur Diana *par.* 9. *tract.* 9. *reſ.* 36. Vide igitur DD. quos refert idem Dian. hanc noſtram ſententiam docentes, & etiam Em. Sà *verb. Confeſſor num.* 3. & 4. Lezan. *tom.* 1.*par.*1. *cap.* 19. *num.* 2. & alios apud ipſos.

1649 Inter. 26. Poſſuntne Confeſſarii Regulares commutare vota jurata, aut votum non contrahendi matrimonium, vel non ſe polluendi?

Reſp. Dico primo,vigore Conceſſionis Greg. XIII.factæ Patribus Jeſuitis, poſſe Confeſſarios Regulares cōmunicantes in privilegiis cum ipſis commutare vota jurata, modo tamen commutatio non fiat in præjudicium tertii.Ità Roderic. *in compend. qq. Reg. erſ.* 31. *num.* 31. Lezan. *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 19. *num.* 23. & Alloz. *verb. Vot. ſectione* 4. *num.* 26. & alii penes ipſos. Dico ſecundo cum Peyrin.*tom.*1. *de Subdito quæſt.* 1. *c.* 21. §. *verſ. Dico tertio*, quòd Confeſſarii Regulares poſſunt commutare vota non contrahendi matrimonium, non ſe polluendi, non petendi debitum conjugale, & cætera hujuſmodi, quoties in eis materia promiſſa deficit à natura materiæ reſervatæ,ut dixi ſup.*ad Inter rogat* 43. *tit.* 83. loquens de Epiſcopis, & pro hac ſententia ſunt etiam Sanch. *lib.* 4. *in decal. c.* 43. *num.* 7. & *c.* 54. *nu.* 18 Suarez *de Relig. tom.* 2. *tr.* 4. *de Voto lib.* 6. *c.*26. *num.* 17. Paſſarin.*de Stat. quæſt.* 187. *num.* 618. Sayrus *in Clavi Regia lib.* 6. *c.* 11. *dub* 17. *numer.* 95. ſed omninò vide quod dixi *in tit.* 42. *De Confeſſariis, ad Int.* 18.

1650 Inter. 27. Religioſi poſſuntne obligari ad peccatorum venialium confeſſionem?

Reſp. Sylv. *verb. Confeſſio num.* 14. dicit, quòd nec Papa poteſt obligare ad confeſſionem venialium, quia hoc eſſet mutare Sacramentum pœnitentiæ, idest materiam ejus de venialibus faciendo materiam pœnitentiæ neceſſariam, ergò multò minus obligare poteſt quicunque alius; idem docet Medina apud Em. Sà *verb. Confeſſio, num.* 12. *propè finem*, & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 125. Undè Clementina *ne in, agro de ſtatu Monachorum*, ubi præcipitur Religioſis S. Benedicti, ut ſemel in menſe confiteantur, putant probabiliter quidam non obligare ſub mortali, ſi habeant tantùm peccata venialia, quod tenet etiam Lezana *de qq. Regul. tom.* 1. *par.* 1. *c.* 9. *n.* 22. cum Henriquez,& Soto. Probabilius tamen eſt, poſſe Papam id præcipere fidelibus omnibus, aut aliquibus Religioſis. Ità Divus Thomas *in* 4. *diſtinct.* 3. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. Sanctus Bonaventura, Riccardus, Suarez, Vaſquez, Lugo, Azorius, Sylvius, & plures alii. Et probatur, nam talis actus eſt exterior, & honeſtus, & valdè

dè utilis profectui ſpirituali, nec ità difficilis, ut ſit lex intolerabilis; Cur ergò id non poſsit directè præcipi ab ab Eccleſia, ſolidum fundamentum non video: Siquidem ſic præcipere confeſsionem non eſt mutare materiam Sac. Pœnitentiariæ, aliam inſtituendo, ut ait Sylveſt. ſed tantùm ipſam materiam præcipere, quam Chriſtus Dominus liberam, & abſque præcepto reliquit. Et id de facto facit Eccleſia in conſecratione panis azimi. Clemen. autem *ne in agro*, præcipere etiam confeſsionem venialium, colligitur ex eo, quòd in ea non præcipiuntur Monachi confiteri omnia peccata, ſed quòd confiteantur, etiamſi non ſint mortalia, ac proinde ibi eſt ſermo etiam de venialibus; Oppoſitū tamen docet Diana *par.*5.*tr.*13.*reſ.*35. ſed mihi non probatur.

1651 Inter. 28. Tenenturne utriuſque ſexus Regulares ad ſolvendas decimas prædiales de bonis ab ipſis noviter acquiſitis?

Reſp. Non obſtantibus privilegiis, de quibus loquuntur Lezana *to.*2.*verb. Decimæ quoad Regulares*, præſertim *num.* 10. & 11. & *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 3. *num.* 15. & Diana *par.* 10. *tr.* 12. *reſolut.* 50. 51. & 52. & alii plures apud ipſos, Dicendum eos teneri, niſi obtinuerint à Sede Apoſtolica ſpeciale privilegium, eos expreſsè eximens, nam eis non ſuffragantur allegata privilegia, quia requiritur ſpeciale privilegium poſterius Sac. Concil. Trid. cum individua derogatione;& ità pluriès decidiſſe Sac. Congregationem teſtatur Nicolius, quem citat, & ſequitur Matthæuccius *in Offic. Cur. Reg. cap.* 14. *num.* 21. 22. & 23. Sacra enim Congregatio in una Civitatis Plebis, & in una Camerinen. apud eundem Auctorem, ſic declarat: Bona, & prædia, quæ dum à Laicis poſſidebantur, decimarum ſolutioni erant obnoxia, ad Regularium Monaſteria cum ſuo onere tranſire, ac propterea Regulares tenentur illas ſolvere, quemadmodum tenebantur Laici priuſquā bona ipſa in Monaſterium tranſtuliſſent, dictiſque Regularibus non ſuffragari allegata privilegia, ſed requiri ſpeciale privilegium poſterius Sacr. Conc. Trid., cum individua derogatione *cap. Nuper* 34. *de Decim.*, ubi expreſsè diſponitur decimas eſſe ſolvendas de prædiis, bonis, & terris, quæ per Religioſos de novo acquiruntur, & ea, vel propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, dum antea erant decimis obſtricta. Hactenus Matthæuccius. Et idem dicendum eſt de Monialibus, prout idem Auctor *num.* 23. ex alio Sac. Cong. Decreto reſolvit. Et tandem Nicolius *in Floſ. verb. Decimæ num.* 3. ſic habet: Ad decimas prædiales ſolvendas tenentur etiam Regulares, & Moniales poſſeſſores territoriorum, ex quibus antea ſolvi conſueverant. Sacr. Congr. Archiep. Salerni 8. *Octobris* 1617. Sed hoc intellige, dummodò non adſit coſuetudo legitimè præſcripta à quadraginta annis non ſolvendi illas.

1652 Inter. 29. Prædia donata, vel relicta à Benefactoribus Monaſteriis Regularium, ſuntne obnoxia ſolutioni decimarum, quę ſpectant ad Parochos?

Reſp. Dico quòd ſic; nam tranſeunt cum onere ſuo; undè Regulares tenentur ex talibus prædiis decimas ſolvere Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, quemadmodum tenebantur Laici priuſquam bona ipſa in Monaſterii proprietatem tranſiverint, & ità pluries decidiſſe Sac. Congregationem refert Aldanus *in Compen. Canonicarum reſ. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 25. Immò teſtatur reſolutum fuiſſe à Sac. Congregatione, quòd Parochus manutenendus ſit in poſſeſſione exigendi decimas, ratione prædiorum acquiſitorum per Regulares, donec doceant de ſufficienti privilegio. Vide Barb. *in Collectanea ad Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *num.* 3. & ea quæ dixi *ad Inter. antecedentem*. Et nota id, quod docet Emm.

Digitized by Google

Sà *verb. Decimæ num.* 3. ubi ſic inquit: *Si de prædio dotetur Eccleſia, non ideò liberatur ab obligatione ſolvendi decimas, quas ſolvebat alteri Eccleſiæ*: & hoc etiam puto verum; licèt dicta prædia fuerint à Sac. Congregatione aſsignata alicui Conventui in prima erectione, ut competenter Religioſi ſuſtentari valeant ad præſcriptum decreti fel. record. Greg. XV. & Urbani VIII. de hac re editi. Et ratio mihi eſt, quia Papa non præſumitur concedere exorbitantia, nec velle derogare Juri, aut præjudicare alicui, niſi exprimat, ut docet idem Sà *verb. gratia num.* 12. & alii plures. Vide Bonde *Præcept. Eccl. diſp. ult. quæſt.* 5. *pu.* 3. *num.* 7. nam ibidem *num.* 6. dicit, quòd etiam Papa tenetur, niſi ſeipſum eximat, &c. & *num.* 8. addit, Clericum teneri ad decimam de eo, quod percipit ex patrimonio, ad cujus titulum promotus fuit; ergò à fortiori idem dicendum eſt in caſu noſtro, cum una Eccleſia non amittat jus decimæ ſibi debitæ, licèt prædia ad perſonam Eccleſiaſticam devolvantur, ut inter alios docet Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 87. *artic.* 4. Leſsius, Reginaldus, Suar. Tuſcus, Moneta, & Layman apud eundem Bonacinam *ubi ſupra numero ſexto.*

1653 Inter. 30. Regularis, qui ſemel, vel iterum validè quęquam ad S. Offic. denunciavit, poteſtne à ſuis Superioribus removeri ab illo Conventu, ubi degit?

Reſp. Inconſulta Sac. Congregatione S. Officii, removeri non poteſt; ità fuiſſe deciſum ab eadem Sac. Congregatione die 28. *Februarii, anno* 1663. refert Angelus à Lantuſca *in Theatr. Regular. verb. Declaratio, n.* 2. *ad* 6.

1654 Inter. 31. Poſſuntne Epiſcopi cogere Confeſſarios Regulares ad obſervandum id, quod in Bulla Gregorii XV. §. *Mandantes* præcipitur, ſcilicèt teneri monere pænitentes ſollicitatos in Confeſsione ad denuntiandum ipſum Confeſſarium ſollicitantem?

Reſp. Affirmativè reſpondendum eſt, nam de mandato Urbani Octavi, Cardinalis Mellinus ſcripſit Epiſtolā circularem omnibus Epiſcopis, & Vicariis Generalibus, ut Sacerdotibus tam Regularibus, quàm Sæcularibus approbandis ad Confeſsiones audiendas, in actu ipſo approbationis legatur, & intimetur Conſt. Greg. XV. præſertim §. 9. qui incipit *Mandantes*. Ità refert Peyrinus *tom.* 1. *privil. min. in Conſt.* 4. *ejuſdem Gregorii XV.* §. 9. *num.* 34. & ex eo Diana *par.* 4. *tr.* 5. *reſ.* 31. *in fine*. Sed non poſſunt id ſub juramento præcipere, ut declaravit Sac. Cong. Epiſcop. & Regul. *die* 7. *Februarii* 1642. teſte Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 19. *n.* 34. *in fine*.

1655 Inter. 32. Pertinetne ad Epiſcopum concedere diſpenſationē ſuper interſtitiis Regularium Ordinandorū, vel ad proprium Prẹlatum ipſorum Regularium ſpectat?

Reſp. Pertinet ad Epiſcopum ordinantem, ſed ſufficit ſola atteſtatio Superioris Regularis pro cauſa diſpēſationis. Ità declaravit Sac. Cong. Cardinalium, teſte Peyrino *tom.* 1. *privil. Minim. in Conſt.* 2. *Syxti IV.* §. 11. *num.* 35. Vide Dianam *parte* 3. *tract.* 2. *reſ.* 32. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 14. *num.* 15. Mirandam *in Man. tom.* 1. *quæſt.* 38. *art.* 7. Debent tamen Superiores Regulares, cum mittunt ſuos ſubditos ad Ordines ſuſcipiendos, & expedire judicaverint, ac neceſſe habuerint, ut cum eiſdem in interſtitiis diſpenſetur, in litteris dimiſſoriis humiliter exorare Epiſcopos, ut id faciant. Paſſerellus *in Compend. Privil. fol.* 223. Declaratio autem Cardinalium, ait Paſſerinus *de Statibus tom.* 3. *quæſt.* 189. *art.* 10. *inſpect.* 10. *num.* 836. puto, quòd ſit omninò vera, quando cauſa ſit talis, qua ſubſiſtente non ſit liberum Epiſcopo non diſpenſare, ſed in conſcientia teneatur diſpenſationē concedere, hoc petente neceſſitate, vel

vel gravi utilitate Eccleſiæ, ſed ubi ſtante cauſa allata non ſit in Epiſcopo neceſſitas diſpenſandi, ſed ſit illi arbitrarium, poterit diſpenſationem negare; Suarez *tom.4.de Relig. lib.2. tr. 8. cap. 12. num. 23.* Ejus tamen non eſt cognoſcere de ſubſiſtenria cauſæ, ſed in hoc tenetur ſe conformare dimiſſoriis Superioris Regularis, ut dicunt plures Doctores, quos ſequuntur Dia. & Bordonus. Hactenus Paſſerinus. Et adverte, quòd poſt Decretum Sac. Cong. in hac materia, non videtur tuta opinio illorum, qui dicunt, ratione Privilegiorum poſſe Prælatos Religionum cum ſuis Subditis diſpenſare in inrerſtitiis. Doctores invenies apud Dian. *locis cit.* id aſſerentes.

1656 Inter. 33. Officium ſuper Cadavera in Eccleſiis Regularium, debetne fieri per ipſoſmet Regulares, vel per Parochum, ſeù alios Preſbyteros Sæculares?

Reſp. Debet fieri dumtaxat per ipſos Regulares, non obſtante quacunque conſuetudine etiam immemorabili in contrarium. Ità pluries fuiſſe deciſum refert Cutillus *in Addit. ad Jacobum Mancinum in tract. de Sepulturis, dub.5.* Vide Lezanam *tom.2. verb. Defunctus, num.8. propè finem, & verb. Sepultura num. 5.* & in Theatro Reg. *verb. Exequiæ*, & in ejuſdem ſupplemento *verb. Aſſociatio Cadav. per tot.* & ità noviſſimè fuiſſe deciſum memini in una Aſculana ſub *die 21. Aprilis 1690. in Cauſa Aſſociationis, & Funerum.* Undè Sacrorum Purpuratorum Reſponſa, velut Oracula, ac debita reverentia, ut par eſt, accipienda ſunt, & ad praxim deducenda.

1657 Inter. 34. Regulares ne poſſunt nè à Parocho, vel Epiſcopo compelli ad aſſociãdum cadavera Mortuorum, quæ in eorum Eccleſijs tumulanda erunt?

Reſp. In prima parte noſtrarum Conſtitutionum *cap.14. nu. 12.* ſic habetur. *Si qui autem alii ob devotionem in noſtris Eccleſiis ſepeliri velint, illorum corpora à Fratribus ante Eccleſiæ portam expectabuntur, & recipientur ſepulturæ mandanda.* Verùm ad lites tollendas P. Procurator Generalis noſtræ Congregationis ſupplicavit olim Sacræ Congregationi pro explicatione ſupradictæ particulæ Conſtitutionis, & Sacr.Congreg. *ſub die 22. Februarii anno 1641.* declaravit, Plebanum, ſeu Parochum teneri aſſociare Cadavera defunctorum, uſque ad Eccleſiam Regularium, ſi in ea elegerint ſepulruram etiam ipſis non aſſociantibus. Ità teſtatur Lezana *tom.2. verb. Defunctus n. 8. prope finem; & verb. Sepultura num. 5.* Iterum Sacr. Congregatio Rituum in una Senogallieſi *ſub die 22. Junii 1675.* in reſponſione ad quartum decrevit, ac reſpondit, Regulares non poſſe cogi ad exeundum à propriis Eccleſiis ad effectum aſſociandi Cadavera in eiſdem Eccleſiis ſepelienda, ſed ſufficere, quod illa expectent ad januas Eccleſiæ. Ità habetur in ſupplemento ad Theatrum Regul. P.Angeli à Lantuſca, *verb. Aſſociatio Cadav. num.5.* Itaque clarè patet, Regulares cogi non poſſe ad exeundum à propriis Eccleſiis: Benè tamen tenetur Parochi ob plurimas Sac. Congregationis deciſiones, corpora defunctorum aſſociare uſq; ad Eccleſiam Regularium, ſecus facientes, peccant. contra Sac. Congregationis Decreta. Vide Lantuſcam *loc. cit. verb. exequiæ n.8. & ſeqq.*

1658 Inter. 35. Epiſcopus poteſtnè prohibere Regularibus nè recipiant in eorum Eccleſiis mulieres ad purificationem poſt partum?

Reſp. Sac. Cardinalium Congreg. Conc. apud Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 12. num. 41. ad nonum,* cenſuit Regulares non prohiberi in eorum Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere, ergò Epiſcopus non poteſt hoc illis prohibere.

1659 Inter. 36. Poteſtnè Epiſcopus prohibere Regularibus nè Miſſas celebrent, & campanas pulſent in ſuis Eccleſiis ante celebrationem Miſſæ in Eccleſia Parochiali?

Reſp.

Reſp. Epiſcopus id Regularibus prohibere nequit; ſed ſi vult poteſt tãtum monère populum,& illum exhortari, ut accedat ad Eccleſiam Parochialem juxtà Sacri Concilii Tridentini præſcriptum. Ita refert deciſum Aldanus *in compend. canon. reſolutionum lib. 1. cap. 13. num. 4. in nullius Provinciæ Ravennatenſis die* 15. Septembris, Sellius apud Barb. *in Tridentino ſeſſ. 22. de ſacrificio Miſſæ cap. 8. num.* 28. vide Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 21. num.* 17.

1660 Inter. 37. Eſtnè præceptum, vel conſilium erogare eleemoſynam Religioſis?

Reſp. Religioſis, qui voluntariè pauperes fiunt mediante voto, eleemoſyna debetur ex præcepto ſicut aliis pauperibus, quia eorum paupertas, & neceſſitas vera eſt, & juſta, & licèt voluntariè contracta fuerit, nihil refert, ſi voluntas, & cauſa contrahendi pia fuit, Deo grata, & rationi conformis, ut ſemper ſupponitur: Ita ex Lorca docet Dian. *par. 5. tr. 8. reſ.* 18. Quare inter errores Guilelmi à S. Amore condemnatos ab Alex. Quarto, leguntur ſequentes: Regularibus mendicare non licet: Mendicanti valido non eſſe faciendam eleemoſynam: Mendicantes validos ex mendicitate viventes, non eſſe in ſtatu ſalutis: Fratres poſt prædicationem ab eis factam petentes eleemoſynã eſſe ſimoniacos. Quos, & alios præfati Guilelmi errores validè confutat S. Th. Aquin. *Opuſc.* 19. Videatur etiam S. Bonavent. *tr. de Pauper. Chriſti to. 7.* ejus Operum.

1661 Inter. 38. Religioſus profeſſus, poteſtnè licitè à Religione egredi, ad ſubveniendum parentibus in neceſſitate conſtitutis?

Reſp. Si poteſt gravi Parentum neceſſitati ſuccurrere manendo in Religione, ſalva Regulari obſervantia, & Prælatorum obedientia, non debet egredi; Si verò commodè id præſtare nequeat, licitè egredi poteſt, quamvis non teneatur. Ità docet Dian. *par. 6. tract. 7. reſ.* 19. & Concordant Cajet. *in 2. 2. D. Thom. quæſt.* 101. *ar.* 4. *ad* 4. & Navar. *in man. cap.* 14. *nu.* 14. quos refert, ac ſequitur Tolet. *lib. 5. cap. 1. num.* 5. vide Armillam *verb. Pietas ſub num.* 1. Non poteſt tamen egredi abſq; expreſſa licentia Summi Pontificis, vel Sac. Cong. quidquid aliter dicant Doctores, qui nõ viderunt decreta Clem. Octavi pro refor. Reg. approbata, & innovata à Sac. Congr. juſſu Urbani Octavi teſte Leza. *tom. 1. par. 1. cap. 16. num. 23. &* 25. & Dian. *par. 9. tract. 11. reſ.* 30. & aliis penes ipſos. Unde non poſſunt Prælati Regulares hanc licentiam manendi extra Clauſtra concedere ſibi ſubditis ad ſubveniendum parentibus in gravi neceſſitate conſtitutis; ſed omninò obtinenda eſt à Summo Pontifice, vel Sac. Congreg. quæ prudentiſſimè, ac cautiſſimè cum certis conditionibus concedere ſolet, ut ad ſubveniendum Parentibus egenis, & omni humano auxilio deſtitutis, queat filius à Religione egredi. Verùm poſt hanc licentiam; adhuc tenetur ſervare vota, & præcepta Religionis eo modo, quò commodè poteſt, quia per egreſſum non eximitur ab obligationibus, quas contraxit per Profeſſionem; immò ſublata parentum neceſſitate tenetur regredi ad Religionẽ, in qua priùs per Profeſſionẽ Vota Religionis emiſerat. Qui pleniùs hæc videre cupit, videat Sanchez. *in Sum. lib. 4. cap. 20. num.* 33. Suarez. *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 6. num.* 3. Cordubam *in Sum. quæſt. 141. ar.* 2. quos refert, & ſequitur Leza. *tom. 1. par. 1. cap. 24. num.* 40. Mirand. *in manua. Præl. tom. 1. quæſt. 32. art.* 7. Bonac. *to. 1. in tract. de Clauſura qu. 2. punct. 1. nu. 4. & tom. 2. de legib. diſp. 6. quæſt. unica pun. 4. num. 4. & ſeqq.* Et licèt, ut dixi nõ poſſit Religioſus propter neceſſitatem Parentum è Religione egredi, & multò minus habitum dimittere, abſque Sac. Cong. licentia, quod etiam à fortiori dicendum eſt ad ſuccurrendum neceſſitatibus gravioribus fratrum, vel ſororum, etiam pudicitia periclitantium, tamen haberet

ſufficientem cauſam, ut cum eo diſpenſetur, ut ex Sanchez, Suarez, & Corduba *loc. cit.* affirmat Leza. *eo cap.* 24. *nu.* 40. vide ipſum Leza. *loc. cit. & cap.* 2. *num.* 13. & ſuprà in *tit.* 175. *De Prælatis Regular. ad Inter.* 24.

1662 Inter. 39. Religioſus aſſumptus ad Epiſcopalem dignitatem ad quid tenetur?

Reſp. Tenetur ad tria vota ſicut prius, ad deferendum habitum, & ad alias obſervantias, quæ non impediunt Pontificale officium, & licèt non teneatur obedire ſuæ Religionis Prælatis, tamen ex vi voti tenetur obedire Summo Pontifici: Verùm poteſt ſecum diſpēſare ſuper Regulæ Obſervantiis, ſicut Superior poteſt diſpenſare cum ſubdito, & cum ſeipſo; expedit tamē id facere per ſuum Confeſſarium, ut rectè docet Sà *verb. Religio, num.* 47. Bonorum verò Eccleſiæ non eſt Dominus, ſed diſpenſator. Tenetur veſci piſcibus, ſi erat Carthuſianus, vel Minimus Sancti Franciſci de Paula, niſi cum eo diſpenſetur. Vide S. Tho. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 8. Sylveſt. *verb. Religio* 6. *qu.* 10. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 4. *ſub num.* 10. Emm. Sà *verb. Epiſcopus, num.* 11. & Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 17. *per totum*, ubi latè de tali dubio agit, & præſertim *num.* 10. loquitur de vita quadrageſimali Minimorum, & an remaneant obligati, ſi ad Epiſcopatum aſſumantur, ad votum hujuſmodi vitæ quadrageſimalis, de quo tractat etiam Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 3. *c.* 17. *n.* 8. & affirmativè reſpondet, ità etiam tenet Peyrinus *de Subd. qu.* 1. *cap.* 10. §. *Vnicus* apud Dianam, qui tamen ipſum citat in alio loco. Vide Dianam *par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 39. qui oppoſitum dicit eſſe probabile, idem aſſerit Lezana, quòd mihi ſanè non placet. Sed vide ſequentem reſponſionem, & *ad Int.* 8. *tit.* 175. *de Prælatis Regularibus*, & iterum Dianam *par.* 9. *tr.* 8. *reſ.* 70. *& par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 61 & Armillam *verb. Epiſcopus n.* 8.

1663 Inter. 40. Religioſus factus Epiſcopus, poteſtne licitè, & ſine peccato ſupervacaneè, & prodigè largiri, & accipientes ab eo, tenenturne ad reſtitutionem?

Reſp. Supponendum eſt primò, quòd Superiores Regulares non ſunt Domini bonorum Conventuum, ſed ſolùm adminiſtratores, atque diſpenſatores, & conſequenter non poſſunt ex alieno donationes facere, ut habetur *ex cap. Abbati diſt.* 54. *& c. Nullam* 18. *qu.* 2. aliàs peccant contra juſtitiam, ſua abutendo poteſtate; & contra votum paupertatis, utendo illis bonis, tanquam Domini, undè & ipſi, & qui recipiunt, reſtituere tenentur. Vide Peyrinum *tom.* 2. *de Prælato qu.* 1. *cap.* 5. *num.* 55. Ità pariter Religioſus factus Epiſcopus, non abſolvitur à voto Paupertatis, nec fit Dominus reddituum Eccleſiaſticorū, ac proinde non poteſt, nec ipſe prodigè donare, & accipientes ab eo, pariter ad reſtitutionem tenentur, prout docent 42. Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *in Summ. tom.* 2. *libro* 6. *cap.* 6. *num.* 8. & alii citati à Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 50. quos tamē ipſe non ſequitur, ſed aliis relatis tuetur oppoſitum ibidem, *& par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 31. *verſ. Verùm difficultas*, & utrāque ſententiam probabilem putat. Ego tamen tutiorem exiſtimo primam ſententiam, nam muneri Epiſcopali non obſtat paupertatis votum, & abdicatio dominii. Immò cum ſtatus Epiſcopi ſit perfectior ſtatu quorūcunque Religioſorum, perfectionem conſummatam, & in facto ex ſe debet habere tria paupertatatis, caſtitatis, & obedientiæ vota, quæ quidem ratione ſtatus perfectionis ſtrictius illum obligare non dubito; Et hæc eſt ſententia Divi Thomæ 2. 2. *qu.* 185. *ar.* 8. & communis, ut fatetur ipſe Diana *par.* 12. *reſ.* 106. quamvis ſuam opinionem probabilem putet. Vide Em. Sà *verb. Epiſc. n.* 11.

1664 Inter 41. Tenenturne Regu-

lares

lares revereri, & honorare Epiſcopos?

Reſp. Certò tenentur ſub mortali, ut rectè docet Matthæuccius *in Offic. Cur. Regular. cap. 16. num. 46.* quia licèt ſint exempti à juriſdictione Epiſcoporum, tamen eis ſubjacent quoad jus reverentiale, & nequeunt contradicere, aut impedire prærogativas Epiſcopales. Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 11. num. 3.* & concordant quoque Romanus, Franchus, Quarantana, Ugolinus, Peyrinus, Gratianus, & alii apud Mendo *Epit. Opin. mor. verb. Epiſcopus num. 11.* & eſt communis ſententia: Immò ſecùs facientes, poſſunt ab Epiſcopo coerceri cenſuris, aliiſquè ſimilibus pœnis, ut docet Barboſa *de poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 10. num. 19.* & alii apud Mendo *loc. citat.* Alii verò dicũt, quòd ſi Religioſi Epiſcopo nõ dederint debitũ honorem, Judex hujus cauſæ, non ipſe Epiſcopus ſed Superior Regularis erit. Alloza *verb. Religioſi diſp. 1. ſect. 1. num. 39. & verb. Epiſcopus diſp. 6. ſect. 1. n. 28.* ſed *ſect. 2. num. 10.* inquit, poſſe Epiſcopum Religioſum ſibi detrahentem punire, ſi à ſuo Prælato non puniatur, & notat, quòd Superior Regularis debet Epiſcopum certiorem facere de punitione facta juxtà Trident. *ſeſſ. 25. cap. 14. de Regular.* ſi autem delinquens ad aliam Diœceſim migravit, ſervanda eſt Conſt. Clem. VIII. quæ incipit: *Suſcepti muneris ratio*, & eſt Bulla 39. dicti Pontificis, de anno 1596. Sed hoc ego puto verum, quando, & in caſu, quòd Religioſus delinquat extra Monaſterium notoriè, & non aliàs. Vide Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 16. num. 26. & 27.* nec Epiſcopus poreſt contra illum per cenſuras procedere, ut dicã *in hoc tit. ad Int.* 47. Vide iterum Lezan. *to. 2. verb. Delinquens Reg. n. 1. 2. & ſeqq.*

1665 Inter. 42. Mendicantes, aut alterius Ordinis Religioſi graduati in Theologia, ſeù Lectores, debentne ab Epiſcopo examinari antequam concedat facultatem audiendi Confeſſiones?

Reſp. Et ſi tales non egeant examine, maximè ſi ſufficienter ſint verſati in Theologia morali, cum non examinari oporteat eum, quem notum eſt eſſe ſufficientem, ut habet Gloſſa *in Can. de Petro, 47. diſt.* Attamen in praxi per ſe loquendo æquum eſt, ut nullus ad confeſſiones audiendas admittatur abſque prævio examine, & ità determinavit B. Pius V. in ſua Bulla incipien. *Romani Pontificis providentia, edita anno* 1571. teſte Lezana *de qq. Regul. tom. 1. par. 1. cap. 19. à num. 6.* Vide Suar. *tom. 4. in 3. par. diſp. 28. ſect. 4.* Bonacinã *de Sac. diſp. 5. qu. 7. pun. 4. §. 1. num. 10.* Barboſã *in Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. à num. 3.* Buſemb. *lib. 6. tr. 4. de Pœnit. cap. 2. de approbat. Confeſſ. dub. 2.* qui tandem ſic concludit: Probabilius eſt, ut Doctores, & licentiati in Theologia examinentur, quamvis non deceat. Vide ſupra *in tit. 86. de Examin. quoad Scientiam, & Doctrinam, ad Interogation. 1.*

1666 Inter. 43. Novus Epiſcopus poteſtne omnes Regularium licentias excipiendi Confeſſiones ſuſpendere, & de novo illos examinare?

Reſp. Communis ſententia docet, id facere poſſe pro ſuæ conſcientiæ quiete, & praxis ipſa teſtatur. Barb. *loco cit. num. 49.* qui pluribus concordantibus relatis aſſerit ità pluriès fuiſſe deciſum à Sac. Congregatione, nimirum poſſe Regulares à moderno Epiſcopo iterum examinari: Idem docet Lezana *ubi ſupra num. 7.* Alloza *verb. Confeſſio ſect. 11. num. 13.* & Dia. *par. 3. tr. 2. reſ. 27.* qui tamen rectè notat ex Facundez, & Henriquez, quòd ſi novus Epiſcopus revocet omnes licentias, & approbationes Confeſſiones audiendi, non comprehendantur Regulares, niſi in edicto ipſi ſpecialiter nominati fuerint, quia Regulares in odioſis minimè cõprehẽduntur, niſi de illis fiat expreſſa mẽtio.

Inter.

1667 Inter. 44. Competitne Epiſcopo jus examinandi Regulares Concionatores quoad Doctrinam?

Reſp. Competit quidem; Undè ſi vult illos examinare, integrum eſt ei, antequam licentiam illis concedat concionandi, & ita declaravit Sacra Congregatio in una Ungentina, *ſub 22. Januarii* 1622. ſcilicèt poſſe Epiſcopum examinare Regulares volentes in Eccleſiis, quæ non ſunt ſuorum Ordinum, prædicare; Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 22. *verſ. Verùm his non obſt.* & *par.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 42. Auſonius *in Summ. Dianæ verb. Examinare num.* 2. & 3. Lezana *tom.* 3. *verb. Concionari, &c. num.* 7. & alii communiter, & noviſsimè Clemens Papa X. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Superna,* emanata undecimo Kalend. Jul. 1670. idem ſancivit, ut in fine reſp. dicetur. Verùm ſemel examinati in una Diœceſi ad prædicandum, non poſſunt in ea amplius examinari, niſi à novo Epiſcopo, ut ex Sorbo, & Miranda docet Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 20. *num.* 7. Conſtitutio autem Clemen. X. ſup. cit. circà hanc materiam §. 4. ſic præcipit:

Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionē petere; Prędicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint. Quod ſi Epiſcopus benedictionem ne dum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare; Eoſque contravenientes ab illo, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, cenſuris, aliiſque pęnis Eccleſiaſticis in vim Conſtit. felic. record. Gregor. XV. Prædeceſſoris Noſtri, incipientis: Inſcrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri poſſe; Epiſcopum tamen abſque juſta, & rationabili cauſa contradicere non debere; Et hujuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere; ſi in quibuſcunq; Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in Eccleſiis, aut ad Crates Monaſteriorum Sanctimonialium eorum juriſdictioni ſubjectarum, licèt clauſis januis, & nullus Sæcularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus illos, quamvis ab Univerſitatibus, aut à Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare; ſi ità ipſius arbitrio, quod moderatū, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit. Et licentiam prædicandi ſemel eiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licèt occultas, prædicationem tamen concernentes, ſuſpendere. Non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinū prædicent.

1668 Inter. 45. Regulares antequam ordinentur, poſſuntne ab Epiſcopo examinari quoad ſcientiam, vel debet Epiſcopus litteris Superiorum Regularium adhibere fidem?

Reſp. Utique poſſunt ab Epiſcopo examinari, nullo in hoc eis ſuffragante privilegio, ut patet ex Triden. *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. Tamen poteſt Epiſcopus, ſi vult acquirere fidei Prælatorum Regularium, conformando ſcilicèt ſuam conſcientiam cum conſcientia Prælati Regularis atteſtantis de ipſorum ſubditorum ſufficientia. Ità docent Villalobos, Portellus, & Peyrinus, quos dat, & ſequitur Lezana *tom.* 2. *verb. Ordines Sacri, ſub n.* 13. Miranda *tom.* 1. *Man. Prælat. qu.* 39. *art.* 4. *concl.* 1. & *tom.* 2. *qu.* 8. *art.* 7. *concl.* 1. *ſub verſ. ult. dico.* Rodericus *in Compend. qq. Regul. reſ.* 106. *nu.* 17. Bordonus *tom.* 3. *reſ.* 67. *num.* 57. Dia. *in Summ. verb. Ordinis ſubjectum n.* 15. & *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 74. §. *Sed difficultas,* & *par.* 2. *tract* 16. *reſ.* 29. §. *Sed prima ſententia,* & alii ab ipſo relati, nam ſicut Epiſcopus poteſt, imò & aliquando ſolet adhibere fidem uni ex ejus Examinatoribus Sæcularibus, cur non multò magis debet ſuper hoc om-

nimodam fidem dare Prælatis Regularibus teſtātibus in ſuis litteris dimiſſoriis de ſcientia, & ſufficientia ſuorum ſubditorum ordinandorum? Undè cum Villalobos, Portello, Miranda, Roderico, Diana, & aliis concludendum eſt, poſſe devotum, & prudentem Epiſcopum tutè, atque ſecurè ſuam conſcientiam cum conſcientiis Prælatorum Regularium exonerare, eorum litteris adhibendo fidem, tū præſertim quia litteræ Prælatorum faciunt plenam fidem, *cap. in Lateran. de Præbendis*, & ibi Panorm. *num.* 5. tum etiam quia non ſolent illis dare licentias ſine prævio examine facto per ſuos Patres Examinatores deputatos, & hoc apud nos eſt certiſſimū. Ità ad tollēdos ſcrupulos, reſpōdendum duxi, & ut verbis Doctiſſimi Mirandæ utar, ad temperandum, ſi placet, multorum Epiſcoporum interdum rigorem nimium circà examinandos, & Ordinandos Religioſos, qui in gerenda fidelium Animarum cura prædicando, & Confeſſiones audiendo Epiſcoporum, atque Clericorum omnium ſunt fideliſſimi Coadjutores. Maximè cum hanc ſententiam ſine ullo metu, & ſcrupulo poſſint Domini Epiſcopi in praxim deducere, teſte Diana *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 74. *in fine*. Hæc tamen dicta ſint, non ad fovendam ignorantiam, ſed ad ſolamen Animarum Prælatorum, & Epiſcoporum, nam ignorantia eſt mater omnium delictorum, ut docet Lactantius *lib.* 3. *divin. inſt. c.* 26. & habetur quoque *ex cap. Ignorantia* 38. *diſt.* quæ undè hìc ſuperius dicta ſunt intelligi debent cum grano ſalis prudentiæ, & habita ſpeciali notitia prudentiæ, & probitatis Prçlati Regularis dantis litteras dimiſſoriales, nam ſi univerſaliter intelligantur, fruſtra Sacr. Conc. Triden. ſanxitam ſanctè pro examine Ordinandorum. Et quidam Examinator Cleri Romani, qui per per 37. annos functus eſt in Urbe hoc munere, mihi teſtatus eſt, ſe neminem Religioſum vidiſſe, qui ſine examine admiſſus ſit, quamvis litteras dimiſſoriales ſui Superioris habuerit.

1669 Inter. 46. Poteſtne Epiſcopus excommunicare Regulares nolentes ad Proceſſiones accedere, & ad quas proceſſiones ire teneantur?

Reſp. Dico primò, quòd ex declaratione Sacr. Congregationis *anno* 1602. teſte Quaranta *in Summ. Bullarii, verb. Privilegium regul.* Regulares, qui ultra medium milliare ab Urbe, ſeù loco diſtant, nequeunt compelli ad Proceſſiones accedere. Idem docet Lezana *de qq. Regul. tom.* 1. *par.* 1. *c.* 9. *num.* 47. *& tom* 2. *verb. Proceſſio quoad Regulares num.* 3. ubi citat Portellum & Rodriquez, quibus ego addo Moronum *reſp.* 12. *ſub num.* 10. Mendo *Epit. Opin. mor. verb. Privilegium, ſub num.* 11. Dico ſecundò, Proceſſiones ad quas de jure ire tenentur Regulares exempti, certò eſſe eas, quæ fiunt in feſto Corporis Chriſti, in Litaniis, & Jubilæis publicis faciēdis in plebibus, in quibus Regulares habent Monaſteria, dummodò Proceſſiones ſint ejus generis, quod in Bulla B. Pii V. Mendicantibus conceſſa, quæ incipit: *Etſi Mendicantium*, *publicata* 17. *Kalend. Junii anno* 1567. comprehendantur, & dummodò Regulares non ſint ex illis Conventibus, Collegia nuncupatis, quæ in eadem Bulla excipiuntur. Ità ex Sac. Congregatione refert deciſum Peyrinus *tom.* 1. *Privileg. Minim. in Conſt.* 7. *B. Pii V.* §. 29. Vide Lezanā *loco ſupra cit. cap.* 9. *ſub num.* 47. & Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 106. ubi notat, quòd per publicas Proceſsiones intelliguntur etiam hæ, quę pro bono publico de novo indictæ ſunt. Vide Armillam *verb. Epiſcopus*, *num.* 16. Dico tertiò, quòd ut Regulares teneantur accedere ad proceſsiones, debent vocari non per edictum publicū, ſed perſonaliter, quia apertus eſt textus Concil. Triden. *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. Peyrinus *loco prox. cit. in Conſtitut.* 2. *Syxti IV.* §. 11. *num.* 57. Lezana *ubi ſupra*

ſupra cap. 9. num. 47. Moronus *reſponſ.* 12. *num.* 17. & alii plures. Dico quartò, Regulares cogi minimè poſſe per cenſuras ab Epiſcopo, proùt apertè tradunt Lezana *loco citato*, *c.* 11. *num.* 14. & *verb. Proceſſio quoad Regulares num.* 2. Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 76. ubi in fine ejuſdem reſolutionis ſic habet. Immo noviſsimè Hieronymus Rodriquez *in Compendio qq. Regular. Reſol.* 118. *num.* 1. ex Quaranta, & Portello *in Addit. ad dub. Regul. verb. Proceſſiones num.* 1. ex Barboſa, notant, Sacram Cardinalium Congregationem pluries determinaſſe, non poſſe Regulares compelli ab Epiſcopo per cenſuras, ad Proceſsiones, & ideò à noſtra ſententia non eſt recedendum: poſſunt verò compelli aliis pœnis, etiam pecuniariis, ut ex Gratiano, & Peyrino docet Lezana *tom.* 3. *verbo Proceſſio quoad Regulares*, *ſub num.* 2. *propè finem*; ſed de hac materia latè tractat Diana *par.* 11. *tr.* 2. *reſolut.* 8. Non tenentur tamen Regulares accedere ad Proceſsionem cum Clero, in primo ingreſſu viſitationis Epiſcopi, nec Epiſcopus poteſt illos compellere, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii, die 9. Decembris 1662. apud Lantuſcam *in Theat. Regul. verb. Proceſſio*, *num.* 4.

1670 Inter. 47. Poteſtne Epiſcopus excommunicare Regulares exẽptos?

Reſp. Non poteſt, quia ipſe non eſt Judex competens ipſorum, & à Judice non competente non tenet ſentẽtia juxtà *Extravag. ad audienda Martini V.* nam cenſura lata contrà exemptum in ea re, ſuper qua fertur, eſt nulla. *cap. ad quorumdam de exceſ. Prel.* Mendo *Epit. opin. Moral. verb. cenſura num.* 8. Itaque non poteſt Epiſcopus per cenſuras compellere Regulares in caſibus, in quibus ipſi non ſunt ei ſubiecti. Alloza *verb. Epiſcopus diſp.* 6. *ſect.* 1. *num.* 30. Si verò procedir pro ut Sedis Apoſtolicæ delegatus, non poteſt niſi in caſibus à Conc. Trident. & aliis Conſtit. Apoſtolicis exceptis. Vide Villalobos apud Dianam *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 43. & præſertim Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 11. *num.* 14. & 15. & *tom.* 2. *verb. Exemptio Regularium num.* 1. & *ſeqq.* & *tom.* 4. *conſ.* 40. *num* 72. & *ibidem pag.* 240. *num.* 1.

1671 Inter 48. Poteſtne Epiſcopus declarare excommunicatum Regularem exemptum, ſi fuerit tranſgreſſor alicuius legis, propter quam eſt ipſo jure impoſita excommunicatio?

Reſp. Etiamſi publicè, & notoriè Regularis perpetraſſet crimen, propter quod impoſita eſt talis excommunicatio, non poteſt Epiſcopus ipſum declarare excommunicatum, & ratio eſt, quia licèt delictum, cui de jure ãnnexa eſt excommunicatio, ſit notorium, tamen requiritur citatio partis, & cauſæ cognitio, ut docent quã plures DD. apud Dianam *par.* 10. *tr.* 12. *reſ.* 4. *verſ. Reſpondeo*: favet etiam Lezana *tom.* 3. *verb. Judex*, & *Judicium Regul. num.* 17. Citatio autem facta Regulari ab Epiſcopo, ut compareat ad dicendum quare non debeat declarari incidiſſe in excommunicationem, eſt ipſo jure nulla, cum ſit à Judice non competente, ergo &c. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 11. *num.* 15. & *to.* 3. *verb. Exemptio Regul. num.* 9. Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 35. & alii penes ipſos. Poteſt tamen Epiſcopus ſuis ſubditis denunciare, ut Regularem, excommunicatum ob publicam percuſſionem Clerici, vel propter apoſtaſiã à ſuo Superiore uti talem declaratum, vitent, quia hoc non eſt exercere juriſdictionem in illum, ſed monere ſuos ſubditos de obligatione, quam habent ſic excõmunicatum vitandi. Verum id limitat *Clem.* 1. *de privil.* §. 1. quæ omninò videnda eſt. Vide Lezanam *ubi ſuprà tom.* 2. *verb. Exemptio Regul. ſub num.* 9. & Matthæuccium *cap.* 10. *à num.* 33. 34. & 35. *in offic. Curiæ Reg.*

1672 Inter. 49. Religioſus falſificans manum, aut Sigillum Officialium Mona-

V 2

naſterii poteſtne à quolibet Confeſſario abſolvi?

Reſp. Falſificatio manus, aut Sigili Officialium Monaſterii, aut Conventus eſt unus ex caſibus, qui poteſt reſervari à Superioribus localibus Monaſteriorum, ſeu Conventuum, ut patet ex Decreto Clem. VIII. edito anno 1593. apud Lezanam *in Sum. par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 20. Itaquè ſi Superior ſibi reſervat hunc caſum, certũ eſt, quod Religioſus falſificans manũ, aut Sigillum Prioris, vel Guardiani, aut alterius nominis Prælati illius Cõventus, aut Monaſterii, ſeù Superioris, Procuratoris, Sacriſtæ, & à fortiori Generalis, Provincialis, Secretarii, imò & Procuratoris Generalis, cum hi omnes veniant nomine Officialium Monaſterii, à nemine poteſt abſolvi, niſi à Superiore, aut ab habente facultatem ab illo. Ità docet Lezana *tom.* 2. *verb. Falſarius num.* 3. & alia plura ad intentum. Cæterum apud nos vigore noſtrarum Conſtitutionum *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 8. proculdubio eſt caſus reſervatus.

1673 Inter. 50. Epiſcopus poteſtne denegare benedictionem prædicandi Regulari nolenti coram ipſo emittere profeſſionem fidei?

Reſp. Affirmat Diana *in ſum. verb. Regularium privilegia in prædicãdo n.* 8. *& par.* 7. *tr.* 12. *reſ.* 24. & pro ſe citat alios, & ità referunt deciſum à Sacra Congregatione Leo, & Armendarix apud Lezanam *tom.* 3. *verb. Concionari num.* 8. tamen ipſe Lezana putat id nõ eſſe uſum, & conſuetudine receptum, ideòque niſi in caſu raro, & extraordinario debet Epiſcopus exigere profeſſionem fidei à Regularibus, antequã munus concionandi illis concedat. Vide Barboſa in collect. ad Triden. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *num.* 20. Regulares tamen debent ſemper obedire.

1674 Inter. 51. Religioſus, qui unã Gallinã communitatis furaretur; peccaretne mortaliter?

Reſp. Si pro ſe, & pro aliquo alio Religioſo ſocio ſuo deſerviret, & non pro donanda ſæculari, nequaquam mortaliter peccaret. Alloza *in floribus Summ. verbo Paupertas ſect.* 1. *ſub n.* 9. *Vide ad Inter. ſequentem, & ſupra in tit.* 98. *De Furto ad Int.* 8.

1675 Inter. 52. Peccatne mortaliter Religioſus, qui ſine licentia Super. ſolet ſumere aliqua bona Monaſterii pertinentia ad cibum, & potum?

Reſp. Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 8. *c.* 11. *num.* 41. ad hoc dubium ſic reſpondet: De bonis Monaſterii uſu cõſumptibilibus pertinentibus, ſcilicet ad cibum, & potum, ſi tantum ad proprium uſum actualem, ut ità dicam, & tranſitorium, à Religioſis aliquid ſumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, niſi damnificatio Religionis eſſet nimia, & in re extraordinaria, & pretioſiore: extra huijuſmodi reputatur levioris conditionis, nam Religioſi quoad uſum hujusmodi rerum tractantur, ut filii; inter parentem autem, & filium non cenſetur ſimilis actio gravis, ſecus verò eſſet, ſi hujuſmodi res in magna quantitate acciperentur, & occultè retentæ, paulatim conſumerentur, nam illud eſſe poſſet grave peccatum, quamvis ad id diſcernendum in particulari magna prudentia neceſſaria ſit. Ità ille: Tannerus etiam 2. 2. *diſp.* 7. *quæſ.* 3. *dub. numer.* 106. ſic concludit. Nulla etiã Prælati ſeveritas ejuſmodi acceptiones quoad ſubſtantiam rei acceptæ, iniquas reddere poteſt. Vide Dianam *par.* 1. *tr. tract.* 6. *reſ.* 30. & ea, quæ dixi ad Inter. antecedentem, & ſuprà *ad Inter.* 8. *tit.* 98. *de Furto.*

1676 Inter. 53. Judex Laicus poteſtne exigere gabellas à Colonis partiariis Religioſorum?

Reſp. Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 21. *num.* 9. aſſerit, quòd privilegia exemptionis à gabellis, datiis, & hujuſmodi, cum ſint realia, tranſeunt ad Colonos eorumdem Regularium, quia eorum bona, & prædia privilegiata ſunt, & exem-

exempta ab onere ſolvendi gabellas,& ſimilia. Imò Em. Sà *verb. Gabella numer.* 16. ex B. Pio V. ſic inquit: Exempta ab omni exactione ſunt Mendicantium bona, Coloni, Arrendarii, & Negotiorum geſtores: Idem docet Peyrinus *de Privil. Minim. tom.* 2. *in conſtit.* 2. *Julii* §. 33. *num.* 142. & aliis allegatis, idem firmat Diana *par.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 19. maximè ſi Colonus à principio pactus ſit cum Eccleſia, quòd vellet etiam immunitatem conſequi pro parte ſibi competente. Verùm Filliucius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 11. *num.* 302. ait dictos Colonos teneri ſolvere gabellam ex fructibus collectis, ſi eoſdem deferant de loco ad locum aut alienent, quia tunc cenſentur bona laicorum, & non pertinent, neque indirectè ad Eccleſiam. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Gabella num.* 14. qui plura congerit ad intentum,& refert Bullam B. Pii V. quæ. incipit. *Dum ad uberem &c.* & habetur *tom.* 2. *Bullarii inter Bullas ejuſdem Pontificii num.* 11. nec fuiſſe revocatam à Gregorio XIII. ſolidè probat.

1677 Inter. 54. Poſſuntne Religioſi comparere in Judicio, & querelam facere contra aliquem pro injuria ſibi illata?

Reſp. Regulares minimè comparere poſſunt in judicio Forenſi tanquã accuſatores, ſeù actores, etiam pro injuria ſibi illata, ſine licentia ſui Superioris, quamvis injuria fuerit contra ſuam propriam perſonam, famam, honorem, aut bona; nam competit ipſorum Prælatis agere in judicio contra delinquentes in perſonas ſuorum ſubditorum, aut eis licentiam concedere poſſunt, ut querelam faciant coram Judice Eccleſiaſtico, aut ſæculari, prout caſus exegerit. Immò ſi ſecus faciant Regulares, judicium agitum eſt nullius momenti; quià caret actore, ſeù accuſatores legitimo; quamquam Prælatus Regularis ſi vult poſſit illud judicium, in quo ſuus Religioſus fuit actor, ſeù accuſator, ratum habere. Ità docet Sanchez *tom.* 2. *moral. cap.* 12. *num.* 12. *&* 13. Lezana *tom.* 2. *verb. Accuſare num.* 1. *&* 2. & alii. In caſu verò quod Superior Regularis ſit ità abſens, ut commodè, & abſque periculo citò haberi non poſſit ejus reſponſum, tunc ejuſdem ſubditus non prohibetur agere in judicio ratione licentiæ præſumptæ, ut rectè obſervat idem Lezana *loco cit. & par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 11. qui pro ſe alios concordantes refert. Cœterum in judicio Regulari, ſeù coram ſuo Prælato poteſt eſſe accuſator, ſeù actor contra alios ſui ordinis Religioſos, cum conditionibus tamen aſſignatis ab eodem Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 27. *num.* 22. *& ſeqq.* aut etiam ſi agere velit contra ſuum Prælatum, ut dixi ſupra *in tit.* 178. *de Querelis Subditorum Regularium, ad Inter.* 1. illum accuſando, vel denunciando crimen illius, non tenetur expectare ejus conſenſum. Vide Sanchez *ubi ſup n.* 18.

1678 Inter. 55. Religioſi juvenes profeſſi, qui vigeſimum primum ætatis annum non expleverint, teneturne jejunare?

Reſp. Licèt communitèr ætas minor anno vigeſimo primo excuſet à jejunio ex mera indulgentia, ratione incrementi, ſeù naturæ creſcentis, tamen non per hoc excuſatur Religioſus Profeſſus, quia intrando Religionem huic privilegio ceſſit; Ità docent Sylveſt. *verb. Jejunium num.* 6. Em. Sà *eodem verb. num.* 3. Roderic. *in Compend. qq. Regul. reſ.* 75. *num.* 6. *&* 8. Lezan. *in Sum. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 7. *num.* 26. *& tom.* 2. *verb. ætas num.* 8 *&* 13. Dian. *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 16. *verſ. Nota etiam.* Mendo *Epit. opin. moral. verb. Jejunium ſub num.* 13. Alloza *eod. verb. ſect.* 2. *num.* 4. *iterum* Dian. *par.* 9. *tract.* 9. *reſ.* 16. & alii plures contra Medinam. Verum tamen eſt, id eſſe intelligendum ſub peccato mortali, aut veniali juxtà modum obligationis, quo Regulæ, vel conſtitutiones Religionis obligare ſolent

ſic-

ſicque Minoritæ tenentur ſub pœna peccati mortalis, nos verò, nec ſub veniali, quia noſtræ Conſtitutiones non obligant ad culpam, ſed ſolùm ad pœnam, exceptis tamen aliquibus caſibus, & idem dicendum eſt circa alias Religiones: Unde S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 9. *ad prim.* inquit. *In aliqua tamen Religione, ut Ordinis Fratrum Prædicatorum, tranſgreſſio talis, vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam, ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam, quia per hunc modum ad talia obſervāda obligantur, qui tamen poſſent venialitèr, aut mortalitèr peccare ex negligentia, vel libidine, ſeù contemptu.* Hæc D. Th. ubi Cajet. addit. doctrinam valde notandam iuquiens; Cautè tamen nè frequentia peccandi diſponat ipſum paulatim, ac tàdem deducat ipſum ad voluntatem non ſubiiciendi ſe Regulæ, quoniam ut infra dicitur, ſcilicet ad 3. frequentia peccati diſpoſitivè inducit ad contemptum, ſicut conſuetum veniale non correptum diſpoſitivè inducit ad mortale. Et ſic dicendum eſt circa alios, nam dicti Religioſi in hoc caſu, non ex præcepto Eccleſiæ, ſed tantum ex vi Regulæ, ſeù Conſtitutionum ſuæ Religionis jejunare tenentur. Vide Sanchez *in Sum. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 56.

1679 Inter. 56. Fratres Laici, ſeù Converſi, tenenturne jejunare quando lavant pannos ſordidos Religioſorum, & faciunt lixivium?

Reſp. In diebus jejuniorum utique jejunare tenentur, quia non laborant, non ſolum per majorem partem diei, ſed neque per dimidiam. Ita docet Dian. *par.* 10. *tract.* 15. *reſ.* 37. *verſ. nota quod ego*, ubi loquitur de Laicis ſuæ Religionis, quæ ratio militat etiam de noſtris, & aliorum Religioſorum Converſis, quia breviſſima parte diei lavant hujuſmodi pannos.

1680. Inter. 57. Regulares teneturne ad Jejunia ex voto emiſſo à Populis locorum ubi habitant?

Reſp. Licèt Bordonus *tom.* 1. *Man. Regul. tract.* 5. *cap.* 5. *quæſt.* 11. *n.* 52. & alii putent non teneri; Tamen probabilius eſt illos teneri ratione ſcandali vitandi; tum etiam quia tenentur ſæcularibus bonum exemplum præbere, & in rebus ſpiritualibus tenentur ex vi directiva ſe conformare populis locorum ubi habitant, præſertim quia Conventus, & ex illo ſinguli, ſunt Cives illius Urbis, vel loci ubi eſt Eccleſia, ut docent Barthol. *in l.* 1. *ff. ad municipalem num.* 10. Navar. *conſil.* 1. *de cenſ. Eccleſ. num.* 3. Em. Sà *verb. Civitas num.* 4. & alii communiter; ergò ſi commodum ſentiunt, debent ſentire, & onus. Vide Portell. *in dub. Regul. verb. dies feſti num.* 4. Lezan *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 13. *& tom.* 2. *verb. Jejunium n.* 7. & ea quæ dicam *in hoc tit. ad Inter.* 61. Nec deſunt Auctores aſſerentes, Religioſos obligari jure naturæ ſaltem quoad vim directivam ad leges, vota, vel conſuetudines locorum ſervandas, dum ſpectant ad communem obſervātiam, & devotionem totius Populi, & Cleri; nec ullo modo derogant Religionis ſtatutis. Vide iterum Lezan. *ubi ſupra cap.* 11. *num.* 16. *& to.* 2. *verb. Feſti dies num.* 4. cujus doctrina meritò applicari poteſt ad caſum, de quo loquimur. Vide etiam Dian. *par.* 9. *tract.* 7. *reſ.* 14.

1681 Inter. 58. Poteſtne licitè Epiſcopus Ordinare Regulares, qui minùs peritos, & litteratos invenerit?

Reſp. In Religioſis non eſt neceſſaria tanta ſcientia ad ſuſcipiendos Ordines, quanta neceſſaria eſt in Clericis Sæcularibus, & ratio eſt, quia Regulares non ordinantur ad curam Animarum habendam, ac prætereà in illis ſempèr remanet ſpes de acquirenda ſcientia, cognitioneque neceſſaria ad ſuum munus ritè obeundum ob continuam inſtructionem, quæ in omnibus Religionibus hiſce de rebus ſedulò habetur, Sylveſt. *verb. Clericus* 2. *ſub num.* 1. Miranda *in man. Prǣl.*

tom.

tom. 2. *quæſt.* 8. *art.* 7. *concluſ.* 1. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 46. *num. ult.* apud Pacem Jordanum *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 242. Diana *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 29. *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 86. & randem *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 74. §. *Sed difficultas*, Tambur. *de jure Abbat. to.* 2. *quæſt.* 21. *num.* 5. Bordonus *tom.* 3. *reſ.* 67. *quæſt.* 18. Auſonius *in ſum.* Diana *verb. Ordinis. ſubjectum num* 17. *& verb. Irregularis num.* 21. & alii plures penes ipſos, qui quidem rectè tenent poſſe Epiſcopum licitè, ac tuta conſcientia Ordinare Regularem, eique conferre non ſolum Ordines minores, ſed cœteros, quoque majores, atque Presbyteratum, licèt minùs peritum, & litteratum invenerit, modo tamèn ad Ordinum miniſteria ſit ſufficientèr inſtructus, & benè legat, & cantet; Vide Peyrinum *to.* 2. *de Prælato quæſt.* 3. *cap.* 7. *num.* 20. cui ſubſcribit Diana, *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 29. alios allegans, nec diſſentiunt citati Authores, *nam in cap. Nullus, de temp. Ordin. in* 6. illitteratus prohibetur tonſurari niſi Religionem ingrediatur, ex quo ſanè elicitur, quod in Religioſo minor ſcientia requiratur, atque cum minori peritia ordinari poſſit, proptèr rationem ſuprà aſſignatam, & quamvis Bordonus *loco cit.* reſpectu Sacerdotii non approbet, niſi ordinandus benè, & diſtinctè legat, quià aliàs circumſtantes ſua ignorantia ad riſum moveret, quod nos minimè negamus, ſed cum præfatis Doctoribus dicimus poſſe Epiſcopum ſine ſcrupulo Ordinare Regularem, licèt minus peritus, & litteratus ſit, & ei conferre Presbyteratum, dummodò benè legat, & cantet, ut docent Portellus, Henriquez, & Villalobos apud Dianam *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 29. §. *At his*, & Peyrinus *tom.* 2. *de Prælat. quæſt.* 3. *cap.* 7. *num.* 20. *& tom.* 1. *privil. minim. in Conſt.* 26. *Leonis X.* §. 13. *num.* 25. qui plures concordantes adducit. Hæc omnia relativè tamèn dicta ſunt. Nam quo ad ſcientiam pro initiandis etiàm Religioſis ad tonſuram, & Ordines, Epiſcopi, mea ſententia, ſervare debent ea, quæ dicam *in tit.* 197. *de Sacramento Ordinis, ad Inter.* 8. ad mentem Sac. Concil. Triden, quod omnes etiam Religioſos ligat.

1682 Inter. 59. Religioſi merenturne magis, exquirendo indulgentias, vel obſervantia regulari?

Reſp. Ad hoc dubium ſic reſpondet Sanctus Thomas *in Supplem. q.* 27. *art.* 2. *ad* 2. *Religioſi magis merentur Religionem ſuam ſervando quantum ad præmium vitæ æternæ, quam indulgentias exquirendo, quamvis minus bonum.* Vide Paſqualigum *de Sacrificio Miſſæ tom.* 2. *quæſt.* 1293. *num.* 5. qui alios idem aſſerentes allegat.

9683 Inter. 60. Si Summus Pontifex, vel alii Superiores velint, Religiones ad priſtinum rigorem reducere; poſſuntne Religioſi Profeſſi abſque gravi peccato tali reformationi reſiſtere, & vitam communem non amplecti?

Reſp. Non poſſe ullo modo tali reformationi, & inſtitutioni vitæ communis reſiſtere aſſerit Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 6. *ſub num.* 60. & hanc eſſe communem Theologorum ſententiam teſtatur, aliàs mortaliter peccant. Vide ipſum Lezanam *ibidem cap.* 7. *num.* 19. & P. Euſtachium à S. Ubaldo *quodlib.* 4. *dub.* 4. *&* 5. qui fusè de hac tractat materia, & aſſerit eſſe impoſitam excommunicationis pœnam contra eos, qui reformationi ſe opponunt, aut illam impediunt. Sed hoc neceſſariò intelligendum eſt dùmodo Prælati Raligionum, ſufficienter provideant illis de neceſſariis ad vitam. Nam Superiores non poſſunt cogere ſubditos, ut careant neceſſariis ad vitæ conſervationem; præſertim quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ ſuæ conſervationem, ut nulla poteſtas humana obligare poteſt ad eam non conſervandam, ſaltem remedidiis ordinariis, & jus naturale conſervandi vitam anteponendum eſt

omni

Digitized by Google

omni juri humano, & omni legi poſitivæ. Colligitur *ex. cap. Jus naturale diſt.* 1. *& cap.* 13. *de ſent. Excom. & cap.* 2. *de homic. volunt.* & ibi Panormitanus, & alii. Vitæ enim ſuæ quiſque conſulere debet, ut patet *ex l. ut vim ff. de Juſt. & jure*. Sed vide Sanchez *in ſum. lib.* 6. *cap.* 2. *per totum* & præſertim id, quod Egomet dixi *tit.* 175. *de Prælatis Regularibus, ad Inter.* 19. *& in hoc titulo ad Inter.* 73. Optarem igitur, ut ex communi penu, & æqualiter Religioſis tam ſanis, quàm infirmis provideant Superiores de neceſſariis ad vitam, habita ratione ſtatus, valetudinis, ac laborum, quia Superior eſt diſpenſator bonorum Conventus juxta cujuslibet indigentiam, & largam manum debet habere, cum neceſſitatem patientibus, & dum curat alienam inopiam, ſuam credere debet. Habetur *ex cap. Fratrem noſtrum diſt.* 82. & docet Goffredus *in ſum. tit. de offic. ordin. num.* 81. Et hanc eſſe mentem Summorum Pontificum apertè conſtat ex eorum Conſtitutionibus, & Bullis ſatis notis, atque ex Sac. Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 2. *&* 3. ubi dicitur, quòd nihil eis neceſſarium denegetur, & ut *commode* ſuſtentari valeant, formamque præſcribit, præcipiens, ne plures admittantur, quàm ex redditibus *commodè* ſuſtentari poſſint, idem habetur ex Decretis Clem. VIII. *pro refor. Regular. num.* 14. Vide Sanchez *in ſum. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 23. *num.* 1. *& ſeqq.* & Fagnan. *in cap. Recolentes de ſtatu Monac. num.* 6. 7. *&* 8.

1684 Inter. 61. Regulares tenenturne obſervare leges Synodales Epiſcoporum, & vota, & promiſſiones factas à Populo ubi morantur?

Reſp. Eſt magna quæſtio inter Doctores, quos pro utraque parte refert Diana *par.* 1. *tract.* 10. *reſ.* 11. Ego tamèn ſentio cum illis, qui docent Religioſos teneri obſervare illas leges concernentes actiones communes totius Populi, & non derogant Regulari obſervantiæ, ut de jejuniis ſervandis, celebrandis aliquibus feſtis, & aliis hujuſmodi, non quidem debito obedientiæ, quia Regulares exempti non ſunt ſubditi Dominis Epiſcopis, ſed quoad vim directivam, & ratione ſcandali vitandi. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 167. *cap.* 4. *num.* 32. *tom.* 2. Sanchez. *in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 21. & ſic etiam tenentur obſervare vota, & promiſſiones facta à Populis, vel Civitatibus, in quibus morantur: Verum quoad leges Synodales, quæ concernunt reformationem Clericorum, non tenentur Regulares, quià minimè illos afficere poſſunt, ut benè obſervat Lezana *tom.* 1. *qq. Regul. c.* 11. *num.* 13. Cœterum notandum eſt cum Diana *loco cit.* multos eſſe caſus, in quibus Religioſi etiam exempti, tenentur legibus, & ſententiis Epiſcoporum, cum ſint in jure expreſſi, quorum numerus, inquit Diana, inveniri poſſunt apud Malderum *in* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *fol. mihi* 208. & apud Cenedum *in qq. Canon. quæſt.* 26. *per totam*. Vide Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. par.* 3. *alleg.* 105. & Lezanam *tom.* 3. *verb. Leges Regular. num.* 27.

1685 Inter. 62. Poſſuntne licitè Mulieres ingredi Clauſtra Regularium, comitando Proceſſiones, vel quando ibidem celebrantur officia divina?

Reſp. Quòd Fœminæ licitè poſſint ingredi Monaſteria Regularium cauſa Miſſæ, Funeris, Proceſſionis, vel alterius Divini officii, vel dum tantus populi concurſus adeſt, ut Mulieres commodè ingredi, aut egredi non poſſint ab Eccleſia, niſi per clauſtra Religioſorum. docet Bonac. *de Clau. quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 6. *& ſeq.* Lezan. *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 12. Dian. *par.* 9. *tract.* 7. *reſ.* 51. Sanchez *in Sum. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 22. *& ſeq.* & alii apud ipſos. Tandem Novarius *in Sum. Bullar. tom.* 2. *tit. de Clauſ.* ſuper Bullam B. Pii V. negativam ſententiam tenet, & adducit declarationem Saç. Congreg. Rituum

ſub

ſub die 3. *Septembris anno* 1628. quæ ait non licere Mulieribus comitari Proceſsiones,per Clauſtra Monaſteriorum Regularium, niſi adſit ad hoc expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ. Verùm Alphonſus de Leone, hoc non obſtante affirmativam ſententiam ſuſtinet *in tract. de Cenſ. recollect.* 4. *littera M. fol.* 360. 2. & reſpondet ad declarationem Sac. Congreg. à Novario adductam teſte Diana *par.* 7. *tr.* 12. *reſ.* 6. *in fin.* qui etiam addit, quod praxis ità obſervat, & ego quoque ità multis in locis practicari vidi; nam tale privilegium fuit conceſſum à B. Pio V. Congreg. Montis Virginis in Bulla, quæ incipit. *Decet Romanum Pontificem &c.* & per communicationem privilegiorum poſtea ab aliis Religionibus acceptata fuit. Adeſt etiam pro affirmativa ſententia quædam declaratio ejuſdem B. Pii V. vivæ vocis oraculo facta Card. Alexandrino, quā non eſſe revocatam à Greg. XV. & Urb. VIII. probat etiam Portellus *in Reſp. Moral. caſu.* 13. *num.* 13. apud Lezan. *loco cit.* quia dicti Pontificès ſolùm revocarunt ea vivæ vocis oracula, quæ continent novam gratiam, aut privilegium, non quæ continent declarationes. Vide etiam Peyrini *tom.* 1. *privil. Minim. in conſt.* 6. *Iulii.* 2. *n.* 12. *& ſeq.* Cœterum concludendum eſſe puto pro coronide hujus reſponſionis cum eodem Leza *ubi ſupra* quòd in his, laudabilis uſus retinendus erit, & abuſus vitandus. Vide Lantuſcam *in Theat. Regul. verb. Clauſtrum. num.* 1. *uſque ad* 4. *incluſivè*.

1686 Inter. 63. Ingredi Monaſteria exempta, cum debeat Confeſſarius Regularis, requiriturne etiam Epiſcopi licentia?

Reſp. Quænam ſint juſtæ cauſæ, quibus poſſit Confeſſarius licitè ingredi Monaſterium Monialium, late referunt Bonacina *de Clauſura quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 4. Barboſa *in Tridentin. ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regular. num.* 28. & alii penès ipſos. Vide ſupra *in tit.* 43. *de Confeſſariis Extraordinariis Monialium, ad Inter.* 2. Modò verò, ut ad Interrogationem reſpondeam, dico, quòd omiſſis auctoritatibus nonnullorum Doctorum, quos citat Diana *par.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 42. concludendum ſit cum ipſo Diana, ſcilicèt licentiam ingrediendi Monaſteria Monialium Regularibus ſubiectarum, dandam eſſe ab Epiſcopo, & à Superiore Monaſterii, & ità docet Pax Jordanus *tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 12. *num.* 43. & Gavantus *verb. Monialium Clauſura, in Addit. num.* 1. Immo ità declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur idē Diana, quam declarationem apud ipſum invenies, addens præterea, quòd non comprehenduntur Superiores Regulares, ſed tantùm Confeſſarii, & alii Miniſtri; nam in caſibus neceſſariis Superiores Regulares ingredi poſſunt ſine ulla Epiſcoporum licentia, & ità hìc Romæ practicatur, inquit ipſe Diana.

1687 Inter. 64. Religioſus à Religione expulſus, teneturne ſe corrigere, & emendare, ut iterum in Religionem admittatur?

Reſp. Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 60. cum aliis ab eo congeſtis, docet non teneri. Oppoſitum tamen, & tenendum, docent Corradus *par.* 1. *qu.* 285. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 1. *q.* 12. *art.* 3. Aragonius *in* 2. 2. *qu.* 88. *ar.* 3. Graffius *par.* 1. *deciſ. lib.* 3. *cap.* 5. *numer.* 147. Philiarchus *tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 21. Molina *de Juſtitia to.* 1. *par.* 1. *cap.* 23. *ſub num.* 12. & alii, quos ſequitur Sanchez *in Sum. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 25. & ratio eſt, quia ex vi voti obedientiæ, tenetur eſſe paratus ad obediendum Prælatis Religionis, quando ad ipſam fuerit revocatus, undè tenetur ſe emendare, morigeratè vivere, & ſe aptum reddere ad vivendum in Religione; nam licèt fuerit propter incorrigibilitatem à Religione ejectus, adhuc tamen tenetur ſervare vota in profeſsione emiſſa, ut docent præcitati Doctores. Em.

Sà *verb. Religio, num.* 40. & alii; & præterea quidquid acquirit, Monaſterio acquirit, ſi ſuam, vel aliam ingrediatur Religionem; quia, ſi aliàs in ſæculo decedat, bona ab eo acquiſita pertinent ad Cameram Apoſtolicam, ſtante quodam motu proprio Gregorii XIII. ut videre licet apud Sanchez *lib. 7. cap.* 32. *num.* 21. *&* 31. Dianam *par. 7. tr. 12. reſ. 4. propè fin. & par. 8. tr. 7. reſ. 2. propè fin.* Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 24. num.* 40. Cæterùm per ejectionem non annullatur ejus profeſsio, ſed ſolùm ſeparatur à communione, & conſortio Religionis, ut reſipiſcat. Vide ſequentem reſponſionem, & Layman *lib. 4. tr. 5. cap. 13. de Relig. eject. num. 6.*

1688 Inter. 65. Si Religioſus expulſus reſipiſcat, & emendetur, tenetur-ne Religio illum in eligionem admittere?

Reſp. Sanchez *loco prox. cit. lib. 6. cap. 9.* Dian. *par. 3. tract. 2. reſ.* 116. & alii penes ipſos dicunt, quòd non teneatur: Mihi tamen videtur dicendũ oppoſitum, quia ut dixi in præcedenti reſp. Profeſſio Religioſi ejecti non extinguitur, ſed tantùm impeditur, ſeù ad tempus à conſortio Religioſorum nè contagione peſtifera ſecum plurimos perdat; Ovis enim ſcabioſa à caulis eſt repellenda; quia morbida facta pecus totum corrumpit ovile, tamen profeſſio ad inſtar Matrimonii conſummati, indiſſolubilis, & ſemper integra manet, & firma; unde qnando evidenter conſtet, illum eſſe emendatum (quòd quidem probatur per ejus conſtantem triennalem laudabilem vitam, ut patet *ex cap. Ferrum diſt.* 50. & docent communiter DD.] Religio iterum illum admittere tenetur, imò, ſecundum aliquos, idem ejectus poteſt Religionem ad id cogere, quamvis licitè, ac legitimè fuerit à Religione expulſus; Nam ſi Religioſus ejectus tenetur ſe corrigere, ut iterum in Religionem admittatur, dixi in præcedenti reſponſione, quare viceverſa nõ tenetur Religio ad illum recipiendum, dũ emendatus redierit? Siquidẽ correlativorũ eadẽ eſt ratio, & ubi eſt eadẽ ratio, debet eſſe eadẽ Juris diſpoſitio; maximè quia Religioſi cõparantur cũ ſuis Prælatis, vt Filii cũ Parẽtibus; ulterà quòd cum jam correptus redeat, ceſſat cauſa eiuſdem expulſionem juſtificans; ceſſante namque cauſa ceſſat effectus, ut habent jura vulgata. ergò &c. Et hanc ſententiam tenent Molina *de Juſt. tom. 1. tract. 2. diſp.* 140. §. *Quo ad Votum*; Corduba *in Reg. S. Franc. cap. 2. quæſt. 71. punct. 2.* Leſſius *de Juſt. cap. 45. dub. 15. num.* 112. Layman *loc. prox. cit. num.* 7. & alii, & noviſſime Leza. *tom. 1. par. 1. cap. 23. num. 7. & 9.* qui inſuper docet, quod ità mandat Sac. Cong. ſub Urbano VIII. de anno 1624. die 21. Septemb. in Decr. *de Reg. Apoſt. & Elect.* dummodo in Religioſo expulſo ſubſit ſpes evidens emendationis; ergo multò magis ſi correctum eſſe conſtiterit; addo Ego: Concludendum eſt igitur teneri Religionem ejectum admittere, ſi emendatus redeat ſtante *cap. fin. de Reg.* confirmato, & innovato à Sac. Congregatione ſub Urbano VIII. §. poſtremò apud Lezanam *ubi ſuprà*, quod Sanchez, & alii pro oppoſita ſententia non viderunt.

1689 Inter. 66. Tempore Jubilæi poſſuntne Regulares confiteri extrà Religionem?

Reſp. Quamvis tempore Jubilæi concedatur facultas omnibus Chriſtifidelibus eligendi quemlibet idoneum Confeſſarium approbatum, tamen loquendo generaliter ſtante Decreto Clementis VIII. non poſſunt Regulares ſine ſuorum Superiorum licentia confiteri extrà Religionem, ut tradunt Miranda *in man. tom. 2. quæſt. 24. ar.* 15. Rodericus *in compend. qq. Regul. reſ.* 31. *num.* 26. Ugolinus *de offic. Epiſcoporum cap. 7. §. 2.* Homobonus *de examine Eccleſias par. 1. tract. 5. cap. 2. quæſt.* 13. Villalobos, Molfeſius, & alii, quos refert Barboſa *in Collect. ad Trident.* ſeſſ.

ſeſſ. 23. de reformaticne cap. 15. nu. 12. Dixi generaliter loquèndo, quia ut bene obſervat Bartholomæus à S. Fauſto *de Jubilæo extraord. lib. 4. quæſt.* 85. apud eumdem Barboſam *loco cit.* ſi in Bulla Iubilæi daretur facultas Regularibus expreſsè, ut eligere poſſint quemcumque Confeſſarium extrà Religionem, tunc nulla ſuorum Superiorum indigerent licentia, & conſequẽter poſſent confiteri extra Religionem cũ Cõfeſſario ſæculari, vel alterius ordinis, ut melius ipſis placuerit. Vide *ad Inter. ſequentem, & ad Inter. 1. tituli* 25. *de Bullis*, & præſertim Lezanã *tom. 1. cap. 19. num.* 29.

1690 Inter. 67. Regulares pro lucrando Jubilæo, tenenturne confiteri cum Confeſſario ab Ordinario approbato, vel ſufficit, quòd eligant Confeſſarium à ſuo Superiore dumtaxat approbatum?

Reſp. Duplex eſt Doctorum ſententia circa præſentem difficultatem: Nonnulli enim tenent ſufficere, quòd eligant Confeſſarium ex approbatis à ſuo Superiore, & pro hac ſententia ſunt Bonac. *de Sacr. diſp. 5. quæſt. 7. punt. 4. §. 1. num.* 25. Fauſtus de Jubilæis *extraord. lib. 4. quæſt.* 88. Lezàna *tom. 1. par. 1. cap. 19. num.* 19. nec diſſentit Diana *par. 2. tract. 17. reſ.* 47. Alii verò ſuſtinent oppoſitum, ut Lopez, Henriquez, Suarez, & Ledeſma, quos refert, & ſequitur Valerus *in differ. utriuſque fori differ. 1. in verb. abſolutio num.* 33. teſte Barb. in Triden. *ſeſſ. 23. de reform. cap. 15. num.* 14. & alii penes Dianam *ubi ſupra*, & probabilius putant Religioſos non lucrari Jubilæum, niſi peccatorum ſuorum confeſſionem faciant Sacerdoti ab Ordinario loci approbato; horum ratio eſt, quia in Bulla Jubilæi dicitur eligendum eſſe Confeſſarium approbatũ ab Ordinariis locorum, ut fatetur etiã ipſe Bonac. *ubi ſupra*, Filliuccius *to. 1. tract. 8. cap.* 10. Zerula *de pœnit. cap. 15. quæſt. 1. verſ. Dico quinto, & cap. 16. quæſt. 8. verſ. Dico tertio*, & alii: ultrà quod hæc poſterior ſententia eſt magis conformis voluntati Clement. VIII. ut paret ex ſua conſtitutione, ſupra allegata, ergo ab ea non eſſe recedendum puto, nam eam amplexus eſt etiam ipſe Diana *par. 9. tract. 8. reſ.* 55. §. *Sic obiter quæro;* allegans Suarez, & Reginaldum: vide Suarez *in 3. par. tom. 4. diſp. 28. ſect. 6. n.* 11.

1691 Inter. 68. An Religioſus, qui vel ſumptibus Monaſterii, vel pecunia à Conſanguineis, aut ab Amicis accepta cum onere illam reſtituendi, facit imprimere aliquem librum à ſe cõpoſitum, poſſit licitè illius exemplaria, nulla ſoluta gabella, quocunque voluerit aſportare, & vendere, ad ſũptus factos reſarciẽdos, & aliquid ad ſuſtentationem ex honeſto labore acquirendum?

Reſp. Non eſt quidem indecens, aut prohibitum Religioſis, & Eccleſiaſticis perſonis, ut libri à ſe compoſiti imprimantur; Unde quando, præſertim Religioſus, non inũenit Typographum, qui propriis ſumptibus velit hujuſmodi libros imprimere, certũ eſt, ſervatis de Jure ſervandis, id ei licere, quia revera Auctores librorũ non ſunt, nec dici poſſunt Negotiatores; cum negotiatio ex communi Doctorum ſententia illa ſit, quando emitur aliquid, & immutatum in eadem ſpecie cariùs venditur; ità ut lucrum intendatur ex illa emptione prius facta; ut ego met firmavi *in tit. 149. de Negotiatione Clericorum, & Religioſorum, ad Int.* 8. & ut dixi eſt communis ſententia; ſed hoc non accidit in caſu noſtro, ergo &c. Unde Paſqualigus *in qq. Canon. centen. 1. quæſt. 73. num.* 2. rectè quidem probat, quòd libros imprimere, & vendere non ſit negotiatio propriè dicta, quæ ſit prohibita Clericis, & Religioſis; nec diſſentit Pellizarius *in Man. Regul. tom. 2. pract. 6. cap. 10. num.* 19. & alii multi, & bene; nam comprobatur quotidiè, experientia ipſa docente, uſu, & conſuetudine communi Cordatorum hominum

minum, dum ut plurimum Religioſi, atque Eccleſiaſtici, ut eorum libri imprimantur, & pro bono communi vendantur, defatigantur, videntibus, nec non permittentibus Superioribus, quod eſt ſignum manifeſtum, non eſſe negotiationem, ut quidam dicunt; ſed potiùs honeſtum artificium, & eorum induſtriam; quæ ſanè licita, & permiſſa eſt per ſacros Canones, & docent Doctores, quos Canones, & Doctores citavi *in tit.149.de Negotiatione Clericorum, & Religioſorum, ad Int.* 1.Inſuper probatur aſſertum;Nam officium docendi non ſolùm non eſt alienum à Sacerdotibus,& Religioſis; ſed eſt proprium ipſorum munus; ergo dum libros imprimunt ſuos, alios docent, conſequenter ad communem utilitatem laborare dicuntur; quare duplici honore honorandi ſunt ab Eccleſia, dum laborant verbo, calamo, & doctrina, & Eccleſia ipſa plurimum indiget talium opera, & labore, ut per ſe patet; cum ignorantia ſit mater errorum. Sequitur ergo non eſſe illorũ libros gravandos gabellis; quod quidem eſt certiſſimum loquendo de gabella impoſita à Principibus Sæcularibus, qui nullam poteſtatem habent obligandi Eccleſiaſticos; patet *ex cap. quamquam 4. de cenſib.in 6.cap. Adverſus 7. & cap. non minus de Immun. Eccleſ.* Nam Clerici,& Religioſi,eorumque bona ſunt exempta à legibus, & juriſdictione Laica; nec ullo modo teneātur ſolvere gabellas;Imò illas ab eis exigentes incidunt *in Excom. Bull.Cen. Dom. quæſt.* 18. ibidē contenta, Hanc autem exemptionem, quam habent perſonæ Eccleſiaſticæ nō ſolvendi gabellas, eſſe de Iure Divino, & humano docent communiter Canoniſtæ, & plures Theologi, quos cumulant Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 1. & Stephanus à S. Gregorio *lib.* 1. *de Contractibus cap.* 16. *num.* 3.& habetur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, & expreſsè dicitur in Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de Refor. cap.* 20. ubi ſic habet. *Perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam eſſe &c.*Et ego ipſe jam docui *in tit. de Eccleſiæ immunitate, ad Int.* 53. Itaque dicendum eſt cum Paſqualigo *loco ſupra cit. quæſt.* 73. *per totam*, poſſe Religioſos in caſu noſtro aſportare, ac vendere quocumque voluerint libros impreſſos à ſe compoſitos, abſq; onere ſolvendi gabellas, quia poſtquā exemplaria fuerint ab impreſſoribus Auctori conſignata, meritò enumerantur inter Religioſorum, & Eccleſiaſticorum bona, quæ exempta ſunt ab omni onere gabellarum; Nam ut rectè docet Em. Sà *verb. Gabella n.* 13. Clerici non tenentur ad gabellam cōtractuum,niſi negotientur, ſicut nec de patrimonio ſuo, idem aſſerit Lezana *tom.* 2. *eodem verbo ſub num.* 19. & alii communiter. Patrimonium autem Religioſorum eſt virtus, ſcientia, & probitas morum; unde ſi vendunt fructus hujus optimi patrimonii, ſcilicet ſcientiam, & doctrinam, ſeù dona ſpiritualia intellectus ſpeculativa, vel practica,non ſunt negotiatores, quia tales fructus,ſeu partus intellectus merentur potius præmium, & non onus gabellarum; Nam merentibus virtutũ merita tribuere convenit, ut ex diverſis Juribus apud Peyrinum videri poteſt *tom.* 2. *de Prælato, quæſt.* 2. *cap.* 2. *num.*74.& 75. quia omnis labor optat præmium; ſicque Doctiores licitè carius vendunt opera ſua, ut inquit Em. Sà *verb. venditio num.* 2. & rectè dicit; Nam conſilium peritioris, vel artem publicè profitentis præſtantius æſtimatur, etiamſi minori labore, majoriq; facilitate,& celeritate præſtetur, quàm conſilium alterius minus in arte periti, vel eam artem non publicè profitentis. Concludendum eſt ergo, quod ſicut, qui vendit fructus ſui Patrimonii non tenetur ſolvere gabellas, ità, neque qui libros à ſe compoſitos, licet impreſſos, ad docendum alios vendat illas ſolvere teneatur Principibus Sæcularibus, aut eorum Miniſtris, quia

ipſo-

Digitized by Google

ipſorum leges nullā vim habent obligandi Eccleſiaſticos. Si verò loquamur de gabella impoſita à poteſtate Eccleſiaſtica, cum ſimus ipſi ſubiecti, omninò obtemperare nos convenit, quamqnam ut verum fatear, niſi aliter ferat juſta cauſa, bonum eſſet, ut etiam Superiores Eccleſiaſtici, Auctores hujuſmodi Religioſos, præſertim ob paupertatem, quam profitentur in Religione, ab hoc onere exemptarent, & & eo magis quia, ut docet Em. Sà *verb. Gabella num.* 10. & alii, Deputati ad exigendum poſſunt diſſimulare cum pauperibus, quando non habent, unde ſolvant. Ità pro veritate, & conſcientia reſpondendum duxi, ſalva &c.

1692 Inter. 69. Peccanrne mortaliter Religioſi ludendo ludis prohibitis?

Reſp. Si peccant mortaliter Clerici Sæculares, quando ſæpè his ludis ludunt, ut videre licet apud Dian. *par.* 4. *reſol.* 183. & *par.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 4. à fortiori idem dicendum eſt de Religioſis Clauſtralibus, quibus magis indecens eſt, & ſcandaloſior aliis, ludus chartarum, & taxillorum, & præcipuè id procedit de Religioſis illarum Religionum, in quibus Regularis diſciplina viget, ut eſt Societas Jeſuitarum, Theatinorum. S. Franciſci Reformatorum, Capuccinorum, Diſcalceatorum, S. Thereſiæ, & noſtra Diſcalceatorum S. Auguſtini Religio, & aliæ ſimiles, de quibus major eſt opinio in Populo de ipſorum obſervantia, & ſanctitate; & ubi hujuſmodi ludi prohibiti, ipſa nomina ſunt penitus interdicta. Scio aliquos Doctores docere, non peccare mortalitèr Religioſos illarum Religionum, in quibus hujuſmodi ludi jam uſu recepti ſunt, ſaltem cum aliqua moderatione, abſque pravo exemplo Sæcularium, & ob ſolam animi recreationem; tamen ipſi videant. Lege Dian. *loco ſupra cit.* qui alios Doctores congerit circa hanc difficultatem. Cœterum nota eſſe communem ſententiam Doctorum teſte Leza. *tom.* 2. *verb. ludus ſub num.* 4. Eccleſiaſticos, & Regulares frequenter vacantes hujuſmodi ludis chartarum, & taxillorum etiam ſecluſo ſcandalo, peccare mortalitèr; & quamvis ſemel in hebdomada luderent, quia dicitur frequens ludere, & conſuetudinarius, qui ſemel in ſeptimana ludit. Vide etiam Tolet. *lib.* 5. *cap.* 27. *n.* 3. qui ait: rariſſimè licere Clericis tales ludos, ac proindè multò minus Religioſis; Addo ego, & præſertim per ea, quæ docet idem Leza. *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 6. *num.* 51.

1693 Inter. 70. Poſſuntne Regulares eſſe ſuſceptores, ſeù Patrini in Sac. Baptiſmi, vel Confirmationis.

Reſp. Quod Religioſi ſuſceptores ſeù Patrini eſſe non poſſint, deducunt aliqui ex *cap. non licet*, *cap. Monachi, de conſecr. diſt.* 4. & *ex cap. placuit communi*, 16. *quæſt.* 1. qui canones licèt loquantur de Monachis dumtaxàt, tamèn Rituale Romanum titul. de Patrinis, hanc prohibitionem ad omnes alios Regulares extendit, ait enim; *Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, nec alii cujuſvis Ordinis à ſæculo ſegregati*; & pro hac ſententia ſunt Sylv. *verb. Baptiſmus quæſt.* 5. Navar. *lib.* 3. *tit. de ſtat. Monach. conſ.* 10. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 4. Vivaldus *in Candel. aur. tit.* 2. *de Bap. n.* 29. Em. Sà *verb. Bap. n.* 9. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 60. *n.* 19. & 21. & *in Sum. lib.* 6. *c.* 6. *n.* 24. Rodriqu. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 18. *art.* 3. Layman *lib.* 5. *tr.* 2. *de Sac. Bapt. c.* 9. *n.* 3. Bonac. *de Matrim. q.* 3. *p.* 5. §. 2. *n.* 23. Lezana *to.* 1. *par.* 1. *c.* 9. *n.* 31. Alloza *in Sum. verb. Patrinus*, Barboſa *de officio Parochi c.* 18. *n.* 31. Pax Jordanus *to.* 1. *lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 63. qui teſtatur de communi: Cauſam verò finalem hujus prohibitionis dicunt eſſe periculum incontinentiæ ex nimia familiaritate proveniens, & ideò, quod dictum eſt de Regularibus, ex identitate rationis dicendum eſt etiam de Clericis Sæcularibus, præſertim in Sacris Ordinibus

Digitized by Google

nibus conſtitutis,quià licèt jura de eis nihil diſponant, tamèn cum debeant, & ipſi evitare Mulierum familiaritatem, cohabitationem, & conſuetudinem, ut habetur *c. Interdixit cum duobus ſeqq. diſt.* 8. & ex aliis juribus, & DD.citatis à Pace-Jordano *to.1.lib.1. tit.17.ſub n.* 11. Quare nec ipſi munus Patrini præſtare debent, nec Epiſcopus debet illos admittere, ut ait idem Pax-Jordanus eodem *to.1. lib.3. tit.2. n.66.* & alii: Verum eſt tamen, quod poteſt Epiſcopus cum eis diſpenſare, & de facto pluries diſpenſaſſe memini, cum non ſit contra Jus Canonicum Clericos Sæculares ad munus Patrini aſſumere; Ita nèc contra jus eſt,ſi ad officium Patrini admittantur Regulares, præſertim ex Ordine Mendicantium (exceptis dumtaxat Minoribus S.Franciſci,quibus interdicitur in Regula *c.11.*) nam Religioſi Mendicantes minimè comprehenduntur Sacrorum Canonum prohibitione, nec nomine Monachi in odioſis veniũt Mendicantes; Non immeritò igitur doctus Coninchus 3. *par.q.* 67. *art.*7. *nu.*56. abſolutè dicit ſecundum Sacros Canones citatos;prohibitionem ibidem contentam afficere dumtaxat Monachos ſolitarios, qui ex primario inſtituto ſolitudinem colunt,& ſibi ſoli, & non aliis vacant, ut Religioſi ex Ordine Mendicantium,& hanc ſententiam ſequuntur Camerota *de Sac. tr.* 2. *c.* 4. *dub.*8. Buſenbaum *lib.6.tr.2. c.1. ar.2. fol. mihi* 511. Alloza *in Summ. verb. Baptiſmus n.* 17. qui citat Quintanadvenas,Carpanus *Inſtit.JurisCan.lib.2. tit.*4. *§.Illud commune*, nèc diſſentit Paſſerinus *de Statibus tom.* 2. *pag.* 28. *n.* 119. Vide DD., quos refert Diana pro hac noſtra ſententia *par.9.tract.6. reſ.*32. Poſita igitur tali ſententia,quæ quidem non levi fundamento nititur, concludendum eſt, Religioſos Mendicantes de ſuorum Superiorum licentia (non contradicente tamen Epiſcopo) licitè poſſe admitti in Patrinos, & ſuſceptores tàm in Baptiſmo, quàm in Confirmatione,& ita ſæpiùs practicari vidi hic Romæ, & alibi, permittentibus Superioribus,& Eccleſiarum Præſulibus, maximè quando nullum timetur incontinentiæ periculum. Vide ſuprà in *tit.162. De Patrinis,ad Int.1.*

1694 Inter. 71. Peccatne contra votum paupertatis Religioſus, qui licentiam generalem habet à Superiore expendendi pecuniam, vel donandi aliquid,ſi hęc expendat in uſus illicitos, & profanos?

Reſp. Negativam ſententiam conatur probare Diana *par.* 7. *tr.11. reſolut.* 22. tamen quidquid ipſe dicat, non eſt recedendum à communi, & vera ſententia, quæ aſſerit peccare mortaliter talem Religioſum contra votum paupertatis, quia nullus Superior, neque Supremus, poteſt illi hàc facultatem concedere, immò, nec totus Conventus: conſequenter non poteſt illi ſuffragari licentia tacita,vel præſumpta, cum neque expreſſa illi prodeſſe poſsit; nam licentia invalida, non eſt licentia. Ità docent Molina, Sanchez, Leſsius, Dicaſtillo, & alii apud eundem Dianam *loco cit.* quibus addo Bonacinam *in tr. de Largit. mun. diſp.* 3. *pun.* 6. *num.* 26 Lezan. *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 6. *ſub num.* 53. & alios penès ipſos. Imò ſi daret aliquid Meretrici, vel Paraſito, aut Mimo ob vanam delectationem, accipientes ab illo ea dona, tenentur ad reſtitutionem, utpotè accepta ab eo, qui diſponendi facultatem ad eos uſus non habet. Ità Bonacina, & Lezana *locis cit.* qui alios multos referunt, & ità tenendum eſt omninò.

1695 Inter. 72. Poſſuntne licitè Religioſi habere aliquid non neceſſarium naturæ, perſonæ, aut ſtatui, de licentia ſuorum Superiorum?

Reſp. Dico, quòd Superiores minimè poſſunt talem licentiam concedere, & lethaliter peccant concedendo; conſequenter non poſſunt habere aliquid ſuperfluum, aut non neceſſarium dicti Religioſi cujuſcunque Ordinis

dinis fine, aut Inſtituti, nam ſecundum tutiorem ſententiam Theologorum, nec ſæculares poſſunt habere ſuperflua, ergò multò minus Religioſi, qui votum paupertatis emittunt, & in *Clemen.* 5. *de ſtatu Monachorum*, illis expreſsè prohibetur omnis cultus, & ornatus pretioſus: & in Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 2. ſic habetur: *Mobilium verò uſus ità Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat.* Et tandem in decretis Clem. & Urb. VIII. pro reformatione Regularium ità expreſsè decernitur: *Fratrum veſtitus, & ſupellex Cellarum ex communi pecunia comparetur, & omninò uniformis ſit fratrum, & quorumcunque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniant, ità ut nihil ſuperflui admittatur, nihil etiam, quòd ſit neceſſarium alicui denegetur.* Et hæc omnia rectiſſimè ſancita ſunt, cum deratione voti paupertatis excludantur omnia ſuperflua, & ſolùm admittatur neceſſarium ſecundùm naturam, perſonam, ac decentiam ſtatus; Concludendum eſt igitur, Religioſos tuta conſcientia habere non poſſe vaſa aurea, aut argentea, gemmas, anulos, veſtes ſericas, pretioſas picturas, ſcriptoriola curioſa, & alia hujuſmodi pretioſa, quæ non ſolùm ſunt prohibita jure poſitivo, ſed etiam jure naturali ſcilicèt natura voti paupertatis, nulla in hoc ſuffragante Superioris licentia; quia non dicitur diſpenſatio, ſed diſſipatio, quæ ad nil aliud juvat, quàm ad Infernum citiùs deſcendere. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 6. *num.* 13. & 15. qui alios id aſſerentes adducit.

1696 Inter. 73. Quando Superiores, vel Monaſteria non dant Religioſis ea, quæ ſunt neceſſaria ſimpliciter ad individui ſuſtentationem, quid debent, & licitè facere poſſunt Religioſi in tali caſu?

Reſp. Jam me dixiſſe memini in *tit.* 175. *de Prælatis Regularibus, ad Int.* 20. teneri Superiores ex juſtitia alimenta præbere ſibi ſubditis, aliàs graviter peccant, quia præbent cauſam peculiis, ut docet Sylveſter *verb. Religio* 1. *qu.* 7. Sanchez *de Præc. Dec. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 21. Et in hoc inſuper dicti Superiores debent attendere neceſsitatem naturæ, quæ eſt communis omnibus, undè S. Thom. 2. 2. *qu.* 104. *art.* 5. rectè dicit, quòd in iis, quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, omnes ſumus pares; ſed quia neque omnes pares viribus natura efficit, conſiderare debent neceſsitatem perſonæ, quæ eſt particularis in ſingulis, ut ſi Religioſus eſt ſenex, vel juvenis, & ſanus, vel infirmus, delicatæ, vel debilis complexionis, &c. ac tādē omnes circūſtātias loci, officii, &c. nā ſi ad hæc omnia nō attēdant, eſſe non poſſunt prudentes diſpenſatores bonorum Conventuum: His ergò prænotatis, dico (quando Superiores, vel non poſſunt, vel ex malitia nolunt dare Religioſis ea, quæ ſunt neceſſaria ſimpliciter ad vitam,) licere ipſis clam, vel eis invitis, illa ſibi comparare, ſeù retinere, nam Superiores non poſſunt cogere ſubditos, ut careant neceſſariis ſimpliciter ad vitā, nec ipſi ad hoc ſe obligavere per profeſsionem. Ità refert deciſum Armendarix apud Barboſam *in Collect. DD. in Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 2. *n.* 16. Immo poſſunt in dicto caſu uſurpare ſibi neceſſaria ad vitę conſervationem ex bonis Monaſterii, abſque ullo peccato, ut ex Navarra, & Sayro docet Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 31. Nam ſolùm tunc peccarent contra votum paupertatis, & committerent furtum, quando de rebus non ſimpliciter neceſsariis, aliquid ſurriperent, ideoque caveant, ne prætextu neceſſariorum ſimpliciter ad vitam, minus neceſsaria etiam exquirant, quia ex voto paupertatis carere debent rebus aliquo modo neceſsariis, & penuria Conventus ab omnibus patienter eſt toleranda; Cęterùm neceſsaria ſimpliciter juxta poſsibilitatem Monaſterio-

riorum denegari non debent Religioſis, aliàs licitum erit illis, vel habere peculium, aut illa ſibi uſurpare, etiam invitis Superioribus, ut dixi. Vide ſupra *ad Inter.* 19. *tit.* 175. *de Prael. Regular.* & *ad qu.* 1.

1697 Inter. 74. Religioſus recipiens Miſſarum ſtipendia, quæ Prælatus non vult recipi, niſi à Sacriſta, vel Procuratore, peccatne mortalater, etiamſi dicat tales Miſſas?

Reſp. Peccat mortaliter peccato proprietatis, eo quòd recipit illa ſtipendia contra ſui Superioris beneplacitum. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *capit.* 6. *num.* 36. Immò committit peccatum furti, auferendo id, quod eſt Monaſterii, licèt etiam in hoc poſſit dari parvitas materiæ, ut in aliis furtis, & in aliis votorum tranſgreſſionibus, excepto voto caſtitatis, quia in rebus venereis non datur parvitas materiæ. Miſſæ autem dictæ à præfato Religioſo in caſu noſtro proſunt illis, quibus dictæ fuerunt, & non illis, quibus Superiores præcipiunt applicari, ut præter alios, docet Lezana *ubi ſupra capit.* 4. *num.* 35. & *cap.* 21. *ſub num.* 4. & ego jam breviter dixi in hoc titulo *ad Inter.* 9. & *in tit.* 34. *ad qu.* 5.

1698 Inter. 75. Quænam ſunt illæ pœnæ, quibus à jure puniuntur Religioſi Proprietarii?

Reſp. Ultra alias pœnas taxatas in Regula, vel Conſtitutionibus cujuſcunque Religionis, de jure communi proprietarius non poteſt ſepelliri in loco ſacro tempore mortis, ſed ſaltem cum parte pecuniæ per eum poſſeſſæ, debet in ſterquilinio ſepeliri: habetur *ex cap. Monachi*, & *cap. cum ad Monaſterium de ſtatu Monach.* Immò ſi fuerit ſepultus in loco ſacro, ſi abſque magno ſcandalo fieri poſſit, extrahendus eſt à dicto loco. Verum eſt tamẽ, quòd in tali caſu advertendum eſt id, quod in hoc titulo à me infrà dicetur *ad Inter.* 101. ſiquidem neceſſaria eſt certitudo moralis talem Religioſum deceſſiſſe proprietarium, quæ certitudo facile deſumi poteſt ex ejus ante acta vita, aut ex aliis conjecturis, cum ſolum dubium non ſit ſufficiens ad privandum illum ſepultura Eccleſiaſtica. Vide Peyrinum *de Relig. ſubdit. qu.* 2. *cap.* 2. §. 9. Barboſam *de Offic. Paroc. cap.* 26. *num.* 47. Item Proprietarius ſi fuerit de hoc crimine convictus per biennium voce activa, & paſſiva privandus eſt, ut decernitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 2. Non eſt tamen de jure communi excõmunicatus, ut putant quidam, quia nullibi talis excommunicatio reperitur expreſſa, niſi in quibuſdam Conciliis Provincialibus Colonienſibus, licèt debeat à communione Altaris removeri, & tandem quia expelli nunc nõ poteſt à Religione, ut patet ex *cap. fin. de Regul.* jubetur talem Religioſum deputandum Monaſterii ergaſtulo, quo pœnitentiam agat. Ità aliis allegatis tradit Lezana *par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 59. Ubi præterea notat hujuſmodi pœnas non incurri, niſi ſolùm ab illis Religioſis, qui retinent, vel poſſident aliqua contra voluntatem Superiorum, cum præcipuè ſint impoſitæ pro prædictis retinentibus, & non contra dantes aliquid ſine Superiorũ licentia, quamquam mortaliter peccent contra paupertatis votum, & reos ſe conſtituant pœnarum, quæ ſunt impoſitę in Bulla Clem. VIII. *de largit. mun.* Barb. *in Collect. ad Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul:* & *Monial. cap.* 2. *num.* 3. Lezana *loco citato num.* 80. *uſque ad n.* 86. & alii ab ipſo relati.

1699 Inter. 76. Quam pœnam incurrunt Religioſi procurantes Officia in Religionibus mediis favoribus ſæcularium, aut aliorum extra Religionem?

Reſp. Incidunt in pœnas, & cenſuras, quas refert Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 10. *num.* 17. & *cap.* 15. *num.* 27. & *cap.* 18. *num.* 82. nam longum eſſet recenſere prohibitiones factas à diverſis Summis Pontificibus circa hanc materiam, & pœnas contrafacientibus in-

inflictas. Vide ergò ſi libet, Lezanam *locis citatis*. Ambitio enim tanquam peſtis electionem fuit ſemper ſacris Canonibus exoſa; undè ſollicitantes electores per ſe, vel per alios pro ſua electione, faciunt ſe indignos; quia probantur ambitioſi &c. Vide *cap. cum poſt petitam, & cap. per inquiſitionem, de elect.* & ibi Panorm.

1700 Inter. 77. Clerici non exempti delinquentes in Monaſteriis Regularium exemptorũ, ſubjiciunturne pœnis ab Epiſcopo per ſtatutũ impoſitis?

Reſp. Hęc etiam eſt grandis quæſtio inter ſcribentes, ut ex infrà dicendis patebit. Dico ergò primò, quòd ſtatutum Epiſcopi non ligat ſubditos delinquentes extrà Diœceſim, quia jus dicenti extra Territorium non paretur impunè. *Cap. fin. de Conſt. in 6. leg. fin. de juriſd. omn. Judicum.* Sylveſt. *in ſumm. verb. lex, num. 6.* Vivald. *in Candel. aur. par. 4. cap. 5. n. 46.* Avila *de Cenſ. par. 2. cap. 3. diſp. 2. dub. 1. concl. 1.* Emm. Sà *verb. lex. numer. 32.* Bonac. *de cenſ. diſp. 1. qu. 1. pun. 11. num. 6.* Diana *par. 3. tract. 5: reſ. 74. & tr. 6. reſ. 78. in princip. & par. 5. tr. 9. reſ. 32. & 66.* Auſonius *in Summ. Diana, verb. lex, num. 10.* Bordonus *tom. 3. reſ. 78. n. 8.* Bontempius *in Faſcic. flor. mor. tr. 2. de legib. tit. 9. num. 79.* & alii commun. Ratio eſt, quia ſtatuta Territorialia, Diœceſana, ſeù localia, extra Territorium, Diœceſim, & locum non obligant: His ergò prænotatis, dico 2. Delinquentes Clericos non exemptos à juriſdictione Epiſcopi, non ſubjici pœnis ab Epiſcopo per ſtatutum impoſitis, ſi in Monaſteriis Regularium deliquerint, & ratio eſt, quia licèt Monaſteria Regularium ſint in Diœceſi Epiſcopi materialiter, dicuntur tamen extra eam formaliter, quia cum ſint loca exempta quoad juriſdictionem Epiſcopi, ſe habent, ac ſi eſſent extrà Diœceſim. Siquidè locus exẽptus, & locus extra Diœceſim æquiparantur ex Gloſ. *in Clem. 1. de for. comp.* Jo. Andr. *in dicta Clem. verſ. quia nomine,* Megala *de Cenſur. lib. 1. c. 3. num. 36.* Rodriquez *tom. 1. qu. 36. ar. 3. in fine §. Primum,* Graff. *tom. 2. conſ. 2. diffic. 3. de pœnit. num. 6.* Sigiſmundus *de Bonon. de elect. dub. 15. num. 2.* quos refert, & ſequitur Bordonus *tom. 2. reſ. 7. num. 105. & tom. 3. reſ. 78. num. 58.* Bonacina *de Cenſur. ubi ſupra num. 8.* Naldus *in Summ. verb. exemptio num. 5. & verb. Statutum num. 16.* Zerola *in praxi par. 1. verb. excommunicat. cauſa mater. §. 4. verſ. 2. an ſubditus,* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 25. qu. 4.* Baucius *in Miſcell. caſ. conſcient. tom. 2. Opuſc. 3. qu. 269.* Pellizarius *in tr. de Monial. cap. 5. ſect. 4. nu. 190.* Peyrinus *mox citandus,* Paulus Squillante *de Privil. Cleric. cap. 2. dub. 6. num. 69.* Diana *par. 5. tr. 9. reſ. 66. & par. 10. tract. 14. reſol. 7.* ubi alios quoque refert pro hac, & contraria opinione, cui ipſe ſe ſubſcribit; Dicunt enim Ardverſarii, quòd Monaſteria Regularium non ſint loca exẽpta per ſe, & ratione ſui, ſed ſolùm ratione perſonarum, nempè in Ordine ad Religioſos dumtaxat: Et hi ſunt, Suarez *de Cenſur. diſp. 5. ſect. 4. num. 6.* Caſtropalao *par. 1. Oper. Moral. tr. 3. diſp. 1. punct. 24. §. 5. num. 30.* & alii plures, quos allegat, & ſequitur ipſe Diana *cit. par. 10. tr. 14. reſ. 7.* quanquam fateatur, quòd noſtra opinio ſua probabilitate non careat, & rectè quidem, nam eam ut probabilem docent non ignobiles Authores, inter quos ſunt Rodriquez, Bonacina, Squillãte, Bordonus *locis ſupracit.* & iterum Bordon. *tom. 2. reſ. 7. num. 4.* Sayrus *de Cenſur. lib. 1. cap. 1. num. 39. & 40.* Paſqualigus *in qq. Can. qu. 171. per totam,* Peyrinus *tom. 1. privil. minim. in addit. ad Conſtit. Pyrri cap. 2. ſub num. 2.* Henriquez *lib. 13. cap. 21. n. 2.* Emman. Sà *verb. Excommunicatio, numer. 12.* Avila *ubi ſupra dub. 5.* Prępoſitus apud Dian. *par. 5. tr. 9. reſol. 37.* Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 11. num. 19.* & alii plures: Tandem colligitur ex

Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *de reformat.* ubi ſic habetur: *Aut aliquo Monaſterio cujuſvis Ordinis*. Ex quo ſatis apparet Monaſteria Regularium per ſe, & ratione ſui eſſe loca exempta à juriſdictione Epiſcopi. Vide Tridentinum *loco cit.*

1701 Inter. 78. Eſtne hoc idem dicendum de pœnis non ſolùm per ſtatutum impoſitis, ſed etiam de pœnis, quæ per ſententiam ab Epiſcopo imponuntur?

Reſp. Secundùm probabilem aliquorum Doctorum ſententiam idem dicendum eſt, & pro hac ſententia eſt Avila *de Cenſur. par.* 2. *cap.* 3. *diſp.* 2. *dub.* 2. *concl.* 1. & pro ſe citat Covarr. Panorm. *& cap. ut Animarum de conſt. in* 6. & licèt ibi duntaxat fiat mentio de excommunicatione per ſtatutum generale impoſita, tamen inquit Avila, quòd ratio textus æqualiter militat de excommunicatione lata per ſententiam ſpecialem, & ità etiam tenet Sylveſter, Coninch, Alterius, & alii, quos citat, & ſequitur Bonacina *de Cenſur. diſp.* 1. *qu.* 1. *pun.* 11. Bordonus *tom.* 3. *reſ.* 78. *num.* 54. *& ſeqq.* nec diſſentit Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 74. & alii ibi allegati, quamvis etiam alios pro contraria ſententia referat; Ego utramque ſententiam ſatis probabilem eſſe exiſtimo contra Dianam *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 32. §. *Notandum eſt*; ſed rationes apud Avilam, Bonacinam, & Bordonum *loc. cit.* quia brevitatis gratia eas adducere prætermitto.

1702. Inter. 79. Valetne Epiſcopus vigore Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *capit.* 14. carcerare Regularem notoriè extra Clauſtra delinquentem, atque contra eumdem formare proceſſum, conſignandum Prælato Regulari, ut dictum Religioſum puniat?

Reſp. In caſu, quo timeatur fuga talis Religioſi notoriè delinquentis, puto, quòd poſſit Epiſcopus illum in carcerem conjicere, dummodò ſine mora, ſumpta informatione delicti, ad ſuum Superiorem puniendum remittat, aſſignando ei terminum ad puniendum delinquentem, quod ſi Superior illum non puniat intra tempus ab Epiſcopo aſſignatum, officio privari poteſt, & delinquens ab eodem Epiſcopo puniri, ut ex eodem Concilio ſupra citato habetur. Cęterùm non videtur tutum poſſe Epiſcopum formare proceſſum contra dictum delinquentem, ut putant Naldus *in Summ. verb. Epiſcopus num.* 28. Portellus *in Addit. ad dub. Regul. verb. punitio Religioſi extra Conventum num.* 17. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. por.* 3. *allegat.* 105. *n.* 19. & alii. Siquidem neceſſarius non eſt proceſſus juridicus, quoties conſtat delictum fuiſſe notorium, & nulla poſſit tergiverſatione celari; undè ſufficit quod Ordinarius inſtet per litteras Prælatum Regularem, certiorando illum de Subditi delicto, ut puniat, nec opus eſt formare proceſſum, cum ex defectu juriſdictionis nullus quidem erit, ut benè probat Rodericus *in compend. qq. regul. reſp.* 62. *num.* 8. qui etiam reſpondet ad argumenta contraria, & ad declarationes Sacr. Congregationis, quas pro ſua tuenda ſententia adducit Barboſa *loc. cit.* & ab hac noſtra ſententia non eſſe recedendum docet Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 132. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 16. *num.* 26. *&* 27. *& cap.* 11. *num.* 8. *& tom.* 2. *verb. Delinquens Regularis*: Doctores de hac re tractantes latè refert Barboſa *in Collect. ad Trident. ea ſeſſione* 25. *de regular. cap.* 14. *per totum*, ubi plura videri poſſunt ad hoc propoſitum.

1703 Inter. 80. Regularis cum ſcandalo intrà Eccleſiam delinquens, debetne ad inſtantiam Epiſcopi puniri? & ſi à ſuo Superiore non puniatur, poteritne ab Epiſcopo puniri, ut dixi in præc. reſponſione?

Reſp. De hoc ego non dubito ſibi vendicare locum, ut ſupra in præcedenti reſponſione firmavi; ſecùs autè ſi intra Clauſtra delinquat Religionis, licèt delictum generet in populo ſcanda-

dalum; nam per hoc non poteſt Epiſcopus inſtare, ut puniatur à ſuo Prælato, nec in caſu negligentiæ ipſius, delinquentem punire, ut rectè obſervat ex aliis idem Barboſa *loc. pro. cit. num. 3. & 6.*

1704 Inter. 81. Regulares poſſuntne inconſulto Parocho Sanctiſſimam Communionem per modum Viatici, & extremam Unctionem, in mortis periculo conſtitutis, abſque ulla pœna conferre?

Reſp. Licèt ſit prohibitum Religioſis ſub pœna excommunicationis Euchariſtiæ Sacramentum, & extremam Unctionem, ſine Parochi licentia miniſtrare, ut habetur *in Clem. 1. Religioſi de privil.* & docent Sylveſt. *verb. Excommunicatio 7. n. 31.* Jacob. Mancinus *pract. 8. dub. 9.* Lezana *to. 1. par. 1. cap. 9. num. 31. & cap. 18. n. 10.* Fagnanus *in cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. num. 68.* & alii communiter: Tamen abſente Parocho, & neceſſitate urgente, quivis alius Sacerdos, etiam Regularis licitè poteſt, imò ex charitate tenetur præfata duo Sacramenta in periculo mortis conſtitutis miniſtrare, tum ſub ratihabitione Parochi, vel Epiſcopi, tum etiam Summi Pontificis, ſi fortè de iniqua Parochi voluntate conſtaret. Ità de communione per modum Viatici in dicto caſu miniſtrāda à Regularibus tradunt Suarez *tom. 3. diſp. 72. ſect. 3. col. 8. verſ. Sed quæres* Rodericus *in Compendio qq. regul. reſol. 126. num. 3.* Barthol. ab Angelo *de Euch. dialog. 4. §. 178.* Emman. Sà *verb. Euchariſtia num. 4.* Card. de Lugo *de Euchariſt. diſp. 18. ſect. 2. n. 53* Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 21. num. 8. & tom. 2. verb. Euchariſt. num. 4.* Bordonus *tom. 2. reſ. 20. num. 22.* Diana *par. 5. tr. 3. reſ. 51. & in Summ. verb. Communionis Miniſter num. 79.* Pax, Jordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 31.* Angelus à Lantuſca *in Theatro regul. verb. Euchariſt. num. 8.* Caſſianus à S. Elia *in Arbor. Opin. moral. verb. Articulus mortis §. 4. ſub num. 18.* Paſſerin. *de ſtatibus tom. 2. qu. 187. ar. 1. n. 981.* & alii apud ipſos. Et hoc quod dictū eſt de Euchariſtia, dicendum eſt etiā de extrema unctione, ſcilicèt deficiente Parocho, & periculum ſit in mora, poſſe hoc Sacramentum à quolibet alio Sacerdote licitè conferri, ut docent Sotus *in 4. diſp. 23. qu. 2.* Cajet. *in Summ. verb. Excommunicatio cap. 64.* Emm. Sà. *verb. Extrema Unctio num. 8.* Rodericus *loco ſupracit. reſ. 141. ſub num. 1.* Barthol. ab Angelo *de extrema unctione, dial. 3. §. 149.* Barboſa *de Offic. Parochi, cap. 22. num. 6.* Pax Jord. *loco cit. lib. 3. tit. 5. num. 8.* Lezana *tom. 2. verb. Extrema unctio, numer 1.* Diana *par. 3. tr. 4. reſ. 170. & par. 5. tr. 3. reſ. 82.* Buſemb. *lib. 6. tr. 5. c. 1. de Extrema unctione.* Caſſianus à S. Elia *ubi ſupra §. 9. num. 126.* & alii pænès ipſos, & tandem de utroque Sacramento loquitur Mancinus *ubi ſup. dub. 10.* & Bordonus *tom. 2. reſol. 20. num. 23.* Sed vide omninò ſequ. reſp. in fine.

1705 Inter. 82. Quid facere debent Regulares in ſupradicto caſu, ſi Parochus prohibeat, vel dum præſens eſt, non vult adminiſtrare dicta Sacramenta, nec licentiam alteri concedere?

Reſp. Dico quòd debent ipſi conferre ea Sacramenta, etiam reſiſtente Parocho, nolente, aut irrationabiliter prohibente, & ſi ipſe præſens eſt, & nolit miniſtrare, aut licentiam miniſtrandi concedere, cenſetur abeſſe, & præſumitur in tali caſu, Eccleſiam licentiam concedere, quia cum Eccleſia ſit pia Mater, Infirmum in mortis periculo non cenſetur his Beneficii deſtituere. Ità Emman. Sà, Diana, & Buſembaum *locis ſupracitatis*, idem docet Layman *tom. 2. lib. 5. tr. 4. c. 7. ſub num. 2.* Et tandem ad omne dubiū tollendum, eam licentiam conceſſit Syxtus IV. non ſolùm Minoribus S. Franciſci, ſed etiam Patribus Ordinis Prædicatorum, Eremitanis Sanct.

Auguſtini, & Carmelitis, teſte Roderico *loco prox. cit.* qui refert Suarez *de Cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 4. *num.* 10. Mirãdam *in Manual. Prælat. to.* 1. *qu.* 42. *art.* 3. *concl.* 1. favet etiam Rodriquez *tom.* 1. *qq. regul. qu.* 56. *art.* 5. & Peyrinus *tom.* 1. *privil. Minim. in Conſtit.* 26. *Leonis X.* §. 7. *num.* 15. *& in Conſtitut.* 1. *Julii II.* §. 37. & ratio ipſa ſuadet, nam licèt iſta duo Sacramenta non ſint ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, ut eſt pœnitentia, ſunt tamen taliter neceſſaria ſecundùm quid, quòd meritò æquiparantur ſimpliciter neceſſariò, ſiquidem valdè utilia ſunt ratione effectuum, quos producunt in Anima. Vide Jacobum Mancinum *pr.* 7. *dub.* 10. Sed adverte Leonem X. Conſtitut. *Dum intra*, ſtatuiſſe, quòd Regulares Euchariſtiæ, & extremæ unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta illis, quorum etiam Infirmorum, ac decedentium Confeſſiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa ſibi dare denegaſſe, dare nequeant, niſi denegatio ſine legitima cauſa facta vicinorum, teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario publico, facta doceretur.

1706 Inter. 83. Tenenturne Religioſi eſſe perfecti, vel actu tendere ad perfectionem, aut ſufficit, quod habeant intentionem proficiendi?

Reſp. Religioſi non tenentur ſub reatu peccati mortalis eſſe perfecti, quia non profitentur ſe eſſe perfectos, ſed habere ſtudium ad perfectionem conſequendam, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 2. *ad* 1. neque tenentur actu tendere ad perfectionem; nam aliàs quando deſinerent actu tendere, committendo peccatum veniale, peccarent mortaliter, quod non eſt dicendum, quia Religio eſſet laqueus: ſufficit ergo quod habeant intentionẽ proficiendi, dando tamen operam intentione, vel habitu ad perfectionem. Sylveſter *verb. Religio* 2. *num.* 3. Prætereà nec tenentur Religioſi niti, aut tendere ad perfectionem per omnia opera conſiliorum, aut ſupererogationis; ſed ſolum per illa, quæ ſunt ſecundum regulam, & obſervantias ſuæ Religionis, ut bene notat ipſe Sylveſter *loco cit.* Sanchez *in Sum. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 2. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 5. & ante illos S. Thomas *ubi ſupra*. Verum ſi Religioſus contemnit ea, quibus venitur ad perfectionem, peccat mortaliter contra præceptum procurandi perfectionem. Ità quoque mortaliter peccat, quando traſgreditur Regulam (quamvis ad nullam culpam obliget) eo fine, ut impediat perfectionem; Itẽ ſi firmiter ſtatuit apud ſe nullo modo curare de perfectione ſui ſtatus, aut ſi in animum inducit non progredi ad vitæ perfectionem, ut ſi diceret: nolo ad perfectionem tendere; quia in hoc deficeret à fine ſuæ profeſſionis. Et tãdem lethaliter peccaret, quando ejus pravo exemplo ad depravatam vitam, vel relaxationem Regulæ alios induceret. Vide Lezanam *loco cit. num.* 10. *ubi num.* 11. addit, quòd Religioſus, qui habet propoſitũ operandi contrà omnia ſtatuta ſuæ Religionis, vel præcipua, ut ſunt orationis, ſilentii, Jejunii &c. peccat mortaliter; licèt illa ſtatuta, ſeù conſtitutiones ad culpam mortalem non obligent, & ratio eſt, quia talis Religioſus eſt pernicioſus Religioni ſuo pravo exemplo, & quãtum eſt ex parte ſua, veluti procurat deſtructionem ipſius. Denique poteſt peccare Religioſus contrà præceptum tendendi ad perfectionem, quando tranſgreditur leges ſuæ Religionis ex animo, aut voluntate non ſe ſubiiciendi illis, aut Superioribus præcipientibus; nam cenſetur tunc peccare ex cõtemptu; vel etiam poteſt contemnere perfectionem, & conſequenter mortaliter peccare, & eſt quando Religioſus omnia media ad illum finem ſibi vult abdicare quantum in ſe eſt, & ſolum cavere à mortalibus, quia nollet abſtinentias, nec vigilias, nec paupertatem,

ſtatem, & hujuſmodi. Cæterum ſic concludendum puto cum Sylveſtro ubi ſupra in fine, ſcilicèt quamdiù Religioſo placet ſibi unum medium, quo tendat ad perfectionem, non eſſe extrà ſtatum ſalutis, quia licèt teneatur ad intentionem tendendi, non tamen currendi ad perfectionem, quale aſſertum mihi valdè conſolatorium, videtur pro Religioſis timoratis, & ſcrupuloſis. Vide Armillam *verb. Religio num. 3. 11. 12. & 13.*

1707 Inter. 84. In generali prohibitione, qua Epiſcopus præcipit, ne aliquis exorcizet ſine ejus licentia, comprehenduntúrne Regulares?

Reſp. Non comprehendi, docent Portellus *in Addit. ad dub. Regul. verb. Exorciſmus*, Diana *par. 3. tr. 2. reſ. 36.* Lezana *par. 1. tom: 1. qq. Regul. cap. 11. num. 21.* & alii, & ratio eſt, quia Regulares non ſunt ſubditi Epiſcopo, & aliàs ratione Eccleſiaſtici Ordinis; quem habent, id eſt eis permiſſum, cum jure communi prohibitum non ſit; ſed adverte cum Matthæo Renzi *tom. 2. tract. 7. de Sacr. Ordin. cap. 3.* non quélibet Exorciſtam poſſe Exorcizare; Quia licèt habeant poteſtatem Ordinis, non habent tamen poteſtatē juriſdictionis, niſi ab Epiſcopo eis cōcedatur, quæ hodie ſolis Sacerdotibus concedi ſolet. Vide Emm. Sà *verb. Ordo num. 9.* Quare Nicolius *in floſc. verb. Exorciſmus ità habet.* Non placet, quòd Regulares exorcizent ſine licentia Ordinarii, qui id eis prohibere debet 1625. *Fiorenza 22. Febr. 39.* Dicendum igitur, Regulares comprehendi in caſu noſtro.

1708 Int. 85. Regulares poſſuntne exibere Communionem Chriſti fidelibus pro adimplendo præcepto Eccleſiæ de communicando in Paſchate? aut ſaltem ſuis famulis?

Reſp. Non omnibus ad ipſos confluentibus in Paſcha poſſunt miniſtrare hoc venerabile Sacramentum, ut patet expreſsè ex Gloſ. *in Clem. Religioſis de privileg.* & in hoc omnes Doctores conveniunt. Vide Sylveſt. *verb. Excommunicatio 7. num. 31.* Navar. *in Man. cap. 21. num. 52.* Tolet. *lib. 6. cap. 17. num. 1.* quibus adſtipulatur Jacobus Mancinus *pract. 8. n. 9.* & infra ad Inter. ſeq. Cæterum Communionem Paſchalem exhibere poſſunt peregrinis, viatoribus, & degentibus in aliena Parochia, caſu, quo ad propriā Parochiam commodè accedere nequeant, ſic etiam aliis Regularibus, vel quia diſtant à ſuis Conventibus, vel quia à Proprio Prælato licentiam habent. Ità docent Layman *t. 2. lib. 5. tract. 4. cap. 7. ſub num. 3. verſ. Quod verò attinet, propè finem.* Diana *par. 4. tract. 2. reſol. 12.* Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 21. num. 8. & tom. 2. verb. Euchariſtia num. 6.* Mancinus *ubi ſup. dub. 11.* & iterum Diana *loco mox citando*. Paſſarinus tamen *tom. 2. de ſtatib. art. 1. num. 979.* & alii, oppoſitum ſentiunt; Qui Paſſarinus valide id probat, & cōcludit ſic. *Non poſſunt igitur Regulares in Paſchate præbere communionem peregrinis, & advenis extra propriam Parochiam exiſtentibus, niſi de licentia Parochi in cujus Parochia de præſenti habitant, aut Parochi Cathedralis, aut alterius Eccleſiæ, juxta morem, & leges Patriæ.* Poſſunt tamen ipſi Regulares ſuos familiares, & famulos Sæculares, qui in eorum Monaſteriis degunt, & ſunt commenſales, Communicare in Paſcha ad ſatisfaciendum præcepto. Ità Layman. *loco cit. ſub numer. 5. verſ. Præterea, circa finem.* Pax Jordanus *tom. 1. lib. 3. num. 80.* Rodericus *ubi ſupra reſ. 228. n. 14.* Lezana *tom. 2. verb. Euchar. num. 8.* Diana *par. 10. tract. 11. reſ. 31. verſ. Nota etiam*, & alii contra Gavantum *in Man. verb. Euchariſt. num. 24.* & Em. Sa *eodem verb. num. 9.* ex quadam declaratione Sac. Congregationis, quæ mandat, Laicos, qui Regularibus inſerviunt, communicari debere in Paſcha in propria Parochia; tamen Lezana, & alii dicunt, hoc eſſe intelligendum de famulis earum Religionum,

num , non habentium privil.gium. Sed omnia privilegia mendicantium , etiam Jeſuitarum , communicantur ad invicem , ut aſſerit Diana *par. 3. tr. 2. reſ. 81. & par. 5. tract. 13. reſ. 46.* ergo &c. Ultra quod favet dictæ ſententiæ Sanchez *de Matrim. lib. 3. diſp. 23. num. 12.* Bonac. *de Sacr. diſp. 4. qu. 7. pun. 2. num. 10.* quos citat , & ſequitur Jacobus Mancinus *ubi ſupra pract. 8. dub. 9. verſ. Hoc autem* , & deducitur etiam ex *Clem. Religioſi de privil. §. Sanè.* Vide Bordonum *tom. 2. reſol. 20. num. 3. & ſeqq.* & Nicolium *in floſ. verbo Regulares num. 32.* & Leandrum apud Dianam *par. 9. tract. 9. reſol. 36. in fine.*

1709 Inter. 86. Poteſtne Epiſcopus prohibere Regularibus , nè miniſtrent Sacram Euchariſtiam fidelibus in die Paſchatis ?

Reſp. Plurimi Doctores docent poſſe Regulares communionem præbere eo die Reſurrectionis omnibus illis Chriſtifidelibus, qui præcepto communionis Paſchalis ſatisfecerunt in die Jovis Sancti , vel intentionem habent ſequentibus diebus ſatisfaciendi , quia Summi Pontifices licèt excipiant communionem Paſchalem , tamen intelligi debent non materialiter , ſed formaliter , ſcilicèt , quòd præceptum annuæ communionis adimpleatur in propria Parochia , aut cum licentia Parochi in alia Eccleſia , ergo qui ſe præſentavit in die Jovis Sancti , jam præceptum implevit , vel qui intendit tempore congruo, nempè in die aliqua infra octavam Paſchatis, intendit præceptum adimplere , conſequenter nō apparet , quare non poſſint Regulares in die Paſchatis ſacram communionē præbere fidelibus , qui ob devotionem in eorum Eccleſiis communicare deſiderant. Doctores pro hac ſententia refert Diana *par. 4. tr. 4. reſ. 81. par. 9. tract. 9. reſ. 27. & par. 10. tract. 11. reſ. 31. verſ. Nota tamen* , & Barboſa *in Collect. DD. in Trident. ſeſſ. 13. cap. 8. num. 14.* Verùm his non obſtantibus dicendum eſt , nullum in die Reſurrectionis licitè ſumere poſſe Euchariſtiā in Eccleſiis Regularium de manibus ipſorum , ſine expreſſa licentia Parochi , etiamſi ſatisfecerint præcepto, vel propoſitum habeant ſatisfaciendi alio die ; nam in die Paſchatis nullo modo poſſunt Regulares hoc Sacramentum, neque ob devotionem fidelibus miniſtrare , quia in eorum privilegiis ſemper poſitum eſt, *excepto die Reſurrectionis Dominicæ* . Vide Sylveſtrum *verb. Excommunicatio 7. num. 31.* Navar. *in man. cap. 21. numer. 52.* Tolet. *lib. 6. cap. 17. num. 1.* quibus adſtipulatur Iacobus Mancinus *pract. 8. dub. 9. verſ. An eis.* Et ità declaraſſe Sac. Congr. plures teſtantur Auctores . Vide Baſſæum *verb. Communio ſacra num. 9. in fine* . Dianam *par. 6. tract. 7. reſol. 58.* Nicolium *in Floſc. verb. Regulares n. 30.* Barboſ. *de offic. Parochi cap. 20. n. 10.* Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 21. ſub n. 8.* Paſſerinum *tom. 2. de ſtatib. quæſt. 187. art. 1. ſub num. 965.* & tandem Dianā *par. 9. tract. 9. reſ. 27.* ubi refert declarationem Sac. Congregationis cum ſubſcriptione Innocent. X. qua conceditur Epiſcopis , poſſe Regularibus id prohibere . Sed Vide ad Inter. antecedentem .

1710 Inter. 87. Satisfacitne præcepto annuæ Confeſſionis , qui Confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato ?

Reſp. Non Satisfacit , nec oppoſitum dici poteſt , nam contraria ſententia reprobata fuit ab Alexandro VII. in ſuo Decreto edito die 24. Septembris anno 1665. & eſt, inter damnatas , propoſitio 13.

1711 Inter. 88. Quare tam ampla privilegia Regularibus conceſſa fuerunt, nam multis privilegiis fruuntur ?

Reſp. Buſebaum *lib. 3. cap. 1. de obſer. feſtorum dub. 4. fol. mihi 169.* ità loquitur . Inſpiciantur quæſo Bullæ Summorum Pontificum , in quibus reperiuntur motiva graviſſima , aut ſi nec inſpicere libet, recogitetur ſaltem De-

Digitized by Google

Deum ipſum, Innocentio III. dum vidit Lateranenſem Eccleſiam jam jam ruituram, oſtendiſſe eam ſuſtentari à S. Dominico, & Franciſco. Doctrina Chriſti in varias Orbis plagas nõne tranſlata eſt opera Regularium? Nam ſine eorum ſubſidio diù conſervata non fuiſſet in Germania, & alibi, aut ſaltem minùs floruiſſet. Præterea multa privilegia conceſſa fuerunt Regularibus in præmium laborum, quos paſſi ſunt, & quotidiè patiuntur pro S. R. E. defenſione, atque incremento; ipſorum enim ſanguine præcipuè madefacta, prætioſa facta eſt in oculis omnium, & ipſi ſunt qui portant pondus diei, & æſtus, pro Eccleſiæ defenſione, & incremento, ut Pontifices ipſi teſtantur. Ità Angelus à Lantuſca *in Theat. Regul. verb. Mendicantes n.* 4. Tandem Alloza *in Flor. ſum. verb. Religio diſp.* 1. *ſect.* 1. *num.* 15. *&* 17. ſic inquit, Religioſi omnes Mendicantes, & qui participant ex eorum Privilegiis, exempti ſunt à juriſdictione Epiſcoporum, hæc exemptio fuit illis conceſſa à Summis Pontificibus propter glorioſa obſequia à Religioſis Eccleſiæ facta, & propter injurias à Prælatis acceptas. Cœterùm Epiſcopi debent bene velle Regularibus, quià Religioſi coadjutores Epiſcoporum vocantur *in Clem. dudum, de ſepulturis*, & ità in facto eſſe debent, licèt reverà tales ſint, ut experientia docet.

1712 Inter. 89. Ad præſcribendum contra privilegia Regularibus conceſſa quale tempus requiritur?

Reſp. Privilegia Religionum, non tollunrur per non uſum, ſic nec per uſum contrarium, niſi per ſpatium quadraginta annorum, ut patet ex Innoc. III. *in cap. Accedentibus de privilegiis*. Immò requiritur ſpatium centum annorum ad præſcribendum contra eorundem privilegia ex conceſſione Eugenii IV. facta Patribus Sancti Benedicti, teſte Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 88. *& par.* 10. *tra.* 12. *reſol.* 52. Luca Fenech. *in Floribus caſ. conſc. in Addit. varia num.* 11. ubi plurimos citat Actores id aſſerentes. Vide Auſonium *in ſumma* Diana, *verb. Regularium privilegia num.* 17. & dicto Privilegio per communicationem potiuntur Religiones omnes communicantes in privilegiis cum eis, & de facto omnes Religiones habent inter ſe communicationem privilegiorum, ut pluribus citatis, & de communi teſtatur Diana *par.* 10. *tract.* 9. *de diſpenſatione cum Reg. illegitimis* §. *Verum, in fine*; nec poſſunt Religioſi renunciare favoribus, & privilegiis ſuæ Religionis communibus, ut deducitur *ex cap. Si diligenti de foro compet. & c. Cum tempore, de arbitr.* & ibi Panor. *num.* 2. & docet Barboſ. *Axiom.* 96. *num.* 2. & Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 29. & ſi ſecus facerent irritum foret, & graviter peccarent, quia injuriam facerent Ordini, & Eccleſiæ, nam privilegio dato à Papa, non poſſunt Religioſi renunciare ſine ejus licentia. Ita Em. Sà *verb. Gratia num.* 28. ſed pro hac reſponſione vide omnino Lezanam, *verb. Privilegium Religioſ. num.* 15.

1713 Inter. 90. Regulares poſſuntne licitè de licentia Parochi ſolemnitèr baptizare, & ſi hoc ſine licentia faciant quam pœnam incurrunt?

Reſp. Accedente Parochi licentia, quilibet Sacerdos, ſive ſit Sæcularis, ſive Regularis poteſt licitè ſolemnitèr baptizare; Nam licèt in *cap. placuit communi*, 16. *quæſt.* 1. præcipiatur Monacho ne baptizet, tamen hoc intelligendum eſt in caſu, quod licentiam non habeat: Gloſ. enim in dicto *cap. placuit, verb. Negotiis* explicat ſic, *niſi jubeatur*, quod DD. intelligunt, ſine licentia. Ita Granado *de Sac. par.* 3. *cont.* 4. *tract.* 2. *diſp.* 1. *num.* 4. cui ſubſcribit Diana *par.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 58. favet etiam Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 31. *ar.* 1. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 9. *num.* 32. & alii. Imò Gloſſa *in cap. pervenit*, 18.

quæſt.

quæſt. 2. docet licere Monacho baptizare: ait enim ſic *Monachi levando compatres fieri non poſſunt, ſed benè baptizando*, hoc etiam magis expreſsè patet ex *cap. Doctos, 16. quæſt. 1. in textu.* Verùm ſi abſque licentia baptizare præſumerent, peccatum mortale committerent, ac eſſent ſeverè puniendi, quamvis tamē nullam excommunicationem, vel irregularitatem incurrant, cum hæc nullo jure habeatur. Rodericus *in compend. Regul. reſ.* 12. *n.* 2. ex Soto, & Miranda, imò Granado, & Diana *locis citat.* putant nec mortalitèr peccare Religioſum ſi baptizet, ſed oppoſitum tenendum eſt omninò, quamvis validum eſſet Baptiſma ab eo ſolemnitèr collatum, ut docet Barthol. ab Angelo *dial.* 2. §. 137. *de Sac. Babt.* & alii plures.

1714 Inter. 91. Poſſuntne Regulares exponere Sanctiſſimum Sacramentum publicè adorandum in ſuis Eccleſiis abſque Epiſcopi licentia?

Reſp. Diana *in ſum. verb. Regul. privilegia num.* 6. *&* *par.* 11. *tract.* 2. *reſ.* 5. docet poſſe Regulares exponere Euchariſtiam publicè abſque Epiſcopi licentia, quià declaratio Cardinalium non eſt uſu recepta. Tamèn non eſt recedendum à communi ſententia negativa, quam tradunt Barb. *in collect. Bullarii verb. Regulares num.* 1. Gavantus *in Man. Epiſc. verb. Euchar. num.* 43. *& ſeq. & verb. Regul. jura ſub Epiſco num.* 19. *&* 20. Lezana *qq. Regul. tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 1. *num.* 26. *& tom.* 3. *verb. Euchar. num.* 24. ubi refert Sac. Congregationem decreviſſe anno 1641. 26. Aprilis, quod Epiſcopus procedat etiam per cenſuras contrà Regulares qui ſine ipſius licentia Sanctiſſimum Sacramentum exponunt in ſuis, & Monialium Eccleſiis. Idem docet Angelus à Lantuſca *in Theatr. Regul. verb. Euchariſtia n.* 13. & tandem ità præcipitur in Conſtit. Clemen. Papæ X. quæ incipit *Superna.* Verum eſt tamèn, quod prò perſonis particularibus exponi poteſt ſine licentia Ordinarii in Oſtiolo Tabernaculi, aut in Pyxide velata, cum luminibus, & aſſiſtentia. Ità Sac. Congregationem Epiſc. & Regul. decidiſſe *die* 7. *Septembris* 1598. teſtatur idem Lantuſca *loco cit.* & Nicolius etiam *in flos. verb. Euchar. num.* 233. ità refert. Ex cauſa privata poſſint Regulares exponere, dummodò Sanctiſſimum Sacramentum è Tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ità ut ipſa Hoſtia videri non poſſit. 1602. 10 *Decembris*.

1715 Inter. 92. Poſſuntne Regulares adminiſtrare Sacr. Euchariſtiam etiam per modum viatici Secularibus hoſpitibus infirmantibus, & commorantibus in eorum Monaſteriis, & famulis, & familiaribus ſuis?

Reſp. Affirmant plurimi Doctores, & minimè requiſito Parocho tenent poſſe Regulares conferre Sacram Euchariſtiam præfatis Sæcularibus in eorum Monaſterio commorantibus; & infirmantibus, & id extendunt ad famulos, alioſque operarios mercenarios, & familiares, dummodò maneant intra eorum ſepta etiam nocte ſub ipſorum obedientia, & illis actu inſerviant. Ita Rodericus *in Compend. qq. Regul. reſol.* 128. *num.* 14. Peregrinus *in Compend. par.* 1. *tit. communicare num.* 3. Peyrinus *tom.* 1. *privil. Minim. in Conſtit.* 1. *Julii* 11. §. 37. *num.* 92. *& ſeqq.* Lezana *tom.* 2. *verb. Euchar. num.* 9. *&* 10. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 52. *& par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 31. *verſ. Et tandem*, Caſsianus à S. Elia *in Arbor. opin. Moral. verb. Articulus mortis* §. 4. 81. Mancinus *pract.* 8. *dub.* 12. *& ſeqq.* Bordonus *tom.* 2. *reſ.* 20. *num.* 18. Paſſerinus *to.* 2. *de Statibus quæſt.* 187. *artic.* 1. *n.* 983. & colligitur etiam ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. Vide ſequentem reſponſionem. Verùm his non obſtantibus, Matthæuccius *in Officiali Curiæ Regul. cap.* 29. *n.* 20. decet Sac. Congregationem Concilii *die* 27. *Septemb.* 1670. in una Metropolitana declaraſ-

ſe,

ſe, non licere fratribus abſque licentia Epiſcopi, vel Parochi adminiſtrare Sacramenta Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, & ſi decedant, non poſſint ſepeliri in eorum Eccleſijs.

1716 Inter. 93. Poſſuntne iidem Regulares etiam extremam unctionem ſuis famulis in periculo mortis conferre?

Reſp. Poſſunt, nam militat eadem ratio, ultrà quod poſſunt ex privilegio ſibi clarè cōceſſo à B. Pio V. cujus Bulla incipit ſic: *Ad marceſcibilem*, & habetur *tom.* 2. *Bullarii n.*31. & hanc ſententiam tuentur Rodericus *ubi ſupra reſol.* 141. *ſub num.* 1. Euſebius Jordanus apud Pacem Jordanum *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 7. *in ſchedula Sacramentorum*, ubi loquens de extrema unctione ſic inquit. Omnibus, & ſingulis tam fratribus, quàm Sæcularibus intra ſepta Monaſteriorum Regularium ægritudine laborantibus, ſive ſint ipſorum famuli, ſive hoſpites, poſſunt Regulares conferre extremam unctionem, abſque licentia Epiſcopi, Parochi, vel alterius Superioris ex vi ſuorum privilegiorum; Idem docet Lezana *tom.*2.*verb.Extrema unctio n.*3, Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 52. & alii penes ipſos. Tandem Mancinus *pract.* 8. *dub.* 15. *&* 16. *in fine* concludit; Quod Regulares vigore ſuorum privilegiorum poſſunt familiaribus, & famulis infirmantibus intra ſepta Monaſteriorum durante eorum ſervitio, & famulatu omnia Sacramenta miniſtrare, nec non ſepulturam in eorum Eccleſiis dare, inconſultis Parochis, immò ipſis contradicentibus, & recuſantibus, & hæc omnia latè probat ex diverſis Summorum Pontificum privilegiis, idem tenet Portellus *in dub. Regul. verb. Sepultura num.*2. cui ſubſcribit Diana *par.* 5. *tract.*3. *reſol* 109. *& par.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 31. *verſ. Et tandem*, aliis relatis idem ſuſtinet. Vide etiam Peyrinum *loco ſupraci.* & Dianam *par.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 62. *& tract.* 9. *reſol.* 36. *verſ. Sed hic obiter quæro*, ſed quoad ſepulturam non admittitur à Matthæuccio *in Officiali Curiæ Regular. cap.* 30. *num.* 24. ideò cautè procedant, niſi in eorum Eccleſiis ſepulturam elegerint.

1717 Inter. 94. Deficientibus hominibus ſæcularibus, tenerenturne Religioſi matrimonium contrahere?

Reſp. Affirmat Sanchez *de Matr. tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 3. *num.* 4. & plures concordantes refert. Item tenet Reginaldus *in praxi tom.* 2. *lib.* 31. *cap.* 2. *num.* 8. & Villalobos *in Sum. tom.* 1. *tract.* 13. *diffic.* 3. *num.* 1. Et ratio eſt, quia urgeret tunc neceſſitas procreandi filios, ne periret humana ſpecies, niſi Dei revelatione conſtaret finem mundi adeſſe. Vide Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 289. qui fatetur magis curioſam, quàm utilem eſſe hanc petitionem, ideò veniamus ad utilia.

1718 Inter. 95. Religioſus, qui ex cauſa metus annullavit ſuam Profeſſionem, poteſtne licitè Matrimonium contrahere?

Reſp. Diana *par.*6. *tract.*7. *reſ.*51. dicit, quòd non poteſt Uxorem ducere, & Matrimonium inire; quia, qui facit Profeſſionem in Religione, emittit per ſe, & principaliter Votum Caſtitatis, & licèt poſtea cognita, & probata nullitate Profeſſionis illud Votū non valeat tamquam ſolemne; valet tamen eo modo, quo valere poteſt, ſcilicet tamquam ſimplex, & pro ſe citat Paludanum *in* 4. *diſt.* 37. *quæſt.*1. *nu.*2. Sanchez *de Matrim. lib.*7.*diſp.*27. *num.* 13. & Tiberium *in Inſtruc. Ordin. cap.* 11, *quæſt.* 80. Vide *cap. unic. de voto*.

1719 Inter: 96. Regulares à quo Epiſcopo debent Ordines recipere?

Reſp. Sac. Congregatio ex mandato Clem. VIII: præcipit omnibus Superioribus Regularium, videlicèt, qui poſſe ſuis ſubditis Regularibus, præditi qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerint, litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum

tamen Diœceſanum, nempè illius Monaſterii, in cujus familia ab his, ad quos pertinet is Regularis, poſitus fuerit: & ſi Dioceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, vel ſedes Epiſcopalis vacaverit, ut docet Peyrinus *tom. 1. privileg. Minimorum in Conſt. 2. Syxti IV. §. 11. num. 33.* ad quemcunque: alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam; & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet Ordinationes. Verùm cum à Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel Ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe; Quod qui nan fecerit, officii, & dignitatis, ſeù adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivè privationis; & pęnis aliis arbitrio Sanctiſſimi reſervatis ponitur. Vide Peyrinum *loco citato num. 35.* Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 14. num. 12.* Dianam *par. 3. tract. 16. reſ. 15.* qui alios concordantes referunt. Vide etiam Barboſam *in Collect. DD. in Triden. ſeſſ. 23. cap. 10. n. 11.*

1720 Inter. 97. Regulares qui degunt in Monaſteriis ſitis in locis nullius Diœceſis, à quo Epiſcopo debent ordinari?

Reſp. Debent ordinari ab Epiſcopo viciniori, in eoque procedere omnia, quæ de Epiſcopo Diœceſano ſuperiùs præſcripta ſunt, Cenſuit Sacr. Congregatiò relata Reſp. præcedenti.

1721 Inter. 98. Sepultura Eccleſiaſtica eſtne privandus Religioſus, qui ex improviſo mortuus, inventus eſt in Cella cum marſupio denariorum?

Reſp. Diana *par. 4. tract. 4. reſ. 23.* optimè probat non eſſe privandum, quia talis mortuus poterar ſe purgare, & aliquid in ſui excuſationem adducere: Ità etiam poteſt eſſe, quòd à ſuo Superiore licentiam oretenus habuerit, niſi circumſtantiæ occurrent in contrarium; adeò vide Dianam *loco cit.* qui alios allegat pro ſua ſententia; ſed ut verum fateàr, eſt res valdè periculoſa, præſertim ſi fuerit Minorita, aut ex noſtris, qui non poſſunt pècuniam apud ſe retinere, neque ſub quovis prætextu tangere. Verùm conſideranda eſt qualitas Religioſi, ac etiam circumſtantiæ ſtatus, vel Officii, & ſi cum licentia Superioris pecuniam retinuerit, aut ipſo ſciente, & non contradicente, quia cum Superior non contradicit, intelligitur tacitè conſentire, ut docet Em. Sà *verb. Religionum. 54.* Vide Lezanam *tom. 2. verb. Sepult. num. 26.* qui non diſſentit ab aliis, imò concludit cum Portello, id eſſe intelligendum quando caſus eſt publicus, non quando eſt occultus; ideò notent hæc Superiores, ne nimis properè currant in dicto caſu, ſi contingat. Vide in hoc tit. *ad Int. 75.*

1722 Inter. 99. Si aliquis Religioſus extrà Conventum moriatur, & à Parocho Sacramenta recepit, poteſtne à ſuo Superiore ad ſuas Eccleſias deferri, inconſulto, nec requiſito Parocho?

Reſp. Sacra Cardinalium Congr. apud Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 12. num. 41.* ad decimum, reſpondit, Regulares extra Conventum decedentes poſſe ad eorum Eccleſias deferri etiam Parochis inconſultis. Vide Dianam *par. 5. tr. 3. reſ. 110.* idem aſſerentem, idem docet Matthęuccius *capit. 30. num. 16. in Offic. curiæ Reg.*

1723 Inter. 100. Regulares poſſunt ne ſibi eligere ſepulturam; & quid ſi moriantur in aliquo loco remoto à propriis Monaſteriis, quo portari nequeant?

Reſp. Religioſi non poſſunt ſibi eligere ſepulturam, quia non habent velle, aut nolle, ſed ſepeliri debent apud locum ſuę Religionis ubi moritur, *cap. 1. 16. qu. 1.* Sylveſter *verb.* Se-

Sepultura num. 7. §. 7. & habetur etiã *ex cap. ult. de Sepulturis in* 6.& docent plures Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 110. & alii citati à Lezana *par.* 1. *tom.* 1. *c.* 9. *num.* 10. *&* *tom.* 2. *verb. Sepultura numer.* 16. Verùm quando multum diſtant ab eorum Monaſteriis, quod cõmodè deferri non poſſunt, eſt eis licitum ſepulturam eligere, ut patet ex *dicto cap. ult. de Sepulturis*. Si verò ſepulturam non eligerint, ſepeliendi ſunt in Eccleſia Parochiali, quod intellige, niſi in eo loco ſit Monaſterium ſui, vel alterius Ordinis, ut aliis relatis docet Cutillus *mox cit. in fine*. Sed in iis caſibus tenetur Monaſterium expenſas pro Religioſorum ſepultura ſolvere, quòd ſi Religioſus habet Beneficium etiam Manuale, expenſis illius eſt ſepeliendus. Vide præcitatos Auctores, qui alios concordãtes referunt; & præſertim Barboſam *de Offic. Paroch. c.* 26. *n.* 30. & Cutillum *in Addit. ad Jacob. Mancin. in tr. de Sepulturis dub.* 9. 10. 11. 12. Et nota, quòd Lantuſca *verb. Sepultura, num.* 1. ait, ſepeliri in locis religioſis melius eſſe, quàm alibi quia frequentius ibi divina celebrantur, & pro ſe citat Gloſſ. *in cap. Fratern. de Sepult.*

1724 Inter. 101. Poteſtne Epiſcopus, vel Parochus impedire ne fideles cum habitu Religioſo ſepeliantur?

Reſp. *In Bulla* 7. *Syxti* IV. apud Confectum *in Collect. litterarum Apoſtolicarum* inhibentur Prælati, & Rectores Eccleſiarum, ſub pœna excõmunicationis Papæ reſervatæ, ne taliter ſepeliri volentes, quovis modo impedimentum afferant, ſed permittant illos patenter ad Eccleſias, & locum Sepulturæ in habitu hujuſmodi deferri, jure Eccleſiarum ſemper ſalvo. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Habitus Regul. n.* 5. *&* 6. ubi præterea *n* 8. *&* 9. agit de indulgentia, quæ conſequitur ab iis, qui cum habitu religioſo ſepeliri mandant.

1725. Inter. 102. Si Regulares conveniant inter ſe, ut alter in una electione ſuffragetur uni, & alter alteri in alia, committuntne Simoniam?

Reſp. Dicunt aliqui, quòd ſi pactum non intercedat, ſed tantùm futura oblatio ſpei, ut ſi dicatur: da hoc ſuffragium, & providebitur tibi de alia re, vel quid ſimile, non eſſe Simoniam. Ità Villalob. & Hieronym. Rodericus in Compendio *qq. Regular. reſ.* 129. *n.* 3. apud Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 125. licèt ipſe Diana dicat, non eſſe admittenda à Religioſis hujuſmodi pacta, quia cum ſint oblationes ſubornationis, maximè aliena debent eſſe à Religioſis: Addo ego, & id ſapere Simoniam, & ideò nullo modo faciendum. Cæterùm ſi conveniãt inter ſe eo modo, quo dictum eſt ſup. in Interrogatione; dicendum eſt omninò eſſe Simoniam, prout ſentit Diana ibidem, Lezana *tom.* 2. *verb. Simonia, num.* 20. *&* *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 15. *n.* 29. *ubi citat*. Navarr. *in Man. c.* 23. *numer.* 100. & Reginaldus in praxi *lib.* 23. *num.* 244. & hoc ego puto verum, quia hujuſmodi pactiones in materia Prælaturarum Regularium, ſemper continent labem Simoniacam, cum ſit datio rei ſpiritualis pro alia re ſpirituali, vel onere ad illam, ut diverſis juribus probat Lezana *loco proximè cit.* Undè committit Simoniam qui dicit: elige me in Provincialem, & ego eligam te in Priorem, ſive Guardianum &c. Vide Sanctorium *de pœnis par.* 2. *cap.* 15. *qu.* 8.

1726 Inter. 103. Litterarum ſtudia ſuntne licita Religioſis? Et quomodo peccant mortaliter Superiores, & Subditi negligentes in hoc caſu?

Reſp. Litterarum ſtudia Religionum perfectioni proficua, reformationique utiliſſima eſſe, latè, & perdoctè probat Lezana *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 13. *per totum*. Immò Superiores Religionum ſub peccato mortali tenentur curare, ut ſubditi reddantur

Z 2 ido-

idonei per ſtudia litterarum, ad Confeſſiones audiendas, & concionandum, præſertim ex Ordine Mendicantium, cum ſint Epiſcoporum Coadjutores in ſalute proximorum procuranda, & ob id Fidelium eleemoſynis ſuſtentantur. Vide Bannez *in* 2. 2. *qu.* 33. *art.* 3. *dub.* 3. Thomam de Jeſu *ſuper cap. Non dicatis par.* 4. *cap.* 1. quos refer, & ſequitur idem Lezana *parte* 1. *tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 84. Et ipſi Religioſi ad ſtudia deputati, ſi notabiliter negligentes ſint, ſæpè mortaliter peccant, quia occupant aliorum locum, & abutuntur commoditate illis addiſtudendum à Religione conceſſa; Nam videntur ſcientias neceſſarias contemnere. Peyrinus *tom.* 1. *de Relig. Subd. qu.* 1. *de Obed. c.* 30. Navarr. *in Man. cap.* 25. *num.* 59. quibus ſubſcribit Lezana *loco prox. cit. num.* 29. Vide quæſo quæ dixi *in tit.* 175. *de Præl. Reg. ad Inter.* 5.

1727 Inter. 104. Religioſi poſſuntne eſſe Teſtes in aliqua cauſa extra Religionem?

Reſp. De jure communi non prohibentur eſſe Teſtes: ſed neceſſaria eſt omninò Superioris licentia; quia Religioſi comparantur ſervis, & non habent velle, aut nolle; dictam autem licentiam eis concedere poſſunt, non ſolùm Superiores ſupremi, ſed etiam locales, ut Priores, Guardiani, Præpoſiti, Rectores, &c. ut docet Lezana *tom.* 2. *verb. Teſtis num.* 1. Verùm tamen eſt, quod non ita facilè debent Superiores hanc licentiam ſuis ſubditis concedere, niſi in cauſis alioquin piis, & quæ ſic uni favent, ut in alterius detrimentum non cedant, ut optimè tradunt Sanchez *to.* 2. *moral. cap.* 13. *num.* 104. Peyrinus *de Privil. Minim. cap.* 3. *num.* 35. quos refert idem Lezana *loco citato*. Qui etiam notat ex Novario *in Lucerna regul. verb. Teſtis num.* 2. Sacr. Congregationem declaraſſe, Teſtimonium Regularium valere, etiamſi non adſit eorum Superiorum licentia. Cœterù Religioſi non poſſunt compelli ad teſtificandum in cauſis etiam civilibus, niſi quando veritas aliunde haberi non poteſt, ut docet Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 11. *num.* 24. quod intelligendum eſt in cauſis gravibus, aut quando neceſſarium ſit ad ſubveniendum proximo. Cœterùm nec Judices, nec Principes poſſunt compellere Religioſos ad teſtimonium ferendum, niſi de licentia Papæ, aut Sacræ Congregationis, ſecùs incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, ut tenet ex aliis Peyrinus *in Formulario, littera T. c.* 1. *num.* 5. maximè ſi ſit in cauſa ſanguinis ad condemnandum. Vide Lezanam *locis ſupracit.*

1728 Inter. 105. Eſtne verum quòd Regulares examinati pro teſtibus in Sancto Officio, non poſſunt à ſuis Prælatis per quinquennium continuum a die depoſitionis moleſtari, aut ex quacunque cauſa, & prætextu puniri, inconſulta Sacra Congregatione?

Reſp. Ità eſſe, aſſerunt Novarius *in Lucerna Regul. verb. Teſtis num.* 3. & Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *n.* 18. *& tom.* 3. *verb. Teſtis num.* 7. & dicunt ſic mandaſſe B. Pium V. in quodam ſuo decreto. Tamen notandum eſt, Sacram Congregationem Sancti Officii die 29. Octobris 1664. cenſuiſſe illud Decretum B. Pii V. non eſſe in uſu, teſte Angelo à Lantuſca *in Thea. Regular. verb. Congregatio S. Officii num.* 5. ergò &c.

1729 Inter. 106. Debentne nomina Teſtium manifeſtari Reo Regulari?

Reſp. Hanc quæſtionem pertractat Diana *par.* 11. *tr.* 3. *reſ.* 7. & luculenter probat, quòd in gravioribus criminibus, in quibus de punitione publica agitur, & Religioſus periclitatur, conſtat, diligenter verum oportere inveſtigari, ideoque Teſtium nomina aperienda, & maximè ubi ab externo Religioſus accuſaretur; non eſt igitur privandus Reus debito juris

or-

ordine ſine magna cauſa, puta quando timetur, aliquod grave damnum imminere Teſtibus, ſi ejus nomina Reo aperirentur. Vide igitur quando talis caſus occurrit Rodriquez *de qq. regul. tom.* 1. *qu.* 3. *art.* 1. *in fine*; & *qu.* 15. *art.* 1. *in fine*, Alderete *de religioſa diſcpl. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 8. & 9. Martinum de S. Ioſeph *de ordine judiciario cap.* 14. *num.* 1. & *cap. final. de hæret. in* 6. & alios Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *loco ſupracit.* Vide etiam Rodericum *in Compendio qq. Regul. reſolut.* 42. *num.* 35. & iterum Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 91.

1730 Inter. 107. Valetudinarium pro Religioſis infirmis, debetne haberi in ſingulis Conventibus, vel ſufficit, ut habeatur in uno Conventu Provinciarum, & quomodo probatur infirmitas?

Reſp. Clemens Papa VIII. in decretis pro reformatione Regularium, quæ poſtea confirmata fuerunt à Sacra Congregatione, juſſu Urbani VIII. præcipit, *ut Valetudinarium* in ſingulis Conventibus certo, & ſalubriori loco conſtituatur, quod pro loci ſitu, ac Fratrum numero quoad fieri poterit commodiſſimum eſſe poſſit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde, niſi recuperata ſanitate abire permittantur: addens prætereà, quòd qui Infirmorum curæ præpoſiti ſunt omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtent, ac curent, ne quid Ægrotis omninò deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat; & rectè quidem, nam Religioſo infirmo, ſeu valetudinario, omnis clementia, & charitas debetur, primò quia afflicto addi non debet afflictio, ſecundò ne cæteri Religioſi, aut alii ſtatum religioſum perhorreſcant, timentes fortè, ne debita charitate ſubſidiiſque ægritudinis tempore deſtituantur. Vide *Cap. cum percuſſio de Cler. ægrotante*: Et tandem audiant quæſo illi Superiores, qui cum ipſi robuſti ſint, omnes ſua duritie metiuntur, & neſciunt Infirmis compati, ità namq; loquitur D. Bonaventura de Sex alis Seraphim *cap.* 4. *Bonus* inquit *Prælatus agnoſcit ſe fratrum ſuorum patrem, non Dominum, exhibet ſe eis Medicum, non Tyrannum, nec reputat eos ut jumēta ſua, vel ſervos emptionis, ſed ut filios hæreditatis ſupernæ conſortes. Faciat eis ſicut vellet ſibi fieri, ſi ſimiliter indigeret; ſed fortes, & ſani non ſentiunt quæ ſentit æger, ideò neſciunt ei compati, ſcient autem poſt, cum dolebunt.* Hæc S. Bonaventura, quem citat Peyrinus *de Prælato qu.* 2. *cap.* 3. §. 2. *ſub verſ. Quartum obſtaculum.* Infirmitas verò probatur multis modis, ſcilicèt per atteſtationem Medicorum, per teſtes domeſticos, per juramentum Infirmi, & per aſpectum Corporis ægroti, ut ſi facies ſit extenuata, triſtis, &c. Ità Carera *de Offic. inquis, par.* 2. Vide quæ dixi ſupra *in tit.* 175. *de Prælatis Regular. ad Int.* 19.

1731 Inter. 108. Regulares extrà Conventum, vel itinere, non habentes Socium ſuæ Religionis, qui ſit Sacerdos, poſſuntne validè, ac licitè confiteri cum Sacerdotibus Sæcularibus ab Ordinario non approbatis.

Reſp. Fateor me in hac Reſponſione de meo nihil dicere velle, ſed ſolum adducere Authores, à quibus habetur poſſe Regulares in dicto caſu, & validè, & licitè confiteri cum non approbatis ab Ordinario, dummodò per Conſtitutiones Ordinum ipſorum illis non ſit prohibitum, nam Doctores loquuntur de jure communi duntaxàt, & hi ſunt, quos ego vidi, Sylveſter *verb. Confeſſ.* 1. 1. *num.* 5. Navar. *in Man. cap.* 4. *num.* 3. Emm. Sà *verb. Confeſſor. num.* 6. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 33. *art.* 6. *concl.* 1. Bonac. *de Sacram. diſp.* 5. *q.* 7. *pun.* 4. §. 1. *num.* 25. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *num.* 27. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 2. & *par.* 4. *tract.* 4. *Miſcel. reſ.* 3. & *in addit. ſecund. reſol.* 4. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 25. *num.* 65. Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 3.

tit.

Digitized by Google

tit. 4. *de Sacram. pœnit. numer.* 131. Bordonus *tom.* 2. *reſ.* 24. *num.* 3. Buſenb. *lib.* 6. *tract.* 4. *cap.* 2. *de Miniſt. Sacram. pœnit. dub.* 1. Sylveira *opuſc. varia. Opuſc.* 2. *qu.* 18. Jacobus Mancinus *in pract. viſit. infirm. pract.* 4. *dub.* 15. Paſſerinus *de ſtat. tom.* 2. *quæſt.* 187. *art.* 1. *nu.* 211. Moronus *Reſp.* 98. *num.* 139. Mendo *Epit. opin. Moral. verb. approbatio nu.* 6. Andreas à Matre Dei *in curſu Theol. Moral. tom.* 4. *tract.* 18. *cap.* 4. *pun.* 2. §. 2. *num.* 59. *&* §. 5. *num.* 90. Et tandem Diana locis ſupracit. hanc ſententiam mordicus defendit, & pro ea plus quam 25. Doctores refert. Et horum ratio eſt, quià Regulares non ſunt aſtricti confiteri approbatis ab Ordinario, cum ante Triden. aſtricti non erant, & quoad eos nihil in hoc innovatum fuit, ut apparet ex Contex. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. Verùm præfati Doctores intelligunt hoc eſſe verum, dummodò habeant licentiam à ſuis Prælatis Regularibus, ſaltem interpretativam, & quod Conſtitutiones ordinum nihil in contrariũ diſponant, quià de jure particulari ſervanda ſunt cujuſcunq; Ordinis ſtatuta. Vide Suarez *to.* 4. *de pæn. diſp.* 38. *ſect.* 4. Tambur. *de jure Abbat. diſp.* 6. *quæſt.* 10. *num.* 2., & Allozam *verb. Confeſſio ſect.* 9. *nu.* 8. qui teſtatur de communi. Hic autem Sacerdos debet eſſe idoneus, ut diſpoſuit Innocentius VII. Conſt. Provenit apud Confect. *Collect. privil. Mendic.*, ſed vide *ad Inter.* 110. Imò dicunt aliqui, quòd Religioſi itinerantes, ſi ſocium Ordinis non habent, à quovis alio Sacerdote, etiam nõ approbato abſolvi poſſint, quià per licentiam itinerandi illis implicitè talis facultas conceditur. Ità Miranda, & Caſarubius, quos allegat Lezana *ubi ſupra n.* 27. Diana in *Sum. verb. Prælati num.* 48. *& in Addit. ſecundariæ reſ.* 4. Buſenbaum *loco cit.*, & alii.

1732 Inter. 109. Poſſunt nè dicti Regulares abſolvi etiam à peccatis reſervatis, caſu quo ea commiſerint?

Reſp. Minimè, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimilitèr non eſſet conceſſurus in ſpecie, ut habetur *ex Regulis Juris in* 6. Nam in communi conceſſione non veniunt ea, quæ ſunt communi ſenſu excepta, & quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter cõceſſurus, ut docet Peyrinus *de Relig. ſubdito quæſt.* 1. *cap.* 21. *verſ. Dico* 7. *& ſeqq.* Ultra quod non expedit, præſertim Sæculares, peccata graviora Religioſorum audire. Ità docent præcitati Doctores, quod quidem eſt valdè notandum, ne Religioſi fallantur. Vide Dianam *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 119. *& par.* 8. *tr.* 7. *reſ.* 78.

1733 Inter. 110. Scio docere Doctores, (qui dicunt poſſe Regulares confiteri cum Confeſſario non approbato), quod debeat eligere Sacerdotem idoneum, ut ſupra dixi, quid ergò requiritur ad hoc, ut dicatur idoneus?

Reſp. Suarez *tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 28. *ſect.* 4. *circa finem*, Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 2. in fine, Andreas à Matre Dei *in Cur. Theol. Moral. tract.* 18. *cap.* 4. *pun.* 2. §. 2. *nu.* 50. *&* §. 5. *n.* 92. & alii apud ipſum, dicunt Idoneum Sacerdotem pro confeſſionibus Religioſorum audiendis reputari quemlibet Sacerdotem, dummodò non ſit ſuſpenſus, aut excommunicatus. Addo tamen ego, & dummodò non ſit tam ignarus, ut neſciat formam abſolutionis. Verum excuſatur imperitus Sacerdos ſi audit periti confeſſionem, vel ſoliti confiteri ſolum venialia; Emm. Sà *verb. Confeſſor n.* 10. Ideòque pro Religioſis doctis, quilibet Sacerdos eſt idoneus.

1734 Inter. 111. Confeſſiones Religioſorum factæ alteri Confeſſario non deſignato pro illis à proprio Prælato, ſuntnè validæ?

Reſp. Non ſunt validæ, & hoc procedit ex defectu juriſdictionis in Confeſſario, qui non poteſt audire alienas oves ſine licentia Superiorum Regularium, habetur enim *ex c. Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſ.* alienum

Sa-

Sacerdotem non poſſe aliter, quam de licentia proprii Sacerdotis obtenta, pœnitentem abſolvere, vel ligare. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 18. *n.* 26. *& to.* 2. *verb. Confeſſarius num.* 2. & alii apud ipſum, & eſt communis ſententia; excipiuntur tamen Pœnitentiarii Summi Pontificis, qui omnium Confeſſiones, excipere valent. Vide *in hoc tit. ad q.* 3.

1735 Inter. 112. Regularis approbatus ab Ordinario ſine licentia ſui Superioris, imò contrà ejus voluntatem, poteſtnè validè, ac licitè audire Confeſſionem ſubditorum Epiſcopi approbantis?

Reſp. Circa tale dubium, multi multa dicunt, tamen mihi videtur probabilius id, quod docent Bordonus *to.* 2. *reſ.* 36. *qn.* 11. *num.* 42. & Paſſerinus *t.* 2. *ſtatib. q.* 187. *art.* 1. *à nu.* 217. *uſque ad* 230. *incluſivè*, ſcilicet quod Regularis non deputatus à ſuo Prælato, licèt ſit ab Ordinario approbatus, nullo modo, nec validè, nec licitè abſolvere queat; nam egregiè probant, quòd Regularis ſit incapax juriſdictionis habēdæ inſcio, vel invito ſuo Prælato: Imò ex Clem. Dudum §. *Statuimus, de ſepult.* deducitur non poſſe Epiſcopū approbare Regularem ſine conſenſu ſaltem interpretativo ſui Superioris.

1736 Inter. 113. Regulares reperti abſque licentia cum Monialibus alloqui, poſſunt nè puniri ab Epiſcopo?

Reſp. Si abſque Sac. Congreg. licentia Regulares Moniales alloqui reperti fuerint, poſſunt ab Epiſcopo incarcerari, ſed eorum Superioribus debent conſignari, ut puniantur, qui Superiores deindè Sac. Congregationē, ac Ordinarium de executione certiores reddere debent, & ità fuiſſe reſolutum per Sac. Congregationem *in una Faventina die* 7. *Martii anno* 1617., docet Barboſa *de Poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 102. *num.* 104. *& num.* 106. aſſerit, quod Regularis abſque legitima licentia accedens ad Monaſterium Monialium, Regularibus ſubjectarum, & ibi in loco colloquiis deſtinato cum Moniali alloquens poſſit à Diœceſano Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato coerceri, & puniri; idem docet Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 3. *pun.* 4. *num.* 8. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 48. *verſ. Nota octavo*, & alii comm. Vide Lezanam *tom.* 3. *verb. Moniales ſub num.* 26.

1737 Inter. 114. Licentia conceſſa alicui Regulari ad colloquendum cū Monialibus in primo, vel ſecundo gradu, extenditurne ad ſocium ipſius?

Reſp. Affirmant Riccius *par.* 1. *praxis deciſ.* 745. Peyrinus *tom.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. *in addit. ad Conſt. B. Pii V.* Tambur. *de Jure Abbat. diſp.* 26. *quæſt.* 3. *num.* 2. Lezana *tom.* 3. *verb. Moniales num.* 23. *& verb. licentia num.* 11. *propè finem*, & ratio horum eſt, quia de connexis idem eſt judicium. *cap. Tranſlato de Conſt.* ſed hæc opinio omninò mihi non placet, tum quià non ſunt laxandæ habenæ, tum etiam quia non eſt facienda extenſio unius ad aliud, maximè in materia tam rigoroſa; & ità expreſsè docent Pellizarius *in tra. de Monial. cap.* 10. *ſect.* 1. *ſubſect.* 1. *ſub num.* 20. *verſu Adverto* 7. ex Diana, & Paſqualigo, quibus addo Nicolium *in floſ. verb. Regul. num.* 52. *propè finem*, & huic ſententiæ ego adhæreo. Vide ergo Dianam *par.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 33. qui perdoctè reſpondet ad rationem Adverſariorum, & luculenter quidem hanc noſtram ſententiam confirmat.

1738 Inter. 115. Poteſtne Epiſcopus licitè denegare licentiam Regularibus colloquendi per quatuor vices in anno cum Monialibus in primo, & ſecundo gradu ſibi conjunctis?

Reſp. Affirmat Bordonus *in Miſcellan. caſuum conſcien. deciſ.* 222. quia in Decreto Sac. Congregationis ſub Urbano VIII. ubi conceditur facultas Epiſcopo, ut per quatuor vices in anno licentiam concedere valeat dictis Regularibus conſanguineis Monialiū colloquendi, habentur hæc verba. Quatenus ſibi bene viſum fuerit in Domino

mino expedire, licentiam concedere poſſit. Non dicit Sac. Congregatio, quod debeat, ſed poſſit, quod verbum, affirmativè ſumptum, importat actum voluntarium, non neceſſitatis, & arbitrium boni viri ſecundum rectam conſcientiam regulatum, ità, quod ſi concedat licentiam, patet eum poſſe in tali caſu concedere ſine periculo alicujus peccati, aliter expeditio non eſſet in Domino. Vide plura apud ipſum Bordonum, & apud Dianam *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 50. ſed non omnia, quæ ibidem aſſerit ſuſtineri poſſunt, ut legenti patebit.

1739 Inter. 116. Poſſuntne Religioſi eſſe Vicarii Epiſcoporum?

Reſp, De jure communi hoc ipſis non eſt prohibitum; nam nullum jus cõmune extat hoc illis prohibens. Em. Sà *verb. Religio num.* 60. Verum eſt tamen, quod neceſſaria eſt licentia Superioris, ſaltem immediati, ſeu Superioris localis, cum omnes ii ſint verè Prælati, & præterea debet eſſe cum utilitate Monaſterii, quæ tamen ſufficiens cenſetur ea, quæ Monaſterio cõtingit, ex eo quod aliquis Frater ipſius in tam honeſto obſequio Eccleſiæ, & Epiſcopo inſerviat. Ideò autem hæ duæ conditiones neceſſariæ ſunt pro Vicariatu exercendo, quia munus Vicarii eſt officium ad Judicia pertinens, & Religioſi non poſſunt talia Officia recipere, niſi cum dictis duabus conditionibus, ut colligitur *ex cap. Monachi el.* 2. 15. *quæſt.* 1. *& cap. de præſentium eadem cauſa, & quæſtione, & cap.* 2. *de poſtuland.* Vide Azorium *lib.* 3. *cap.* 45. *quæſt.* 10. Rodriquez *tom.* 3. *qq. Regul. quæſt.* 76. *art. ult.* Sanchez *to.* 2. *lib.* 6. *in Decal. cap.* 13. *num.* 38. *& ſeq.* Excipiendi verò ſunt ab hac regula generali, Religioſi ex ordine Minorum S. Franciſci, propter abdicationem omnium Sæcularium negotiorum illis commendatam *in Clem. Exivi, de verb. ſignif.* ut tradunt Portellus *in dubiis regul. verb. Religioſus num.* 5. Sbrozzius *de Vicario Epiſ. lib.* 1. *quæſt.* 38. *nu.* 5. Sanchez *loco cit. num.* 66. & alii plures: immò idem Sanchez ibidem *num.* 95. dicit, hoc etiam eſſe prohibitum Religioſis Societatis Jeſu abſque licentia Generalis. Et tandem arcentur omnes illi Religioſi, quibus per ſpeciales conſtitutiones ſui Ordinis eſt hoc illis prohibitum. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 9. *ſub num.* 14. *& par.* 2. *cap.* 1. *num.* 70. *& tom.* 2. *verb. Vicarii Religionum num.* 10. & præſertim Sanchez *loco cit.* & Dianam *par.* 10. *tract.* 15. *reſol.* 30. *per totam*, qui latè, & perdoctè loquuntur de tali dubio; Imò Diana refellit Peyrinum *tom.* 1. *privileg. minim. in conſt.* 4. *Sixti IV.* §. 10. *num.* 48. quia aſſerit non poſſe hodie Superiorem Regularium licentiam præbere ſubditis pro munere Vicariatus exercendo.

1740 Inter. 117. Poteſtne Vicarius ſede vacante punire Regulares prædicantes in Eccleſiis ſine licentia, & benedictione, aut ſuſpendere, & ordinare, nè aliquis Regularis amplius prædicet?

Reſp. Vicarius Sede vacante ſuccedit Epiſcopo in juriſdictione ordinaria, non autem in delegata, & ideò ubi Concil. Tridentinum committit aliquid Epiſcopis, ut delegatis Sedis Apoſtolicæ, non competit Capitulo. Ità Gavantus *in Man. Epiſc. verb. Capitulum Sede vacante num.* 61. *&* 52. Quare non poteſt Vicarius Capitularis veluti Epiſcopus punire Regulares in dicto caſu, cum non ſit Sedis Apoſtolicæ delegatus. Vide Barboſ. *de poteſt. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 92. *nu.* 17. Dianam *par.* 7. *tract.* 12. *reſol.* 26. & alios penes ipſos. Item ob eandem rationem non poteſt talis Vicarius ſuſpendere, & ordinare, nè aliquis Regularis amplius prædicet, ut rectè probat Pater de Bellis apud Dianam *loco cit. reſol.* 27. & favet etiam Bordonus *in Conſil. Regul. reſol.* 36. *num.* 24. quatenus aſſerit; Vicarium Capitularem non poſſe revocare Confeſſarios Regulares, & reexaminare, ſicut poteſt

no-

novus Epiſcopus, quia non ſuccedit Epiſcopo in iis, quæ illi competunt jure delegato. Vide ergo quæ dicam infrà *in tit.* 236. *de Vicariis Capitularibus, ad Int.* 3.

1741 Inter. 118. Regularis interrogatus à Viſitatoribus de obſervantia Regulari, teneturne ſub mortali patefacere veritatem?

Reſp. Jam dixi *in tit.* 141. *de Mendacio ad Int.* 5. Omne mendacium in judicio eſſe peccatum mortale, ſed nõ in materia levi, niſi interveniat juramentum, ut docent plurimi DD. apud Dianã infra citandum, ſed in caſu noſtro non eſt mentiri in re levi, ſcilicèt reſpondere Viſitatori interroganti de obſervantia regulari, & non reſpondere veritatem, nam obſervantia regularis ſpectat ad promotionem boni communis, ut de ſe patet, ergo graviſſima materia eſt, & ſicut Prælatus tenetur in viſitationibus ſub mortali culpa interrogare de obſervantia cæremoniarum, & conſtitutionum, ſic ei ſubditus ſub mortali tenetur patefacere veritatem, ut optimè probat Texeda in Theol. moral. *tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 3. *controverſ.* 9. *dub.* 1. *num.* 17. *fol.* 176. cui ſubſcribit Dian. *par.* 10. *tract.* 15. *reſ.* 32.

1742 Inter. 119. Vota emiſſa in ſæculo, obligantne illum, qui profitetur in aliqua Religione approbata?

Reſp. Non conveniunt Doctores; tamen eſt probabiliſſimum, omnia vota perſonalia, realia, & mixta, tam in Sæculo, quam in Novitiatu emiſſa extingui per ſolemne Religionis votũ: Quòd per profeſſionem Religioſam univerſa vota realia commutentur; eſt in confeſſo apud omnes ſcribentes, ut videre licèt apud Sanch. *in Sum. to.* 2. *lib.* 5. *c.* 5. *num.* 43. paucis exceptis: Quod omnia vota perſonalia ceſſent per profeſſionem Religionis approbatæ, tenet Sylv. *verb. Votum* 4. *q.* 7. Bonac. *de Præcept. Decalog. diſp.* 4. *qu.* 2. *pu.* 7. §. 2. *n.* 20. *verſ. addo* 3. Dico igitur cum Diana *par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 65. Quòd omnia vota etiam reſervata commutantur, & extinguuntur in Profeſſione Religioſa, & conſequenter ampliùs non obligant; & idem dicendum eſt de Juramentis ſivè perſonalibus, ſivè realibus ſoli Deo emiſſis; quia votis æquiparantur, & per ea jus tertii nõ acquiritur: nam hujuſmodi vota, & juramenta quilibet poteſt propria authoritate in evidenter melius commutare, ut pluribus relatis docet Bonacina *ſupra pun.* 7. §. 3. *num.* 3. Vide Sanch. *loco cit. & lib.* 3. *c.* 21. *num.* 3. *tom.* 1. Diana *loc. cit.* & de hoc ego nõ dubito. Quæ autem ſint vota realia, perſonalia, & mixta, jam dixi *in tit.* 70. *de Differen. ad Int.* 25. ad quam te remitto.

Quær. 1. An poſſit admitti ad Religionem, qui eſt ære alieno gravatus, vel non habet ſufficientem litteraturam, et ſi ad ſtatum Clericalem in Religione admiſſus fuerit, poſſit ad ſtatum Converſorum poſt profeſſionem transferri propter inſufficientiam, & inhabilitatem ad litteras addiſcendas?

Reſp. Ære alieno ſuprà facultates obſtrictus, ad Religionem nequit admitti, niſi prius ſatisfaciat Creditoribus, ut habetur *ex Bulla Syxti V.* & tradunt Doctores communiter Vide Emman. Sà *verb. Religio num.* 1. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 24. *per tot.* & præcipuè *num.* 17. Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 41. & alios apud ipſos. Præterea in Decretis Clem. VIII. ſuper receptione, & educatione Noviciorũ, decernitur, ut nullus recipiatur, qui litterarum ſcientiam non calleat, aut illius addiſcendi ſpem indubiam, & felicem progreſſum promittat, pro recipiendis Ordinibus, ſuis temporibus, juxtà formam Conc. Trident. *Seſſ.* 23. *de reform. cap.* 4. 11. 13. & 14. Ac demùm quòd ſi aliquis *annum vigeſimum quintum* expleverit, & ad habitum regularem admitti poſtulaverit, & talis eruditionis expers inveniatur, *in Converſorum* tantùm numerum deferatur.

Si autem inadvertenter admiſſus fuerit, & in ſtatu Clericorum, ſeù Choriſtarum profeſſionem emiſerit, utiq; non ſolùm poteſt, ſed debet Prælatus Religionis, unà cum ſuis Definitoribus, ad ſtatum Converſorum illum transferre, quia eo ipſo, quòd habet inſufficientiam, & inhabilitatem ad ſcientiam pro Choriſtis neceſſariò addiſcendam, equidem indignus eo ſtatu cenſeri debet, cum omninò indecens ſit, ut Choro tanquam Clericus deſerviat, qui ſufficienti ſcientia ad ſuſcipiendos Ordines caret. Defectus enim ſcientiæ legitimam præſtat cauſā deponendi aliquem, etiam ab Epiſcopatu, ut colligitur *ex cap. Cum in cunctis, de elect. cap. Eam te, cap. Quamvis, de æta e, & qualitate, &c. & cap. ad Apoſtolicam de regul.* Ergò multò magis talis defectus exiſtens, juſtam cauſam præbebit dejiciendi è ſtatu Clericorum, ad inferiorem ſtatum Converſorum talem idiotam, & illiteratum Religioſum, cum ſit irregularis ex defectu ſcientiæ, & ad Ordines licitè promoveri nequeat, ut ego met dixi *in tit.* 106. *de Ignor. ad Int.* 13. & 14. *& ſuprà in hoc met tit. de Regular., ſeù Religioſ. ad Inter.* 58. *nec non dicā infrà in tit.* 197. *de Sacramento Ordinis, ad Inter.* 8. ex quibus habetur quænam ſcientia requiratur pro recipiendis ſingulis Ordinibus, etiam in Regularibus, juxta diſpoſitionem Tridentini *loco ſupracit.* Tandem circa hanc reſponſionem, vide Lezanam *tom.* 4. *conſil.* 35. *per totum, & præſertim num.* 5. qui fortioribus terminis perdoctè reſolvit, ut dixi. Item vide Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 80. Bordonum *in Conſ. regul. to.* 2. *reſ.* 54. *num.* 229. Dianam *par.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 74. & id, quod ego met dixi *in tit.* 175. *de Prælatis Regularibus, ad Interr.* 23. Hæc omnia tamen intelligi, & fieri debent cum grano ſalis, nam Superiores non ità facilè ex defectu ſcientiæ debent Clericum profeſſum, eo non conſentiente, ad ſtatum Converſorum transferre, quia hujuſmodi translatio eſſet illi injurioſa, nam ſi non valet ad Ordines Majores aſcendere, poterit ad minores, vel ſaltem ad primam Tonſuram, & in eo ſtatu Choro inſervire. Tenentur itaque Superiores facere in quantum poſſunt, ut habilitetur ad Ordines Sacros, quòd ſi adhibita diligentia, adhuc habilis fieri nequeat, tamen æquum non videtur, ut invitus transferatur ad ſtatum Converſorum, quia ſtatus Converſorum in eadē Religione eſt gradus valdè diverſus, ſpecie morali incompleta differens à ſtatu Clericorum. Et ſanè in noſtra Congregatione, Votum humilitatis Clericorum, & Converſorum penitùs differunt ex obiecto, & materia, & in omnibus aliis Religionibus vita activa Converſorum, & contemplativa Clericorum, aut etiàm mixtà inter ſe valde diferunt, ut per ſe patet. Neque eſt eadem ratio de reducto ad ſtatum Converſorum in pœnam, aut Epiſcopo propter illiteraturā ab Epiſcopatu depoſito, etenim depoſitus Epiſcopus ab exercitio, Epiſcopus remanet; Hæc dicta ſunt, quià ſi fiat translatio non conſentiente Clerico profeſſo, non ſolùm aperitur via paſſionibus, multis turbationibus, & ſcandalis, ſed etiam litibus de validitate, vel invaliditate translationis, & profeſſionis talis Religioſi, qui in ſtatu Clericorū receptus fuit, & Profeſſionem emiſit; Hæc tandē dixi tanquàm ſcitu, & notatu digna.

Quær. 2. An Religioſus profeſſus, qui dubitat de ſuæ profeſſionis validitate, teneatur profeſſioni ſtare, aut è contrà?

Reſp. Tenetur omninò prò profeſſione ſtare quousq; rationabiliter dubium deponere non valet ante quinquennium; Poſt quinquennium verò practicè debet deponere dubium, ratio eſt quia ſi dubium ſit de intētione, potius præſumitur prò profeſſione, quia præſumitur voluiſſe conformare profeſſum actum externum, de quò jàm

con-

conſtat indubiè, & ſinè improprietate, cum interno, & ipſemet profeſſus debet hoc potius præſumere, cum non debeat putare ſe fuiſſe mendacem, illuſorem, ſacrilegum, & injuſtum occupatorem bonorum Religionis, & privilegiorum, quæ dederunt Eccleſia, & Principes, ſeù etiàm Deus; Hoc ipſum dicendum eſt de quocunque vovente, ſi vovens ſit certus de actu externo voti, & ſolum dubitet de intentione. Idem dicendum eſt ex quocunque capite dubium proveniat, nàm cum Religio, & Eccleſia ſit certa de profeſſione ſua, ex dubio profeſſi non debet expoliari poſſeſsione quam habet, ex jure quæſito, ſicut Canones, & Theologi dicunt de dubitante de valore Matrimonii per reſpectum ad non dubitantem; & de dubitante de juſtitia belli, & honeſtate facti præcepti reſpectivè ad Principem, bellum à ſe putatum juſtum, indicentem; & reſpectivè ad Superiorem juriſdictionem ſuam poſſidentem, & demandantem quòd vult. Ratio eſt quia ex dubio alicujus, non debet alius expoliari certa ſua poſſeſſione, & injuſtitia contrà ipſum committeretur, ſecùs faciendo. Præterea jus ipſum ex delatione habitus Religioſi communis per annum, vel habitus proprii profeſſorum, vel ex immixtione in actibus propriis profeſſorum, præſumit profeſſionem, ſeù inducit profeſſionem tacitam. Vide Armillam *verb. Novitius nu. 7. & ſeqq.* Immò ad profeſſionem præſumendam ſufficit primus actus, vel expreſsè profeſſionis, vel tacitè, unde ad hujuſmodi profeſſum pertinet probare nullitatem profeſſionis intrà quinquennium, ſi vult exire, coram Superiore ſuo, & Ordinario ex Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de Regul. cap. 19.* quòd certè non probabit ſi ſit dubius: Immò aliquando debet intrà quinquennium facere hanc probationem coràm Sacra Congregatione Concilii, ut quandò profeſſio eſt nulla, ex eò quod non emiſſa in conventibus deſignatis, ut patet ex decreto Urbani VIII. *ſub die 5. Januarii 1636. Ad occurrendum motibus*, per extenſum relato à Paſſerino *tom. 3. de ſtat. qu. 189. art. 10. inſpec. 9. n. 444. & ſeqq.* Poteſt igitur ſolùm profeſſus ſtante tali dubio proteſtari coràm Judicibus ad effectum, ut ſi contingat ipſum certificari de nullitate profeſſionis, non cogatur ante quinquennium remanere in Religione, probatione tamèn nullitatis judiciali, ut ſuprà concluſa. Poſt quinquennium verò id multò magis eſt verum, cum ex eodem Concilio, de via ordinaria profeſſus nulliter nequeat audiri, ſed tenetur in Religione perſeverare, ut Civis Religionis, omnibus ejus privilegiis fruens, & ex præcepto ſaltem ad omnem regularem obſervantiam adſtrictus, ſtante præſcriptione quinquénali. Videatur quæsò de his Paſſerinus *ubi ſuprà à n. 435. & ſeqq.* & Fagnan. *cap. ſi quis num. 19. de Regular. & in cap. Perlatum n. 39. de iis, quæ vi, &c.* & alibi pluries.

Quær. 3. An Religioſus poſſit unquam validè confiteri cum Confeſſario à proprio Prælato non deſignato, & an detur aliqua juſta cauſa nõ confitendi cum illo, & an validè confiteri valeat cum Pœnitentiariis Papæ?

Reſp. Confeſſio Religioſorum facta alteri Confeſſario non deſignato pro illis à proprio Prælato invalida, eſt, & nulla, & hoc eſt certiſſimum apud omnes ſcribentes; Nàm nullus Confeſſarius poteſt abſolvere pœnitentem, niſi in eũ habeat Ordinariam, aut ſaltem delegatam juriſdictionem, unde pœnitens debet eſſe Confeſſarii ovis propria, aut eidem commiſſa à proprio Paſtore, aliàs ex defectu juriſdictionis in Confeſſario nulla prorsùs erit confeſſio, & invalida abſolutio. Ità tradunt Goffred. *in Summ. tit. de pœniten. & remiſſion. nu. 6.* Tolet. *mox adducendus num. 3.* Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 18. n. 26. & tom. 2. verb. Confeſſarius num. 2.* Buſenbaum *lib. 6. tract. 4. cap. 2. dub. 3. num. 9.* & eſt communis

Digitized by Google

ſententia, ut dixi in hoc tit. de Regular ſeù Religioſis, ad Inter. 111., Verum eſt tamèn, quod aliquando quis validè poteſt confiteri cum Confeſſario non proprio, vel ei à proprio Prælato minimè deſignato, & hoc contingere poteſt ex culpa proprii Confeſſarii, ut mox oſtendam, & in tali quidèm caſu pœnitens, licèt Religioſus, juſtam haberet cauſam cõfitendi cum alio: Tunc igitur dicitur adeſſe culpa ex parte Confeſſarii, quandò eſt valdè ignarus, & confitens ſupplere nõ poteſt, tamen vide, *quæ dicõ in tit.* 224. *de val. Confeſ. ad Int.* 5. Item ſi pœnitens non poſſit cũ proprio Confeſſario confeſſionem inſtruere ſine ſalutis ſpiritualis periculo (Ex. G. quià probabiliter timet ex Confeſſione ſuarum turpitudinũ Confeſſarium fore eum ſollicitaturum) tunc validè quidem poteſt alteri confiteri, cum non debeat ſe, & Confeſsarium periculis ſpiritualibus animæ exponere; Quod etiàm militat, quando ſine periculo infamiæ nequeat cum eo confiteri, vel quià prudentèr timet fractionem ſigilli Confeſſionis, vel aliquod grave damnum ſibi eventurũ, ſive apud alios infamiam, vel hujuſmodi, nam in his, & ſimilibus caſibus dicitur adeſſe culpa ex parte Confeſſarii. Vide Sylveſt: *verb. Confeſſor n.* 6. Goffred. *loco cit. nu.* 17. & Armillam *in Summ. verb. abſolutio nu.* 19. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 8. Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 79. Buſemb. *ubi ſupra num.* 5. Notandum eſt tamen, quod ſolà pœnitentis verecundia, vel quia proprius Confeſſarius non habebit bonam opinionẽ de eo, non eſt juſta, & ſufficiens cauſa confitendi alteri, & non proprio, aut deſignato ab illo, ut docet Goffred., Sylv., Armilla, & Tolet. *locis ſuprac.* & alii communiter, unde caveant confitentes ne decipiant ſe ipſos dicendo, habebit me ſuſpectum, non habebit bonam opinionem de me, &c. quià hæc non eſſet cauſa ſufficiens alterum adeundi. Si verò quæras à quo juriſdictionem accipiat Confeſſarius non deſignatus, ut poſſit non ſubditum, nec ſibi à proprio Prælato commiſſum, abſolvere? Reſpondetur eam accipere à Superiore Prælato pœnitentis, ac etiã ab ipſomet Papa, qui eſt ſupremus Prælatus omnium Religionum, cum in dicto caſu ſufficiat etiàm licentia tacita, & rationabilitèr præſumpta ejuſdem Superioris, præſertim quando non poteſt adiri. Vide *cap. Sacerdos de pœnit. diſt.* 6. & Medinam *de Confeſ. q.* 31. *in fine*. Tandèm dico poſſe quemlibet validè confiteri Summi Pontificis Pœnitentiariis, quia ſunt quaſi Miniſtri, & Vicarii Papæ, ipſumque repræſentant in foro Pœnitentiali; Unde cum ſint deſignati à Papa, qui eſt Paſtor univerſalis, ac Generalis ſupremus Religionum, utique poſſunt validè omnium etiàm Religioſorum Confeſſiones excipere. Ità Peyrinus *to.* 1. *privil. minim. in conſt.* 2. *Julii II. n.* 62. & ex eo Lezana *ubi ſuprà propè finem*, & hoc ego quoquè innui in hoc *tit. ad Inter.* 111. *ſupra cit. in fine*, & tenet etiam Tolet. *ubi ſuprà num.* 7. *in fine*, & videtur etiam innuere Reverendiſſimus P. Franciſcus Maria Campionus *loco mox adducendo n.* 38. *prope finem*. In articulo autem, vel periculo mortis, ſi non adſit proprius Sacerdos, aut alius approbatus, quilibet Sacerdos eſt confeſſarius prò tali caſu, quia dici poteſt habere juriſdictionem jure conceſſam aliquo modo, & patet ex Triden. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. Vide ergò quæ dixi *in tit.* 146. *de Moribundis, & morti proximis, ad Inter.* 17. & præſertim Rituale Romanum *in rubricis de Sacram. Pœnit.* nàm vult, quòd quandò adeſt approbatus, nequeat abſolvere ſimplex Sacerdos, ut optimè quidem obſervat idem P. Campionus in ſua nunquàm ſatis laudata Inſtruct. prò ordinandis *cap.* 40. *num.* 5. Vide etiam Bonac. *de ſac. diſp.* 5. *qu.* 7. *punct.* 1. *à n.* 8. *uſque ad num.* 13. incluſivè.

Quær. 4. An Confeſſarius Regularis poſſit abſolvere ab excommunicatione contracta ob percuſſionem Cle-

Clerici levem? Et quid dicendum ſit de Confeſſariis in hac alma Urbe exiſtentibus?

Reſp. Affirmativam ſententiā amplexi ſunt Lezana *tom.* 3. *verb. Cleric. n.* 18. Naldus *in ſumm. verb. Clericus n.* 39. & alii. Verum oppoſitam ſententiam in praxi tenendam eſſe puto, quià obſtant Decr. Clem. Papæ VIII. *edito anno* 1601. & 1602. uno alterius declarativo, in quibus Papa ſibi reſervat excommunicationem Clerici juxtà canonem, *Si quis* 17. *qu.* 4. derogando quibuſcumque privilegiis, & litteris Apoſtolicis; Quarè cum illa decreta ſint contrà Confeſſarios Regulares, qui prætextu ſuorum privilegiorum abſolvebant ab omnibus reſervatis perſonas ſæculares, ideò non poſſunt amplius illa facultate uti, aliàs incurrunt excōmunicationem contrà inobedientes impoſitam: Levis autèm percuſſio Clerici, ſolùm Epiſcopo eſt delegata, aut commiſſa, juxtà juris diſpoſitionem *in cap. pervenit de ſenten. excom.* Ergò ſi Confeſſarius Regularis non habet facultatem circa caſus Epiſcopo reſervatos, & circà cenſuras, *ut dixi in tit.* 4. *de Abſolutione à Cenſuris, ad Inter.* 3. & docet etiam Sylveſt. *verb. Abſolutio* 4. *ſub num.* 1., minimè abſolvere poteſt perſonas ſæculares, quæ percuſſerunt Clericum levi percuſſione, & ità docet Leo *de Cenſu. recolect.* 5. *n.* 350. apud Dianam *part.* 9. *tract.* 4. *reſ.* 53. Immò idem Diana in fine dictæ reſolutionis teſtatur audiviſſe Sac. Congregationem Epiſc. & Regul. *die* 18. *Julii* 1642. quandam declarationem circà hoc evulgaſſe, & illam conſulendam eſſe putat. Concludendum eſt igitur non poſſe Confeſſarios Regulares in vim ſuorum privilegiorum, indultorum, aut facultatum abſolvere ſuos pœnitentes ſæculares ab excommunicatione contracta ob inectionem violentarum manuum in Clericos, etiamſi levis fuerit percuſſio, in Italia, & Inſulis adjacentibus, ſed ſolùm in Urbe, & in aliis Regionibus extrà Italiam, quià in decretis Clementis VIII. adductis, declaratur, quod per univerſam Italiam extra Urbem non poſſint uti dictis privilegiis, ut rectè advertit idem Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *n.* 15. & 16. & *tom.* 3. *verb. Confeſſarius Regularis n.* 5. ubi quoque refert declarationem Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. *ſub die* 14. *Auguſti* 1643. Immò *in verb. Clericus n.* 18. etiàm ipſe teſtatur audiviſſe extare declarationem quādam Sac. Congregationis Epiſc. & Regul. *de anno* 1642. *die* 18. *Julii*. Circa tale dubium: Undè non eſſe recedendum ab hac noſtra negativa ſententia, certò putò, cum tales abſolutiones invalidæ eſſe poſſint ob revocationem privilegiorum, & Sac. Congregationis declarationem. Vide Angelum à Lantuſca *in Theat. Regularium verb. caſ. reſer n.* 1. & 7.

Quær. 5. A quo ſit abſolvendus Religioſus, qui percuſſit Religioſum alterius Ordinis, aut alterius Monaſterii, & quid ſi percuſſerit Clericum ſæcularem ſuæ, vel alterius Diœceſis?

Reſp. Si Religioſus percuſſit Religioſum alterius Religionis, vel Monaſterii percuſſione levi, vel mediocri, abſolvendus eſt non ſolùm à ſuo Superiore, ſed etiam à Superiore Religioſi percuſſi, quamvis unus Superior poſſit vices ſuas alteri committere. Ità Sylveſter *verb Abſolutio* 5. *num.* 5. Toletus *lib.* 1. *cap.* 32. *ſub n.* 2. Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *pun.* 6. *ſect.* 5. *ſub num.* 9. Lezana *tom.* 3. *verb. Clericus ſub num.* 12. & Diana *par.* 9. *tr.* 4. *reſ.* 50. qui fusè, ac luculenter hanc quæſtionem reſolvit, & quia Prælato percuſſi ſatisfaciendum eſt de injuria illata ſuo ſubdito, ideò ipſum percuſſoré verberabit, & Prælatus illius, qui injuriam percutiendo alteri intulit, juramentum recipere debet à ſuo ſubdito percuſſore, (juramentum inquam de parendo mandatis Eccleſiæ, ſcilicèt ne poſtea faciat id, ob quòd erat excommunicatus, licèt hoc non ſit neceſ-

ceſſarium de forma, ut docent communiter Doctores) & ſaltem ſemel ipſum percutiendo abſolvere valeat; Semper enim abſolutio, impoſitio, & excuſatio pœnæ Prælato offendentis, utpotè vero illius Superiori competit. Verùm ſi præfati Superiores diſcordaverint in ſatisfactione imponenda, quia Prælatus offenſi acerbiorem exigit ea, quàm offendentis Prælatus deſignat, tunc eligendus eſt tertius arbiter, qui cum ipſis judicium ferat. Vide Palaū *tom. 6. diſp. 3. pun. 23. §. 5. numer. 9.* Layman *lib. 1. tr. 5. par. 1. cap. 5. circa finem*, Sayrum *de cenſu. lib. 3. cap. 28. num. 11.* & alios, quos refert, & ſequitur idem Diana *ubi ſuprà*. Si autē unus Religioſus percuſſerit alium Religioſum ejuſdem ſuæ Religionis, ſed alterius Monaſterii, aut Conventus, idem prorſus dicendum eſt, ut ſuprà dictum fuit, quando abſolutio datur à Superiore locali, ſecus verò ſi abſolutio tribuatur à Provinciali, vel Generali, quia cum ſint ambo ſubditi ipſorum, non eſt neceſſarius conſenſus inferioris Prælati ejuſdem Religionis, niſi ſint diverſarum Provinciarum, & non ſit Generalis, qui illum abſolvit, ſed Provincialis. Vide Bordonum *in conſil. Regul. tom. 1. reſ. 23. num. 47.* Qui *num. 50.* ait hoc etiam eſſe verum de percuſſione gravi, quæ eſt Papæ reſervata, propter privilegia Regularibus à diverſis Summis Pontificibus conceſſa, quòd docent etiam Palaus, & Boſſius, quibus ſubſcribit Diana *loco ſupracit*. Tandem ſi aliquis Regularis percuteret aliquem Clericum ſæcularem ſuæ, vel alterius Diœceſis, dico cum Sylveſtro, Bonac. & Diana *ubi ſupra reſ. 39. §. notandum eſt tamen*, Abſolvendum eſſe à proprio Prælato Regulari, dummodo percuſſio non ſit enormis, maximè attentis Regulariū privilegiis quoad exemptionem à juriſdictione Epiſcopi, ſed ſatisfaciendū eſt Epiſcopo Clerici percuſſi de injuria illata ſibi ſubdito, eodem modo, quo ſuprà explicatum fuit de Religioſo percutiente alterius Ordinis Religioſum, eſt enim eadem ratio in utroque caſu; Hoc quoque docet Lezana *ubi ſuprà*; ſed vide ipſum Lezanam *in verbo exemptio à num. 7.* & nota hanc doctrinam locum habere etiam ſi Regularis percutiat Regularem; vel Regulares ſe mutuo percutiant extrà clauſtra, nam abſolvi poſſunt per ſuum Prælatum, ut inter alios docet idē Sylveſter *loco cit. num. 5. circa finem*, quòd etiam militat de Religioſo percutiente Clericum ſæcularem extrà clauſtra, cum Epiſcopus ſolùm inſtare poſſit, ut puniatur à proprio Prælato, ut dixi *in hoc tit. ad Inter. 79.* Vide etiam, quæ dixi ibidem *ad Int. 48.* quæ quidem ad intentum concludunt. Concludendum eſt igitur, quòd non requiratur uterque Prælatus abſolvens circà alios caſus præmiſſos, ſed ſufficit proprius Prælatus, ut meritò ſuſtinet Paſſer. *de elect. con. cap. 26. n. 67.* ex privilegiis renovantibus *cap. Monachi 2. de Sent. excom.*

Quær. 6. An Parochi Regulares ſubiiciantur pœnis ab Epiſcopo impoſitis contrà inobedientes in iis, quæ pertinent ad curam animarum?

Reſp. Non obſtantibus privilegiis, dicendum eſt dictos Parochos Regulares immediatè ſubeſſe juriſdictioni, examini, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi curam animarum exercent, in iis omnibus, quæ pertinent ad curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, nam ità reſolutum, & determinatum fuiſſe à Greg. XV. & à Sacr. Cardinalium Congregatione plures teſtantur Auctores, quos refert, & ſequitur Diana *par. 11. tr. 2. reſ. 14. verſ. Sed affirmativæ ſententiæ*, qui etiam teſtatur de communi. Itàque dicti Parochi Regulares omninò ſubiiciunrur pœnis ab Epiſcopo impoſitis, eaſque incurrunt ſicut cœteri Parochi non parentes, & non exequentes decreta in viſitatione facta, etenim Epiſcopus poteſt contrà eos procedere, ſimulque cogere ad

exe-

exequendum, prout cenſuit Sac. Congregatio *die* 20. *Martii* 1621. *&* 1627. *die* 6. *Februarii* teſte Barboſa *in Collect. in Trident. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 11. *num.* 4. 5. 14. *& ſeqq.* Vide eumdem Barboſ. *de Poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 14. *num.* 18. *&* 27. Em. Sa. *verb. Religio num.* 32. Lezanam *tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 18. *de Benefic. Regul. num.* 9. *& to.* 3. *verb. Parochus*, *& Parochia num.* 5. & Diana *loco cit.* à quibus plura haberi poſſunt in confirmationem hujus reſponſionis. Tandem videatur Lantuſca *in Theat. Regul. verb. Regularis num.* 12. ubi refert aliud Sac. Congregationis Decretum, & Lezana *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 7. *&* 9. Ergo ab hac ſententia non videtur poſſe cum fundamento diſcedi.

Quær. 7. An Regulares abſque Apoſtolica diſpenſatione poſſint ab Epiſcopo ordinari extrà tempora?

Reſp. Quamvis de jure communi nullus poſſit ordinari, niſi in Sabbato quatuor temporum, & in Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & in Sabbato ante Paſcha Reſurrectionis, ut habetur ex Conc. Triden. *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. & ex aliis juribus; Tamen Regulares omnes ex ordine Mendicantium, & qui cum eis communicant in privilegiis, licitè ordinari poſſunt extrà tempora in qualibet die Dominica, vel feſto occurrente abſque alia Summi Pōtificis diſpenſatione, quia hoc Privilegium fuit olim conceſſum Mendicātibus, & poſtea à Clemente VIII. abſque limitatione confirmatum: Tale Privilegium conceſſerunt Alex. VI. & Eugen. IV. Monachis S. Hieronymi, & S. Benedicti, nec hujuſmodi privilegia revocata fuerunt per Conc. Trid. nec per alias Summorum Pontificum Conſtitutiones, aut Bullas, ideò licitè, ac tutè practicari poſſunt; Et pro hac ſententia ſunt Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul.* 9. 55. *art.* 17. *& tom.* 3. *q.* 23. *art.* 5. Villalobos *prima par. ſum. tr.* 11 *diffic.* 13. *num.* 6. Joannes della Crux *de ſtatu Religioſo lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 1. Homobonus *de exam. Eccleſ. tom.* 1. *tr.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 3. Portellus *verb. Ordines ſacri num.* 4. Hieronymus Rodericus *in compend. qq. Reg. reſ.* 57. *n.* 7. Euſebius Jordanus apud pacem Jordanum *in Schedula Sacram. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 7. *de Sac. Ordin. num*: 417. Pax-Jordanus *loco cit. tit.* 6. *de Sac. Ordin. num.* 427. ubi citat Barb. *de poteſt. Epiſcop. par.* 2. *alleg.* 17. *num.* 7. Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 31. *& par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 17. Auſonius *in Sum. Dian. verb. Ordinis ſubiectum num.* 35. Alloza *in florib. Sum. verb. Ordo num.* 14. & per tranſennā etiam Layman *tom.* 2. *lib.* 5. *tr.* 11. *cap.* 8. *ſub num.* 2. Leander *de Sacr. tom.* 2. *tr.* 6. *diſp.* 11. *quæſt.* 23. Averſa *de Sacr. Ordinis quæſt.* 3. *ſect.* 9. §. *Qui verò aliquem*, ubi aſſerit hanc ſententiam eſſe tutam in praxi, & teſtatur ſe vidiſſe illam practicatam in pluribus Dœceſibus, & in Romana ipſa Urbe, quibus ſubſcribit ipſe Diana *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 10. §. *Nota quarto*, & noviſſimè hanc ſententiam docet etiam Doctiſſimus P. Roſignolius *in tr. de ordin. Eccleſ. par.* 1. *q.* 2. *ar.* 8. & alii multi; Quidquid in contrarium dicant, Suarez, Vaſquez, Miranda, Peyrinus, & Lezana apud Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 31. Vide Lezanam *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 19. *& tom.* 2. *verb. Ordines Sacri numer.* 19. pro negativa ſententia, ac tandem Auctorē Cautelæ Confeſſ. *lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 9. Et licèt aliqui dicant dicta privilegia fuiſſe revocata per Concilium Tridentinum, tamen dato, & non conceſſo id eſſe verum, negari non poteſt Clem. VIII. poſt Tridentinum conceſſiſſe tale privilegium Patribus Congr. S. Jo: Evangeliſtæ in Portugallia, & ante Clementem VIII. Greg. XIII. iam conceſſerat Patribus Societatis Jeſu, teſte Leandro *loco proximè cit.* & Barboſa *in Trident. ſeſſ.* 23. *de refor. cap.* 8. *num.* 6. *&* 7. ac proindè per communicationem previlegiorum, eodem nunc fruuntur aliæ Religiones, tum quia privilegiorum Societatis Jeſu, etiamſi

etiãſi ipſi dumtaxat conceſſa ſint, poſſunt aliæ Religiones mendicantes cõmunicatione gaudere, ut aſſerit ex Societate Jeſu, idem Alloza *ubi ſuprà verb. Religioſi ſect. 3. num. 39.* & Diana mox adducendus: Et dato etiam quòd Privilegium, de quo in præſenti fit ſermo, fuerit conceſſum PP. Societatis Jeſu clauſula, ne aliæ Religiones uti poſſint, tamen ſi Doctoribus fidem præſtare libet, Clem. VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. omnia Societatis Privilegia communia fecerunt, ut præfati DD. uno ore teſtantur.

Quòd autem omnes Mendicantes communicent omnia privilegia PP. Societatis Jeſu conceſſa cum limitatione, nè aliæ Religiones communicent, ex ampliatione, & extenſione eorumdem privilegiorum facta per Pontifices ſucceſſores, teſtatur ipſe Diana *par. 1. tr. 2. reſ.* 81. & *par. 5. tr. 13. reſ. 46.* & *in Sum. verb. Regul. privil. num.* 11. & de facto ferè omnes Religiones, præcipuè mendicantes, habent inter ſe communicationẽ privilegiorum, ut docent Armilla *verb. Suſpenſio ſub n.* 24. *propè finem*, Moronus *reſp.* 00. *num.* 7. Pellizzarius *in Man. Regul. tom.* 2. *or.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 3. *num.* 41. Baſſæus *in florib. Theol. verb. Privilegium* 5. *num.* 6. Lezana *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. & alii communiter, teſte eodem Diana *par.* 10. *tr.* 9. *reſ. unica de diſpen.* §. *Verùm in fine*, dummodo tamen, addo ego, & ex aliqua magna ponderis ratione, aut ſpeciali motivo non conſtet de incommunicabilitate, &c. hoc autem non conſtat in caſu præſenti, ergo &c. Videatur quæſo Paſſetinus *de Statib. tom.* 3. *inſpect.* 10. *pag.* 839. *num.* 730. & *ſeq.* qui plurimorum authoritate huic noſtræ ſententiæ favet, licèt in fine dicat, tutius eſſe ſi diſpenſatio à Summo Põtifice impetretur, & hoc nullus negat; Attamen ex dictis ſequitur hæc probabilis concluſio, ergo virtute præfatorum privilegiorum poſſunt Regulares extrà tempora, quibusvis ordinibus initiari, ut iterum pluribus relatis firmat idem Diana *par.* 11. *tr.* 4. *reſ.* 7. Neſcio igitur quare non erit tuta in praxi hæc tot Doctorum opinio, contrà oppoſitum aſſerentes, & præſertim Peyrinum *tom.* 1. *privil. minimè in Conſt.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *num.* 39. Nam licèt ipſe Pyrinus *to.* 2. *de Prælato quæſt.* 3. *cap.* 7. *num.* 11. loquens de eo privilegio conceſſo PP. Cong. S. Jo, Evang. in Portugallia, dicat ſemper ſe habuiſſe ſuſpecta Privilegia Ultramontana, tamen immerito hoc dicit, dum illud privilegium dictis PP. conceſſit Clem. VIII. *die* 23. *Novemb. anno* 1596. teſte Portello *in dubiis Reg. verb. Ordines ſacri num.* 4. qui fatetur illud vidiſſe in Cõpendio illius Congregat. & prætereà tenet illa Privilegia Alex. VI. & Eugenii IV. conceſſa Religionibus D. Hieronymi, & D. Benedicti revocata haud eſſe à Tridẽtino, hocque probat ex Rodriquez, & Villalobos *in Sum. t.* 1. *tr.* 11. *diffic.* 12. *num.* 8. & *diffic.* 13. *num.* 6. Ideòque non bene loquitur ipſe Peyrinus cum aliis ab eo citatis, quia contrà omnes loquitur, & facit injuriam Pontifici, & reſpectivè Epiſcopis, & Religionibus dictis privilegiis utentibus.

Dicendum eſt igitur cum communiori ſententia, per communicationẽ Privilegiorum, omnes Regulares, præſertim ex Ordine Mendicantium, & cum eis communicantes in Privilegiis, frui poſſe dictis Privilegiis in caſu noſtro, & de facto hanc ſententiam in praxi amplexi ſunt plures Epiſcopi Doctiſſimi, atque pii, etiam Cardinales, ut à pluribus fide dignis accepi; nec non ipſemet tres Epiſcopos cum noſtris Religioſis, me conſulente, nullam, aut ferè nullam difficultatem eã practicandi habuiſſe vidi. Nec huic reſponſioni obſtat ſi dicatur, privilegia eſſe ſtrictè interpetranda, & eo magis ſi fuerint conceſſa cum clauſula, ne aliæ Religiones illa communicent, ut eſt illud à Greg. XIII. PP. Societatis Jeſu conceſſum; nam quidquid ſit,

num

mum per generalem communicationẽ privilegiorum intelligatur poſſe etiã communicari ea privilegia, cum dicta clauſula, quòd quidem multi probabiliter affirmant, cum habeant pro certa regula, quòd indefinita locutio æquipolleat univerſali, præcipuè ubi eſt eadem ratio, nec ulli præjudicium inferatur, ut ex diverſis juribus ſatis comprobatur: Tamen mihi videtur poſſe ſaltem ad intentum ſufficere illa alia privilegia ſuprà relata, in quibus dicta clauſula non eſt appoſita, ac tandem illud aliud privilegium certiſſimum conceſſum Equitibus S.Jo: Hieroſolymitani à Pio IV. in ſua Conſt. *nona*, & confirmata à B. Pio V. in Conſt. *Etſi cuncta* 77. cum clauſula, quorum tenores, motu proprio, & certa ſcientia, & à Gregorio XIII. in Conſt. *Quia magis* 60. qui etiam illud innovavit §. 6. & §. 10. Conſtitutionem B. Pii V. confirmavit, & à Gregorio XIV. in Conſt. *Quanta* 5. *anno* 1591. ex motu proprio, & ex certa ſcientia ſolùm præſervante Eccleſias, & perſonas in his, quæ ad curam animarum pertinent: Et ab Urbano VIII. in conſt. *Univerſalis Eccleſiæ* 15. *data* 29. *Martii* 1724 pariter ex motu proprio, ex certa ſcientia, & cum clauſula, quorum tenores, ſolùm præſervando Eccleſias, ut ſuprà: Ex quibus conſtat, quòd in reliquis voluit illius Ordinis privilegia vim habere: Hoc autem privilegium Religionis Hieroſolymitanæ, non eſt cum reſtrictione incommunicabilitatis, vel florentis obſervantiæ. Ergo &c. Non nego tamen eſſe in arbitrio Dominorum Epiſcoporum, an tali privilegio lato in favorem Regularium uti velint, cum Regulares cogere ipſos nequeant ad utendum illo, Ità pro veritate, & conſcientia, circà hanc quæſtionem pluries requiſitus, reſpondendum duxi, ſalvo &c. Verùm ſi aliquis ſcire deſiderat, quare tot, tantaque privilegia Regularibus conceſſa fuerunt, videat, ſi placet, in hoc *tit. ad Inter.* 88.

TITULUS CLXXXI.

De Reis Mortis.

Vide tit. de Carcer. Int. 2.; *tit. de Irreg. Int.* 20. *& ad quæſ.* 1.

1743 INter. 1. Teneturnè Reus ſub mortali fateri veritatem Judici legitimè interroganti, ſi patefacta veritate damnandus ſit ad mortem?

Reſp. Multi ſuſtinent, Reum non teneri contra ſe patefacere veritatem, quando ei immineat pœna capitis, vel triremium, & negando ſpem habeat evadendi, quia quilibet magnum jus habet à natura conſervandi vitam, ſuamque libertatem, itàut nullum præceptum humanum poſſit cum tanto rigore, & incommodo obligare; Inhumanum enim, inquiunt, videtur, ut qui convinci non poteſt, teneatur contra ſe arma præbere, quibus occidatur, aut gravem pœnam, ſcilicet perpetui Carceris, aut Triremium ſubeat; Unde dicunt, quod debeat, & poſſit æquivocando jurare, & pro hac ſententia ſunt innumeri Doctores, Leſſius, Rodriguez, Navarra, Sà, Reginaldus, Filliucius apud Bonac. *de Præcept. Decal. diſp.* 10. *qu.* 3. *pun.* 2. *n.* 6. & apud Dianam *par.* 2. *tr.* 15. *reſ.* 27. Mendo *epit. opin. moral. verbo Reus n.* 1. Card. de Lugo *de Juſt. to.* 2. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *nu.* 4. Hieronym., Rodericus *in Compend. qq. Regul. reſ.* 43. *nu.* 7. *&* 8. Mancin. *pract.* 2. *dub.* 1. Buſemb. *lib.* 4. *cap.* 3. *de oblig. Rei dub.* 7. *art.* 1. *Reſp.* 2. Bontépius *in Faſcicul Flor. Moral. to.* 5. *de Judice tit.* 0. *n.* 40. Lezana *to.* 2. *verb. Judex n.* 9. Peyrin. *to.* 1. *q.* 1. *c.* 16. §. 1. *& alii plures*. His tamen non obſtantibus oppoſitum docet S. Tho. 2. 2. *qu.* 69. *ar.* 1. D. Antoniu. 3. *par. tit.* 9. *c.* 7. §. 5. Sanch. *lib.* 6. *conſ. cap.* 3. *ſub num.* 29. Thom. à Jeſu *de viſit. Regul. tr.* 3. *c.* 10. Beja, Gabriel, Major, & alii, quos refert, & ſequitur Laym. *tom.* 1. *lib.* 3. *tr.* 6. *c.* 5. *num.* 1. *&* 2. Paſſerin.

in praxi form. proceſ. qu. 24. *art.* 1. *n.* 1. *&* 8. *cum ſeqq.* qui multos concordantes adducit. Sylvius *in* 2. 2. D. Thom. *qu.* 69. *art.* 1. cum Navar. *in Man. c.* 25. *n.* 36. & aliis. Et hoc ego puto verum, quia eo ipſo, quod quis commiſit delictum, & hoc eſt *jam ſemiplenè probatum*, publicæ juſtitiæ ratio exigit, ut Judici interroganti, *juris ordine ſervato*, delictum fateatur, ut illud puniri queat in commune bonum, nam eo ipſo, quod quis delictum patravit, hocque jam per ſemiplenam probationem Judici eſt manifeſtum, jam perdidit totum illud jus, quod aliàs habebat tuendi vitam propriam, undè indebitè eam conatur tueri contra Judicem juſtè, & legitimè perquirentem confeſſionem patrati delicti. Vide D. Thom. *loc. cit.* & ibidem Gajet., & præſertim Paſſerinum, qui, ut ſemper ſolet, latè, & doctè tuetur D. Th. ſententiam, & ad objecta reſpondet. Quamvis autem P. Cardenas *in Criſi Theol. diſſer.* 19. *num.* 81. *& ſeqq.* agendo de propoſ. damn. *num.* 26. 27. 28. ab Innoc. XI. ſuſtineat, non teneri Reum fateri veritatem in caſu propoſito, & doceat modum, quo poſſit vitari perjurium, tamen, pace viri docti, videtur mihi res valdè periculoſa, cum in Decreto dicti Pontificis ſit reprobata amphibologia, & mentalis reſtrictio in juramento, nec omnes ſciunt reſpondere per verba æquivoca, ſine ulla reſtrictione mentali, & conſequéter ſe exponunt manifeſto periculo perjurandi; ideò ipſi videant. Nam Tolet. *lib.* 4. *c.* 21. *nu.* 5. ait, quod iſte talis teneatur jurare abſq; æquivocatione ad mentem Judicis, licèt vita privetur. Et hanc Divi Thomæ ſententiam ſequitur etiam Azorius *par.* 3. *lib.* 13. *c.* 25. & communem eſſe fatetur, ſed vide Dianam *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 15. qui hanc noſtram ſententiam probabiliorem vocat.

1744 Inter. 2. Eſtnè validum matrimonium, quod contraxit Cajus damnatus ad mortem, cui Judex promiſit liberationem ſi propriam filiam duceret?

Reſp. Eſt validum, ſivè juſtè, ſivè injuſtè à Judice erat damnatus ad mortem, quia metus non eſt incuſſus ad extorquendum matrimonium; ſed datur ei optio, an velit ut exequatur contra eum ſententia mortis, aut illam evadere, ducendo Judicis filiam, & traditur ei modus, quo ſe poteſt à morte liberare ſi velit mediante tali conditione. Ità Sanchez *de Matrim. tom.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 12. *nu.* 10. Coninch. *de Sac. diſp.* 28. *dub.* 1. *concl.* 3. *n.* 10. apud Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 228. *ver. Notandum eſt.* Sotus *in* 4. *diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 3. Covarruvias, Valentia, & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de matr. q.* 3. *pu.* 8. *n.* 20. qui teſtatur de communi; Favet etiam huic ſententiæ Diana *par.* 9. *tr.* 8. *reſ.* 27 *verſ. ſed opinionem* Sanchez. Tamen nó deſunt alii, qui oppoſitum ſentiunt, ſcilicet, cum, quem Judex, vel alius Miniſter juſtitiæ juſtè ad mortem, vel aliam pœnam gravem damnare debuerat, impunitate oblata invitet, ut ejus filiam ducat in uxorem; tale matrimonium non valere. Vide Doctores penès Dianam *loc. cit. & par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 228.

Quær. An Reus damnatus ad mortem injuſtè, ſed ſecundum allegata, & probata poſſit ſe armis defendere contra Judicem, & ejus Miniſtros?

Reſp. Dicendum eſt non poſſe vi, & armis ſe defendere à Judice, nec ab ejus Miniſtris; & ſi ſecùs faceret, peccaret mortaliter, & ratio eſt, quià licèt Judex ſciat illum eſſe innocentem, potuit tamèn licitè, & tenebatur eum condemnare, & ejus Miniſtri itidem poſſunt, & tenentur ſentéciam exequi, ac per conſequens nullatenus poteſt dictus Reus tuta conſcientia ſe ab eis, cum ipſorum injuria, defendere, nàm in tali caſu, nec Judex, nec ejus Miniſtri præfatò Reo ullam injuriam faciunt, ut patet ex Reſponſione, quam ègo dedi ad *Int.* 2. *in tit.* 118. *de Injuſtitia*; Vide *etiam Inter.* 6. *tit.* 103. *de Homi-*

micidio. Et hanc ſententiam docent S.Thomas 2. 2. *qu.69. art.*4. Reginaldus, Leſſius, Filliuccius, Sayrus, & Suarez, quos dat, & ſequitur Bonac. *tom.*2. *de legib.diſp.*10. *quæſt.*3. *punct.*2. *ſub n.*22. & alii, quos ſequitur Diana *par.*9. *tr.*9. *reſ.*43. *verſ. Sed ſi aliquis*; Idem docet Armilla *verb. accuſatio n.*15. *& verb. Judex n.* 36. Quibus libenter adhæreo, nam aliàs ſequerentur ſcandala, & Reipublicæ perturbatio, ac boni communis, quòd præferendũ eſt privato, præterquam quod Judex habet jus exequendi ſententiam, quam juxtà allegata, & probata contrà illũ tulit, unde ſi Reus ſe defenderet, crimen læſæ Majeſtatis committeret. Ergo &c. Vide etiam Tolet. *lib.*5. *cap.*6. *n.*7. & Navar. *in Man. cap.*15. *num.*8.

TITULUS CLXXXII.

De Religionibus aliquibus particularibus.

Vide tit. de Prælat. Regul. Inter. 8. *tit. de Val. Conf. Inter.* 16. 17. 18. 19.

1745 INter. 1. Poſſuntne Regulares præſertim ex ordine Mendicantium abſolvere virtute ſuorum Privilegiorum, à caſibus Epiſcopo reſervatis?

Reſp. Non poſſunt, & ſententia affirmativa jam reprobata fuit ab eodem Alex. VII. die 24. Septembris 1665. & eſt propoſitio 12. reprobata, habetur etiam ex Conſtit. Clem. Papæ X. quæ incipit *Superna*, Ideò Regulares, ſicut alii, debent eſſe approbati ab Ordinario ſpecialiter pro reſervatis.

1746 Inter. 2. In illis Religionibus, in quibus lapſus carnis voluntarius opere conſumatus reſervatur, intelligiturne reſervata etiam ſimplex pollutio, ideſt ſine complice commiſſa?

Reſp. Licèt pollutio ſimplex, ſeù mollities voluntaria ſit graviſſimum peccatum contra naturam, & generationis ordinem, cum prodigatur ſemen à natura inſtitutum ad prolem ſuſcipiendam, ut docent Tolet. *lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 6. Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 10. *num.* 3. cœterique Doctores. Tamen quidam probabiliter dicunt nomine lapſus carnis opere conſummati intelligi debere lapſus carnis in ſuo genere completos, ideſt cum tertia perſona, vel cum animali intra, vel extra vas naturale, ſeù innaturale, & non ſimplicem pollutionem cum tertia perſona minimè conſummatam; Ità præter alios docet Cutillus *in addit. ad pract.* 3. Jacobi Mancini *in append. dub.* 8. Verùm contrariam ſententiam puto probabiliorem, nempè per lapſum carnis voluntarium opere conſumatum intelligendam eſſe etiam quacumque voluntariam pollutionem à ſe ipſo factam ſine auxilio ſocii, quia reverà eſt lapſus carnis in ſua ſpecie opere conſummatus, licèt aliàs in ordine ad alium actum, ſcilicet copulam, conſumatus non ſit. Ita tradunt Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 12. Lez. *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. Coriolan. & Graffius, quos dat, & ſequitur Bord. *tom.* 2. *reſ.* 48. *num.* 19. Favet etiam Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 118.

1747 Inter. 3. Inciditne in excommunicationem, qui percutit Religioſum profeſſum, vel novitium titulo correctionis, ſi in Religione adeſt ſtatutum, ne Superiores cauſa correctionis percutiant Religioſos?

Reſp. Ad hunc Caſum optimè reſpondet Dian. *par.* 9. *tract.* 4. *reſ.* 41. & dicit, quod non incurrat, quia per hujuſmodi Statutum, ſivè prohibitionem, non poteſt auferri privilegium juris, quod eſt poſſe Superiorem corrigere diſcipulos, vel ſubditos: Sequitur ergo non incurrere excommunicationem Prælatum, Magiſtrum, vel Submagiſtrum cauſa correctionis leviter percutientes ſuos Juvenes profeſſos, vel novitios, quia licèt faciant cõtra conſuetudinem, vel Conſtitutionem ſuæ Religionis, tamen non agunt con-

tra jus commune. Vide Avilam *de cenſ. par. 2. cap. 5. diſp.* 13. Sylv. *verb. excom. 6. num. 6.* §. 8. & iterum Dia. *loco cit. reſ.* 21.

1748 Inter. 4. Quando datur abſolutio generalis,& facultas eligendi confeſſarium illius Conventus, pro obtinenda abſolutione etiam à reſervatis; eſtnè opus, ut apud nos eligatur unus ex Confeſſariis à Priore deſignatis,vel ſufficit, ut eligatur quivis alius Confeſſarius habens licentiam audiendi cõfeſſiones à P. Vicario Generali, vel Provinciali?

Reſp. Noſter P. Euſtachius *quodlib.12. dub.4. n.* 1219. tenet quod debeat eſſe unus ex Confeſſariis à Priore deſignatis,aliàs non poſſit vigore præfatæ Abſolutionis generalis à peccatis reſervatis abſolvere: Mihi verò magis placet oppoſitum,nam abſolutio à caſibus reſervatis inſertis in Decreto Clem.VIII. nõ ſolum competit Prioribus, ſed & Provincialibus,& multò magis P. Vicario Generali, ut ſupremò Prælato hujus noſtræ Congregationis. Adeſt præterea quædam Capituli generalis declaratio de ann.*1632.* ubi habetur: *In abſolutione generali, in qua datur auctoritas eligendi Confeſſariũ illius familiæ, fuit declaratum, quod intelligatur de Confeſſariis à Vicario Generali, vel Provinciali approbatis*. Sequitur ergo, quod ſi tunc datur facultas eligendi Confeſſarium illius familiæ, habentem auctoritatem, quilibet poſſit confiteri, & abſolvi etiam à reſervatis per confeſſarios approbatos tàm à Vicario Generali, quàm Provinciali, cum hi omnes procul dubio habeant auctoritatem in habitu, quæ vigore Abſolutionis generalis eis prorogatur, quoad uſum, & exercitium, præſertim attenta præfata Capituli generalis declaratione,quæ quidem ſatis apertè loquitur. Rationes, quas pro ſua tuenda opinione adducit P. Euſtachius ſunt tres, prima, quia non ſunt deſignati à Priore. Secunda quia ſi intelligeretur de omnibus Confeſſariis, etiam non deſignatis, ſuperfluè poneretur ly *habentem auctoritatem*, cum ſatis ſit dicere. *Do vobis auctoritatem meam, ut unuſquiſque veſtrum poſſit ſibi eligere Confeſſarium hujus familiæ*: ſed adjungitur, habentem auctoritatem, ergo,&c. Tertia quia Declaratio dicti Capituli generalis ſolum fuit facta ad includendum etiam Confeſſarios approbatos à Provincialibus. Hæ ſunt potiores rationès, quas pro ſe habet P. Euſtachius, ſed ejus bona venia,reſpondetur ad primam, quod deſignatio, ſeù conſenſus Prioris ex congruẽtia, non ex neceſſitate requiritur, ut alibi ſæpe dixi;ultrà quod in caſu præſenti ſupponitur licentia Superioris Prælati, qui dat omnibus Confeſſariis ritè approbaris facultatem abſolvendi à reſervatis in Religione, aliàs non eſſet privilegium in favorem animæ ſubditorum conceſſum; Quòd autem Generalis Vicarius, & Provincialis poſſint hanc ſuam auctoritatem ſubdelegare, in dubium revocare non licet; nam deducitur *ex cap. inter cætera de Officio Ordinarii*, & ex aliis juribus notis; ergo ſupponitur illam ſubdelegare in dicto caſu, aliàs eſſent deterioris conditionis, quàm Priores, præſertim, quia preſente Vicario Generali, vel Provinciali, non Prior, ſed hi beneficium abſolutionis generalis ſubditis impertiunt, & dicunt *Do vobis auctoritatem meam, &c.* Reſpondetur ad ſecundam, Nequamquam poni ſuperfluè ly *habentem auctoritatem*, ſed pro majori cautela, quæ non nocet, ſed juvat juxta commune axioma, teſte Lezana *tom. 4. conſ.* 47. *n.*62. ſecus ſequeretur, quod etiam Conſtitutiones Religionis *par.1.cap.3. n.2.* ſuperfluè dicant, ut nullus Sacerdos abſque licentia Vicarii Generalis, & Prioris confeſſiones alicujus, *etiam Sacerdotis noſtri audire poſſit &c.* Dum ſatis erat dicere, *Confeſſiones alicujus audire poſſit*. Ad quid igitur ponunt illam particulam *etiam Sacerdotis noſtri*? Numquid noſtri Sacerdotes habent privilegium

gium

gium aliquod,ut poſſint confiteri cum non approbatis ? Ergo dicendum eſt quod illa particula ponitur pro majori cautela. Inſuper non obſtare facit id quod docet Sylveſter *verb. Confeſſor.* 1. *ſub n.* 5. ubi dicit, quod quilibet Sacerdos, ex quo eſt Sacerdos habens Claves, habet poteſtatem ligandi, & abſolvendi, & Juriſdictionem in habitu, licèt exercitium non habeat ex defectu ſubditorum, donec jure ordinario per electionem, vel aliàs de licentia concedatur, quòd etiam latè probat Navar. in Man. *cap.* 27. ſub *n.* 259. qui alios concordantes refert. Poſita igitur hæc doctrina,quilibet Sacerdos etiam non approbatus,eſt Confeſſarius in habitu, ideò ne Religioſi decipiantur, putantes in abſolutione generali concedi Juriſdictionem, & exercitium omnibus Sacerdotibus, quamquam non approbatis, idcircò ponitur illa particula *habentem auctoritatem,* & ſic non ponitur ſuperfluè. Reſpondetur ad tertiã, Præfatam Capituli generalis declarationem non eſſe ſolum factam ad includendum Confeſſarios approbatos à Provincialibus, ut vult ipſe Pater Euſtachius, ſed in favorem ſubditorum; & Confeſſariorum, qui non ſunt à Priore deſignati, ut poſſint tempore, quo datur abſolutio generalis abſolvere etiam à reſervatis Religioſos accedentes ad illos. Nam ſi ſolum illa declaratio facta fuiſſet ad includendum Confeſſarios à Provincialibus approbatos,ut putat Pater Euſtachius, neceſſarium nõ erat in ea ponere,quod intelligatur de Cõfeſſariis à Vicario Generali, vel Provinciali approbatis,ſed ſatis fuiſſet dicere, à Provinciali, cum de Vicario Generali jam ſupponebatur, & nulli dubium erat, ergo ne cenſeatur ſuperflua,non debet intelligi juxtà mentem P. Euſtachii. Nollem quidem me hominem vulgarem à ſua eruditione longè alienum arbitratu fieri, cum nõ ſit diſcipulus ſupra Magiſtrum; tamen pro reverentia, quam ſum in eum; qui mihi imperavit, ut meam proferrem ſententiam (dummodò abſcondatur Sapientibus, quæ revelatur parvulis) ideò quoad præfata, prout ſentio breviter expoſui, Sed ſub Cenſura Doctiorum.

1749 Inter. 5. Priores hujus noſtræ Congregationis, poſſuntnè ſibi eligere Confeſſarium extraneum, qui non ſit ab Ordinario approbatus, & valentnè hanc licentiam ſuis ſubditis præbere?

Reſp. In *tit.* 175. *de Prælatis Regularibus, ad Inter.* 15., *&* 16., *ſatis dixi,* Prælatis Regularibus competere hanc facultatem, modò tamen per Regulam, vel ſtatuta Religionis hoc illis non ſit prohibitum, ut docet Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *nu.* 81., & alii ab ipſo relati,& colligitur *ex cap. Ne pro dilatione ultimo de pœnit., & remiſ.* Dico igitur in caſu noſtro non poſſe hujus noſtræ Congregationis Priores ſibi eligere Confeſſarium extraneum, & multò minus hanc ſuis ſubditis licentiam concedere,nam noſtræ Conſtitutiones *par.* 1. *cap.* 3. *nu.* 6. ſic expreſsè loquuntur. *Inhibemus autem ne aliquis Frater alicui extraneo Sacerdoti, ſivè ſit Religioſus, ſivè Sæcularis confiteatur, ſi copiam Sacerdotis noſtræ Congregationis habere potuerit ſub pœna gravioris culpæ. Quod ſi itinere,vel extra Conventum ob aliquam cauſam ad tempus degentes talem copiam habere non poſſint, cuivis Sacerdoti ſimplici Congregationis confiteri poſſint, & hoc etiam deficiente, cuivis alteri Confeſſario, tàm Regulari, quàm Sæculari.* Igitur cum verba Conſtitutionum generaliter ſint prolata, generaliter itidem intelligenda ſunt tam pro ſubditis, quam pro Prælatis; Verba etenim indefinitè prolata æquivalent univerſali, ut habetur *ex cap. Idololatria* 28. *qu.* 1. *& cap. ſi non licet* 23. *qu.* 1. & quod indefinitè dicitur,generaliter eſt intelligendum, *cap. Deus* 31. *qu.* 1., & tandem ubi lex non diſtinguit,nec nos diſtinguere debemus *l. Præſes Provinciæ* 3. *ff. de offic. Præſid. l. quos prohibet.* 7.

bet. 7. ff. de poſtulationibus l. 1. §. convenire in fin. ff. de Judic. Privilegium autem jure communi conceſſum in dicto *cap. Ne pro dilatione cit.* dat dumtaxat facultatem eligendi Confeſſarium. Quod privilegium videtur intelligendum juxta leges municipales Ordinis, & non aliter; Nam etiam Prælati tenentur ſervare Conſtitutiones ſui Ordinis, niſi excipiantur; eo maximè cũ hic agatur de Materia Sacramentorum. Ideò notent hæc Prælati Regulares, & conſulent jura particularia ſuæ Religionis; nam hic, quod tutius eſt pro noſtris dumtaxat reſpondendũ duxi. Vide Lezanam *loco citato nu. 11.*

1750 Inter. 6. Conſtitutiones Fratrũ Diſcalceator. S. Auguſtini loco proximè citato dicunt, quod quando Religioſi non habent copiam, ideſt opportunitatem confitendi cum Sacerdote ejuſdem Ordinis, ut in itinere, vel extra Conventum, poſſint confiteri alteri *Confeſſario*, quomodo igitur poterunt ſibi eligere Sacerdotem ab Epiſcopo non approbatum, cum non ſit Confeſſarius?

Reſp. Nomine Confeſſarii rectè intelligi etiam poteſt quivis ſimplex Sacerdos ab Ordinario non approbatus; nam ex quo eſt Sacerdos habens claves, habet poteſtatem ligandi, & ſolvendi, & juriſdictionem in habitu, & eſt Confeſſarius, ut dixi ſupra ad *Inter. 4. hujus tituli*, cum Sylveſtro, & Navarro, & deducitur ex Conc. Triden. *ſeſſ. 23. de reſor. cap. 15.*, ac etiam ex illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* Exercitium verò Juriſdictionis in caſu noſtro accipit à jure antiquo, & à Tridentino non limitato reſpectu omnium Regularium. Undè dũ ſimplex Sacerdos à noſtris eligitur in Confeſſarium, dum ſunt extra Conventum de licentia Superioris, aut in itinere, ille ſimplex Sacerdos ſic electus, habet exercitium juriſdictionis, & eſt Confeſſarius, & validè abſolvere valet illum, cui à Jure, vel privilegio conceſſa eſt facultas eligendi Confeſſarium, nam dicitur habere juriſdictionem ex conceſſione Juris. Vide Toletum *lib. 3. cap. 13. num. 2. & 3.* Bonac. *de Sac. diſp. 5. qu. 7. pun. 4. §. 1. n. 6.*, & alios apud ipſos. Nec Conſtitutiones Religionis dicunt alteri Confeſſario approbato, ſed ſolum alteri Confeſſario, & rectè quidem, quia omnes Sacerdotes reſpectu Regularium ſunt Confeſſarii, quare Bordonus *tom. 2. var. Reſol. par. 1. reſ. 34. num. 2.* ad intentum ſic inquit; *Quando conceſſio continet hæc verba, eligere poſſis Sacerdotem Confeſſarium, adhuc eligere potes ſimplicem Sacerdotem, quia eligere Sacerdotem in Confeſſarium, non eſt eligere eum, qui jam erat Confeſſarius, ſed electum de non Confeſſario evadere Confeſſarium.* Ideò omnes DD. qui poſt Tridentinum docent, poſſe Regulares confiteri Sacerdotibus non approbatis, ſæpè utuntur hoc termino *Confeſſarii*; ergo ſecus dicere, cum ſit quæſtio de nomine, & diſputatio de vocabulis, relinquenda eſt pertinacibus, ut habet Gloſ. ſuper Rubrica Inforiati, quam refert Marcus Paulus Leo *in prax. ad litter. M. Pœnitentiarii pag. 115. verſ. & omnes.* Et benè quidem, Nam de verbis non eſt dialecticandum, ut docet Mantica, & Antonius Monac. quos refert, & ſequitur Lezana *tom. 4. conſ. 31. num. 32.* Tandem ſi cõſtitutiones intelligerent Confeſſarium ab Ordinario approbatum, certò clarius, & apertius locutæ fuiſſent: at quia lex non explicat, neque nos explicare debemus. Vide Dianam *par. 9. tract. 8. reſ. 55., & par. 11. tr. 5. reſ. 30.*

1751 Inter. 7. Conſtitutiones Fratrũ Eremitarum Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini *par. 1. cap. 7. num. 4.* præcipiunt, quod nullus Fratrum non ſolum pecunias apud ſe retineat, ſed nec etiam quovis prætextu, eas tangere præſumat ſub pœna graviori, & excommunicationis latæ ſententiæ: Ideò quæritur an ſaltem liceat illas tangere mediatè in caſibus occurrentibus abſque

ſque ulla pœna?

Reſp. Communis noſtrorum Religioſorum ſententia tenet, Conſtitutiones loqui de tactù phyſico, & immediato non autem de tactu mediato, & ità declaravit Capitulum Generale anno 1677. cui vigore noſtrarum conſtitutionum *par.3.cap.2. num.13.* competit, juxta Juris formam, Conſtitutiones, Ordinationes, Declarationes, Inchoationes, condere, annullare, alterare, diſpenſare, declarare, & facere. Et quidem experientia, quæ eſt rerum magiſtra, abſolutè docet, his præſertim temporibus, eſſe moraliter impoſſibilem, hanc conſtitutionum prohibitionem poſſe obſervari, tam in itinere, quàm extra, ſtante neceſſitate urgente, quæ ſæpè ſæpius compellit Religioſos ad tangendas pecunias. Jure meritò igitur Superiores unà cum Capitulo Generali, declararunt, non eſſe tranſgreſſores Conſtitutionū illos Religioſos, qui de ſuorum Superiorum licentia ſecum ferunt pecunias, ac illas mediate tangunt; Nam ſi ad expendendas pecunias in caſibus, qui ſæpè occurrunt, deberent Religioſi uti opera Sæcularium, multoties defraudati remanerent, & fraudolenter decepti eſſent, ab illis, qui abutuntur modeſtia, ac Religioſorum ſimplicitate, ut experientia ipſa teſtatur. Quod autem pecunia non ſit tangenda immediatè, non eſt ridiculum, ut quidam dicunt; Nam ſi ſtante neceſſitate, quæ lege caret, non poteſt præceptum ſervari in totum, ſervatur ſaltem in parte, eo meliori modo, quò poſſumus ob reverentiam Conſtitutionum; nec abrogatur hæc lex municipalis hujus noſtræ Cōgregationis tangendo pecunias mediante aliquo intermed'o, veluti non abrogatur lex communis prohibens Laicis tactum Sacrorum Calicum, aut Vaſorum per hoc, quod dicatur illos non peccare, ſi ea ſacra vaſa tangant, mediante aliquo linteo mundo. Ultra quod noſtræ Conſtitutiones imponunt pœnam excommunicationis contra præſumentes tangere pecunias; at præſumere non dicitur, qui neceſſitate cōpulſus, probabiliter, & prudenter credit, ſe benefacere ad majora mala vitanda, ut docet Em. Sà *verb. Interpretatio num.* 8. Ergò dicendum eſt rectè potuiſſe Capitulum Generale declarare, aut interpretari illam Conſtitutionum prohibitionem, intelligendam eſſe de tactu phyſico, & immediato pecuniarum, non autem de tactu mediato, cum aliàs compertum ſit non poſſe obſervari in totum, & lex, quæ de facto ſervari non poteſt, minimè obligat *l. 1. §. Dies ff. quando appellandum ſit; & cap. erit autem lex. diſt.* 4. Immò quando gravis adeſt, neceſſitas retinendi, aut tangendi pecunias, illas quivis retinere, ac tangere licitè poterit, quia neceſſitas facit licitum id, quod de Jure non eſt licitùm: *cap. quod non eſt* 4. *de Regul. Juriſ. & cap. licet de feriis*: Siquidem neceſſitas non ſubjacet legi: *l. Tutor, qui repertoriū* 8. *ff. de adminiſt. Tutorum. cap. quartò in fine de conſ. cap. Exiit 3. de verb. Signif.* Et ideò ipſa neceſſitas eſt legitima cauſa recedendi à generali diſpoſitione, ut habetur *ex cap. ſi quis propter 3. de furtis l. ut gradatim* 11. 9. *quoties, ff. de muner. & honor.* Bartolus *in l. 1. §. nunciato num. 29. ff. de novi oper. nunc. & l. 1. num.5. C. de oper. liber.* Et hoc maximè verum eſt in caſu noſtro, cum talis neceſſitas examinata, & approbata ſit, tum à Superioribus, tum etiam à communi uſu Religionis, nec ullus, quamvis rectiſſimæ, ac timoratæ cōſcientiæ, ullum ſcrupulum facit circa hoc; dum putat certò his temporibus, aliter fieri non eſſe poſſibile; Quæ quidem de novo emergunt, novo indigent auxilio; quod ſanè rectè præſtatur tam à Superioribus ipſis, quam ab ipſamet conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres. Quare ex huculque dictis concludendum eſſe puto, non peccare mortaliter Religioſos tangentes pecunias modo dicto; neque ullam pœnam, aut excommunicationem incurre-

currere, quia excommunicatio major non ligat eum, qui mortaliter nō peccat. *cap. Nullus, & cap. Nemo 11. quæſt. 3.* & docet Navarrus *in Manual. cap. 17. num. 15.* & eſt communis ſententia; Nam excommunicatio nunquā fertur, niſi pro peccato mortali, ut habet *Gloſ. in cap. ex parte de verb. ſignif.* Quod autem Religioſi in caſu noſtro non peccent, patet quidem ex dictis, & ex pluribus, quæ magno cum fundamento dici poſſunt, & præſertim quia ipſi non præſumunt tangere pecunias, quando illas urgente neceſſitate tangunt, & ſic abeſt malitia, & dolus neceſſarius ad incurrendas pœnas cōtra præſumentes impoſitas. Tandem pater eſſe valdè difficile obſervare Cōſtitutiones in caſu noſtro, prout jacent conſequenter reputatur in Jure impoſſibile, ut docet Sà *verb. lex ſub num. 1.* & alii communiter; & benè quidem; Nam magna difficultas in moralibus humanis reputatur in jure impoſſibile, & æquiparatur impoſſibilitati. *l. Nepos Proculo, ff. de verb. ſignific. l. ſi ſervus depoſitus 22. de noxal. l. divortio 37. ff. de negot. geſt.* Bald. *lib. 1. conſ. 10.* Et valdè difficilium, & impoſſibilium idem eſſe judicium probatur *ex l. idem Julianus 41. §. conſtat, ff. de legat. 1.* Ità ſalvo meliori judicio reſpondendum duxi in hac tā gravi difficultate, de qua ſæpè interrogatus fui. Sed vide Euſtachium à S. Ubaldo *Quodlib. 11. dub. 12. à num. 1130. uſque ad 1134. incluſivè*, ubi de pecuniarum tactu egregiè loquitur, & an in hoc detur parvitas materiæ, & in quo caſu excuſet.

1752 Inter. 8. Religioſi Chartuſiani poſſuntnè umquam licitè, & abſque peccato veſci carnibus?

Reſp. Quidam dicunt, eos non peccare mortaliter edendo carnes ſecluſo contemptu, & ſcandalo, quia non ex voto tenentur abſtinere, ſed ex conſuetudine; Alii tamen probabilius negant, quia conſuetudo eſt altera lex, ultra quod habent præceptum, quo caſu intelligitur imponenda pœna carceris, quæ non imponitur niſi pro mortali, ut habetur ex *Can. Carnem de conſec. diſt. 5.* Vide Sylveſtrum *verb. Religio 7. num. 14.* Dico igitur etiam ceſſante ſcandalo, & contemptu non poſſe Carthuſianos veſci carnibus abſque peccato mortali. Quando verò ſunt Infirmi, & adeſt periculum vitæ, niſi veſcantur carnibus, cum licentia Medici, multi dicunt, eis licere, & ſine peccato, poſſe carnes comedere, quia jus naturale conſervandi vitam, anteponendum eſt omni legi poſitivæ, ideò cenſentur in extrema neceſſitate poſiti; Neceſſitas autem extrema eſt legitima cauſa recedendi à generali diſpoſitione, ut habetur *ex cap. ſi quis propter. 3. de furtis l. gradatim 11. §. quoties, ff. de munerib. & honor.* Bartolus *in l. 1. §. nunciato num. 29. ff. de novi operis nunc. & in l. 1. num. 5. C. de oper. liber.* Neceſſitas namque facit licitum id quod de Jure non eſt licitum *cap. quod non eſt 4. de reg. Jur. & cap. licet 3. de feriis*. Itaque dicendum eſt, quod ſi velint, quamvis non teneantur licitè, & abſque ullo peccato (quando judicio Medici adeſt gravis Infirmitas, aut nihil habent ad manducandum præter carnes) ſecluſo ſcandalo, & cōtemptu illas comedere poſſint. Ità tradunt Sylveſter *verb. Juramentum 4. ſub nu. 10.* Em. Sà *verb. Religio n. 58.* Bonacina *de legib. diſp. 2. quæſt. 8. pun. 2. num. 16. & 17.* Diana *par. 3. tract. 2. reſ. 39. & par. 5. tract. 4. reſ. 32. verſ. ſed hic oritur, & ibidem tract. 3. reſ. 136.* Jo. Alloza *in Summ. verb. Religioſi ſect. 3. num. 20.* & alii plures apud Dianam *locis cit.* qui tamen adducit alios abſolutè dicentes, Carthuſianos etiam in periculo mortis teneri omninò abſtinere ab eſu carnium, quia ſpectat ad magnum, & publicum illius Religionis ſpirituale bonum, ut tanto rigore illa obſervantia vigeat, & lex humana ad commune bonum poſſit obligare etiam cum diſcrimine vitæ teſtantur, & ità credo obſervari, ut olim quidam amicus Chartuſianus mihi teſtatus fuit.

Cœte-

Digitized by Google

Cœterum ſi Medicus, aut alius, qui Carthuſiano Infirmo, & inſcio præberet cibos ex carnibus, nullus ex eis peccaret, ut docent D. D. communiter. Vide Dianam *in Summ. verb. Carthuſiani ſub num.* 1. *& Jo. Bapt. Gonet. tom.* 3. *tract.* 6. *Theol. diſp.* 5. *art.* 4. §. 2. *num.* 68.

Quær. 1. Quid requiratur prò recipiendis licitè Novitiis, præſertim in hac noſtra Excalceatorum Congregatione ordinis Erem. S. Auguſtini?

Reſp. Quantum attinet ad informationes de Novitiis ad habitum recipiendis, dicimus eſſe faciendas, examinandas, & probandas à Capitulo Conventus per ſecreta ſuffragia; Ità enim habetur ex noſtris Conſtitutionibus *par.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. *&* 13. & hoc juxtà Bullam Syxti V. & decreta Clem. VIII. quæ quidem volunt, ut hujuſmodi informationes faciendæ videndæ, examinandæ, approbandæ ſint per eos, ad quos de jure ſpectat eoſdem Novitios ad Roligionem recipere, Rodriquez *tom.* 3. *qq. Regul. quæſt. art.* 1. *&* 2. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 21. *in ſex articulos diviſa*, & præcipuè *art.* 4. Lezana *tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 24. *ſub num.* 13. & alii plures, quos congerit Peyrinus *tom.* 2. *de Prælato quæſt.* 3. *cap.* 1. §. 1. *num.* 25.

Sed dicimus etiam haud eſſe neceſſarium de jure communi, aut ex vi noſtrarum Conſtitutionum, quò bis fiat approbatio per ſecreta ſuffragia, ſcilicèt, ut prius approbentur informationes, deindè perſona, quæ ad Religionem petit admitti. Non de jure communi, quià id nullo jure cavetur, ut legentibus Bullam Sixti V. ac decreta Clem. VIII. clare patebit; Neque de jure particulari noſtræ Congregationis, cùm Conſtitutiones *in locis cit.* Solùm dicant, quòd Informationes dumtaxat per ſecreta ſuffragia approbentur, quod quidem eſt juri conformius, nam qui vult unum proptèr aliud, unum ſolum velle videtur, ideò cum approbantur informationes prò recipienda perſona, & ipſa perſona utique approbata cenſetur, quia qui vult unum, videtur velle omne id, quod neceſſariò ſequitur ex illo *juxtà legem* 2. *ff. de Juriſdic. omn. Judic. & cap. Præterea de offic. de leg.* Item qui vult antecedens, vult, & conſequens neceſſarium. *l. Si à reo* 70. §. *fin. ff. de fidejuſſoribus* D. Thom. *in* 4. *diſt.* 4. *qu.* 2. *art.* 3. *& in Supplem. q.* 98. *art.* 1. & è contrà qui vult conſequens, vult, & antecedens neceſſarium *L. Quamvis*, & ibi Baldus *C. de fideicom.* Rota apud Farin. *par.* 1. *tract.* 1. *deciſ.* 110. *num.* 5. Nicolius *in ſuis floſculis verb. Regulæ num.* 87. *& ſeq. fol.* 314.

Deducitur ergò non eſſe faciendam approbationem per ſecreta ſuffragia, niſi unica vice, quià quotieſcumque approbantur Scripturæ, ſeù informationes in ordine ad recipiendam perſonam, ſimul, & ſemel remanet approbata eadem perſona, quoad qualitates requiſitas, juxtà Apoſtolicas Conſtitutiones, & noſtram municipalem legem: Nec obſtant verba illa Conſtitutionum *loco ſupracit.* Ubi ſic inquiunt *Poſteà perſonæ quoad qualitates à Congregatione requiſitas approbatione recipiatur*, cum hujuſmodi verba intelligi debeant, ut eodem Capitulo, quo probantur informationes, recipiatur perſona, ſi habeat qualitates à Congregatione requiſitas; Et non quod iterum per ſecreta Suffragia approbetur perſona. Si enim Conſtitutiones voluiſſent, ut iterum per ſecreta Suffragia approbaretur perſona, utique id expreſſiſſent, cum veriſſimum ſit illud Juris axioma, lex ſi voluiſſet expreſſiſſet. Undè quià in caſu noſtro verba conjuncta non ſunt, ideò ſufficit alterum eſſe factum, nempè approbationem Informationum; ſi quidem verba ſunt formaliter intelligenda *l. in delictis* 4. §. *Si Extraneus ff. de nox. act.* Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 2. *punct.* 8. §. *Icidens num* 3. Immò mens legis magis eſt attendenda, quàm

quàm verba ejus *colligitur ex cap. Marcion.* 1. *quæſt.* 1. *& cap. fin. de reg. jur. in* 6. nàm mens, & ratio ſunt anima legis; Nec debemus putare, ut inquit D. Hieronimus *in dicto cap. Marcion.* Evangelium eſſe in verbis Scripturarum, ſed in ſenſu; At mens, & ratio noſtrarum Conſtitutionum in caſu noſtro eſt, ne admittantur ad Religionem inhabiles, aut detenti aliquo impedimedto, juxtà diſpoſitionem Pontificum, earumque noſtrarum Conſtitutionum præſcriptum & ſic meritò approbantur Informationes in ordine ad perſonam, quæ debet admitti cum qualitatibus à jure requiſitis; Ergò cum hæc approbatio præcedat, ejus menti omninò ſatisfieri apparet; Undè non ſunt facienda per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora, & ità practicatum ſæpius fuiſſe à Viris doctis, ac timoratæ conſcientiæ patet ex libro Propoſitionum Conventus Novitiatus Romani. Et hanc eſſe intentionem noſtrarum conſtitutionum, rectè opinati ſunt præfati Patres docti, qui probabilibus rationibus moti, unam ſufficere approbationem voluerunt, cum quibus nos pariter ſentimus, contra nonnullos, qui aliquibus rationibus nixi, oppoſitum conati ſunt probare, ſed minus probabiliter quidem, quià circà conſtitutionum intellctum, dicimus quod unius diſpoſitionis, unus eſt intellectus, & non plures, nam intellectus ſumatur à ratione, non autem à cortice verborum *l. ſcire legis ff. de legib.* Immò Bartol. *in l. Ambiguo ff. de rebus dubiis.*, vult quòd ille intellectus ſit magis tenendus, qui probatur per meliores rationes, & leges; Undè cùm magis propriè colligatur non eſſe faciendam bis approbationem per ſecreta ſuffragia, ideò hoc magis tenendum eſt; Favet lex *Nepos Proculo de verb. ſignific.* Siquidèm verba rebus, non res verbis deſerviunt, ut ait Gloſ. *in dicto cap. Marcion*; Ideò quæ longam interpretationem habuerunt, minimè ſunt mutanda *l. minimè, & l. ſi de interpretatione ff. de legib.* Conſequenter unico capitulo, & una approbatione poſſe ſufficienter in utroque puncto ſuffragium ferri, & noſtræ municipali legi competenter ſatisfieri putamus.

Quare concludendum eſt, ſi diligentia adhibita nil appareat, quod impediat receptionem Novitiorum, nequè ex parte diſpoſitionum Summorum Pontificum, nequè ex parte noſtrarum Conſtitutionum, atque delato eis Juramento coram Patribus Capitularibus de, & ſuper dictis impedimentis, & nil ut innuimus, appareat, & obſtet, illos quippè habiles habendos eſſe, atque unica approbatione, ut diximus à toto Capitulo approbandos. Quæ autèm dicatur in hoc caſu diligens inquiſitio de vita, & moribus perſeverantis, quæ fieri debet antequam recipiatur, videtur illa ſufficiens, quæ ad humanam fidem faciendam ſatis eſſe poteſt, qualis eſt duorum, vel trium teſtium, qui abſque ſuſpicione ſint, & juridicè, & cum juramemto interrogentur ab aliquo fideli Miniſtro, ſcilicèt Notario, ſivè à Religioſis ad hoc deputatis juxtà formam Syxtinæ. Vide Paſſer. *tom.* 2. *de ſtat. quæſt.* 187. *num.* 47. *& ſeq.* & tunc certè ſatis probat fides, & etiam ſufficit probatio, partim affirmativa, partim negativa, ſcilicet, quod ſi contrarium eſſet, facile id teſtes ſcirent, nam probant teſtes, quando aſſerunt ſe neſcire in tali perſona eſſe aliquod ex impedimentis, quæ continentur in Bulla Syxti V. & decretis Clem. VIII. & in noſtris Conſtitutionibus, modò tamèn ſimul profiteantur ſe talem perſonam cognoſcere. Ità docent Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 10. *ſub. num.* 14. & Lezana *tom.* 3. *verb. Novitii ſub num.* 21.

Cœterum prudenter incedere debemus in hoc negotio, quià licèt omiſſis informationibus profeſſio de jure communi non redderetur irrita, tamen

Præ-

Prælatus unà cum Capitulo Conventus, illam dantes, in pœnas à Syxto V. impoſitas incurrerent. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 24. *num.* 15. *&* *tom.* 3. *verb. Novitii ſub num.* 21. *& alii ſupracit.* At ſi ſic receptus à parte rei careat defectibus, & impedimentis, illum recipientes ſinè prævia informatione, non incurrerent dictas pœnas prout probabiliter ſentiunt Portellus, *in dub. Regular. Verb. Novitii informationes num.* 6. & ante eum Roderiquez *tom.* 3. *quæſt.* 54. *artic.* 4. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 83. qui ibidem *reſ.* 82. dicit, quòd nec mortaliter peccarent. Vecch. *de Novitiis diſp.* 7. *dub.* 5. *num.* 3. Peyrinus *tom.* 2. *de Prælato quæſt.* 3. *cap.* 1. *ſub num* 25. Lezana *locis proximè citatis*, & alii. Vide iterum Dianam *par.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 54. Sed ego puto quidèm eos in foro Conſcientiæ non incurrere dictas pœnas, ſed mortaliter peccare, quià ſe exponunt periculo cotraveniendi in re gravi mandato Summi Pontificis, ac per conſequens mortaliter peccarēt

Tandèm, licèt ſuprà affirmavimus de jure communi profeſſionem non fore irritam, attamen ex vi noſtrarum Conſtututionum, *loco ſupracit. num.* 8. eſſet invalida, dummodò ei intimatum fuerit eiiciendum fore, quoties de aliquo impedimento latente, & minimè ab eo patefacto conſtiterit, cum deſit conſenſus ex parte Religionis, quæ non intendit aliquem cum impedimento ad Religionē admittere &c. An verò peccent mortaliter Superiores Regulares nolentes admittere aliquem idoneum abſque cauſa in Religione ad annum Novitiatus peragendum, aut illum expellere volentes à Religione, vel denegare votum, ſed ſuffragium ad profeſſionem emittendam; Videre licet *ad Inter.* 4. *&* 5. *tit.* 151. *de Novitiis*, *& ad Inter.* 21. *tit.* 175. *de Prælatis Regularibus* ad quas Lectorem remitto Vide ſupra *tit.* 10. *ad quæſ.* 1.

Quær. 2. In hac noſtra Congregatione Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini, an facultas Vicarii à Priore deputati, eo ipſo expiret, quando Prior ad Conventum redit, aut competat ei etiā per tres dies, in quibus Prior actibus Communitatis non inter ſit, ità ut poſſit idem Vicarius præcedere Suppriorem, & loco Prioris Conventum gubernare, ac ſi Prior eſſet abſens à Conventu?

Reſp. Affirmabant quidem nonnulli; ſed oppoſitum eſt omnino tenendum, & practicandum, ut ex infradicendis conſtabit. Sciendum eſt ergo primò, quod Prior nequit ſuam juriſdictionem alteri delegare, nec Vicarium conſtituere, niſi quando iter facturus eſt extrà Civitatem, ità habetur ex noſtris Conſtitutionibus *par.* 3. *cap.* 7. *num.* 4. & ex nullo capite noſtrarum Conſtitutionum colligitur cōpetere Vicario tres dies poſtquā Prior ad Conventum redierit, ità ut poſſit in illis diebus munere Vicariatus uti. Ergo dum lex non explicat, neque nos explicare debemus, *juxtà legem Præſes Provinciæ* 3. *ff. de Offitio Præſidis*, cum ſimilibus. Imò quia ſubrogatio eſt odioſa, & aliquo modo exorbitat à Jure, ut docet Baldus *in l. cum antiquitas*; *circa medium C. de Uſufruct.* Bertacchinus *in Repert. verb. Subrogatio*, & alii, ideo facultas Vicarii, quæ ei à Priore ſubrogatur, cum ſit odioſa, extendi non debet ad tres dies, ut quidam putabant, ac pro certò tenebant.

Verùm ſi prior in illis tribus diebus velit gaudere privilegio hoſpitibus conceſſo *in par.* 1. *noſtr. Conſtit. cap.* 15. *num.* 7. ubi conceditur, quòd hoſpites poſſint per tres dies ab actibus Communitatis abeſſe, ut de facto obſervatàr, & uſu receptum eſt, & hoc ad refocillandas vires; attamen non ſequitur ex hoc, quòd Prior non ſit in Cōventu, & quod ſuam haud poſſit exercere poteſtatem, ergo neceſſe eſt, quod facu las Vicarii expiret, cum duo Prælati eidem Conventui præfici non poſ-

ſint. *cap. Quoniam de offic. ordin. & cap. cum non ignores de præben.* Unde ſi in eodem Conventu adeſt Prior, & ejus Vicarius, cum eadem Prioris poteſtate, ſit unũ Corpus duo capita habens, quod quidem eſt monſtruoſum, ſeù prodigioſum, & quod natura ipſa abhorret, & Jus commune omninò reſpuit. *Cap. in Apibus 7. quæſt. 1.* Sigiſmundus de Bononia *de Elect. dob. 51. num. 11.* quem citat, & ſequitur Lezana *tom. 4. conſ. 45. num. 32.* & favet Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. diſp. 5. quæſ. 23.* apud Lezanam *tom. 3. verb. Abbatia num. 3.* vel tandem talis caſus eſſet merè Metaphyſicus, quia Prior eſſet in Conventu, & non eſſet in Cõventu, dum adeſt ejus Vicarius cum eadem auctoritate Prioris, quod quidem abſurdum eſt afferere, ultra quod implicat in terminis, & involuit contradictionem, ut de ſe patet.

Rurſus confirmatur aſſertum, nam ideò abſente Priore, Supprior, aut Vicarius à Priore conſtitutus, Conventum gubernat, quia Conventus ſine capite eſſe non debet, ſed præſente Priore, Conventus ſine capite dici non poteſt, ergo ceſſare debet Vicarius; Ceſante enim cauſa, ceſſat effectus. *l. Adigere §. Quamvis ff. de Jure Patron. l. Si pater ff. de hæred. inſtit. & cap. cũ ceſſante de appell.* Sicque nullo pacto Vicarius præſente Priore ſuſtineri poteſt, cum revera nullum ſit in jure fundamentum, quod in ejus favore militare poſſit: Etenim præſente Priore, ejus vices amplius gerere non valet, non poteſt dici ſubrogatus, nec ei aliqua Juriſdictio de jure competere poteſt, ergo dicendum eſt, quòd nullatenus poſſit præcedere Conventus Suppriorem, Communitatem regere, totumque Conventum gubrnare, nec tandem munus Vicariatus obire, & ratio potiſſima eſt, quia ſicut in naturalibus ultima diſpoſitio ad formam advenientem, deſtruit præcedentem, ità adveniente Priore neceſſe eſt, ut illius ceſſet Vicarius, aliàs eſſet Vicarius intruſus, quia non canonicè, ſed per violentiam occuparet honores, & Officium Superioris, & conſequenter diceretur fur, & latro exiſtens in mortali, & reſtitutioni obnoxius, pro ut dicitur *in cap. gravis de reſtitut. Spol.* & docet Sylveſt. *in Sum. verb. intruſus*, Armilla *eod. verb.* Lezana, & alii communiter.

Nec obſtat dicere, quod talis ſit uſus noſtræ Congregationis, nempè quod Vicarius, & nõ Supprior illis tribus diebus regimen Cõventus habeat, quia hoc verum non eſt, ſed poſito etiam verum eſſe, nihilominus reſpondetur, quod facultas Supprioris, cum ſit à jure, perdi non poteſt per non uſum, & licèt Superiores in Conventu Jeſu Mariæ de Urbe diſſimulaſſent (ut gratis quidam dicebant) quòd Vicarius, & non Supprior communitati præeſſet, eorum diſſimulatio nihil valeret, quia diſſimulatio Prælati, quæ facit ad legis conſtitutionem, interpretationem, aut abrogationem, per actuum multiplicitatem, intelligi debet de illo Prælato, qui eſt Legiſlator, ut docet Sotus, quem citat, & ſequitur Sayrus *in Clavi Reg. lib. 3. cap. 11. num. 3. prope finem*; ſed apud nos Supremus Prælatus, cui competit ea facere, eſt dumtaxat Deffinitorium Capitulis generalis, hoc enim poteſt conedere leges, declarare, alterare, abrogare &c. habetur ex noſtris Conſtitutionibus *par. 4. cap. 2. num. 13. & ſeqq.* Sed Superiores debent eſſe capitulariter congregati, & ſeptem, ex noũem Patribus concurrere debent, & ſi in ſequenti Capitulo confirmatæ non fuerint, eo ipſo expirant: Interim cum Supprior ſit ſubrogatus à lege, obeunte, vel abſente Priore ab actibus Communitatis, eidem, & nõ Vicario, in dicto caſu competit communitatem regere. Ità ex Conſt. *par. 3. cap. 10.*

Neque relevat, ſi aliquando ex errore, aut ignorãtia aliter factum fuerit, quia nihil ex hoc licitè inferri poteſt, nam fa-

factum contra jus, pro non facto haberi debet, *l. Jubemus*, §. *Prædia*, *C. de Sacroſanctis Eccleſ. & cap. Quæ contra Jus 64. de reg. Jur. in 6.* Immo factum non attenditur, ſed quod fieri debuit, *l. nemo*, *C. de ſent. & inter locut.* & ſecundum Decium *in leg. Juris ignorantiam 6. num. 28. C. qui admitti ad bonorum poſſeſſionem*, in culpa eſſe dicitur, qui aliquod præjudicabile, maximè ignorans, non conſulit Peritos. Unde concludendum eſt, quòd facta de facto, ſunt etiam revocanda de facto, *juxtà cap. 1. Ut lite penden.* Alex. *conſ.* 179. ac denique quod latentèr, aut per vim, aut aliàs illicitè introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere, ut ait Gregor. VII. *in regul. Decret.* Hæc ſcripſi, ne iterùm, ut olim ſemèl vidi, ſimile inconveniens contingat, & abſque ratione locum habeat. Siquidem, quòd ratione caret, neceſſariò extirpari debet, ut dicitur *in cap. Choriepiſcopi 68. diſt.*

TITULUS CLXXXIII.

De Reliquiis Sacris.

Vide tit. de Circumſt. pec. Int. 27. tit. de Superſt. Int. 5.

1753 INter. I. Peccatne mortaliter, qui particulam Reliquiæ alicujus Sancti furatur, vel ſaltem de licentia cuſtodis illam accipit?

Reſp. Generaliter loquendo non peccat mortaliter, ratione parvitatis materiæ; Tamen ſi Reliquia eſſet alicujus Sancti inſigins, cujus dignitas multum æſtimatur, & raro, & difficulter particula, etiam valdè minima, concedi ſolet, peccat mortaliter, qui eam furatur, ut docet Caſtropalao *to. 2. tract. 8. diſp. 1. punct. 6. num. 19.* Sanchez *in Sum. tom. 1. lib. 2. cap. 43. n. 23.* quibus ſubſcribit Diana *par. 5. tr. 5. reſol. 35.* Bonacin. *de præcept. Decalogi diſp. 3. quæſt. 1. pun. 4. ſub num. 9.* Imò nec Epiſcopus, vel Prælatus Regularis, aut quivis alius, cui cura eſt commiſſa, poteſt ſine peccato mortali, alicui licentiam concedere, ipſam ſurripiendi, ut ex Sanchez docet ipſe Diana *loco cit.* Igitur non inurbanè, ut quidam putabant, ipſe uni ex Definitoribus noſtris Generalibus denegavi particulam valdè minimam fuſtis, qui dicitur eſſe B. Pii V. & aſſervatur in conventu noſtro Amerino, dum ibidē Officio fungebar Prioratus: Nam is, cui curæ cuſtodia Reliquiarum commiſſa eſt, nullam de illis adminiſtrationem habet, ac proinde ejus licentia non excuſabit à Furto. Ità Diana *loco cit.* docet, & rectè quidem.

1754 Inter. 2. Qui furatur ab Eccleſia Calices, Patenas, reliquias, vel alias res ſacras, inciditne in aliquam excommunicationem?

Reſp. Si hoc fiat cum effractione Portarum, vel Feneſtrarum Eccleſiæ, aut Sacriſtiæ, aut etiam ſi frangātur armaria, vel capſulæ, ubi tales res reponuntur, certò excommunicationem ipſo facto incurrit; *c. Conqueſtus de foro compet, & cap. conqueſti de ſent. excom.* Sylv. *in Sum. verb. Furtum n.* 8. Mendo *Epit. Opin. Moral. num.* 23. Lezana *tom. 3. verb. Furtum num.* 4. ſed ante denunciationem hæc excommunicatio nulli eſt reſervata, & ſic poterit ab Epiſcopo abſolui, ſed poſt denunciationem non poteſt abſolvi, niſi à Pāpa. Tolet. *lib. 1. c. 53. num. 7.* Cajet. *in Sum. verb. Excommunic. n. 211.* & alii communiter. Tenentur tamen Prælati, hujuſmodi fures denunciare excommunicatos, nam ità præcipitur illis in eodem *c. Conqueſti ſ. de ſent excom.* Contra fures verò Sacrarum rerū qui nihil fregerunt, non infligetur excommunicatio ipſo facto, ſed ſunt excōmunicandi *c. Conqueſtus de foro comp.* Lezana, *& alii cit.*

1755 Inter. 3. Qui furatur Sacras Reliquias, incurritne aliquam Excommunicationem?

Reſp. Peccat mortaliter, & committit ſacrilegium, ut docet Em. Sà *verb.*

Digitized by Google

verb. Sacrilegium, ſed excommunicationem non incurrit, juxtà ſententiam Lezanæ *tom. 3. verb. Reliquiæ Sanctorũ num.* 5. & Texedæ *tom. 2. lib. 3. tr.* 2. §. 3. *contr.* 8. *num.* 37. quibus adſtipulatur Diana *par.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 18. Et ratio ipſorum eſt, quia non extat textus, ex quo colligatur excommunicationem incurrere, qui Sacras Reliquias furatur; nam licèt Azorius *to.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæſt.* 10. *ex cap. Quiſquis inventus verb. Si quis domum* 17. *qu.* 4. oppoſitum doceat, tamen ibi textus non loquitur de pœna excommunicationis; ſed de ſeparatione ab Euchariſtiæ uſu. Immò docent Cajetanus *in Sum. verb. Excommunicatio*, & Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 2. *art.* 3. quod etiãſi talis excommunicatio extraret, per non uſum non valet. Et tandem Bonac. *tom.* 2. *de ligib. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punt.* 4. *num.* 9. ex Sanchez, & Suarez inquit jure communi, excepta Urbe Romæ, non videtur lata excommunicatio contrà fures Reliquiarum; quia nullo jure ſufficienter probatur, & teſtatur de communi. Ideò advertendũ eſt, quod hic Romæ extat excommunicatio, ne Reliquiæ ex Urbe extrahantur, ut bene notat Diana *loco cit.* Tamen ſi furtum Reliquiarum fiat cũ effractione feneſtrarum Eccleſiæ, aut Sacriſtiæ, aut ubi Reliquiæ aſſervantur, ipſo facto excommunicationem iccurrit, qui eas ſic furatur, ut ſatis ipſe probavi in antecedenti Reſponſ. licèt hæc excommunicatio nemini ſit reſervata, niſi poſt ſcutentiam declaratoriam criminis.

1756 Inter. 4. Alienatio reliquiarum includiturne in prohibitione Extrav. Ambitioſæ Pauli 2. de rebus Eccleſiæ non alienandis?

Reſp. Sententia affirmativa eſt cõmunior, probabilior, & in praxi conſulenda, ut teſtatur Diana *par. tr.* 14. *reſ.* 21. licèt oppoſita, ſua probabilitate non careat, ut aſſerit idem Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 223. §. *Notandum*, ſed vide Paſqualigum *qq. can. cent.* 2. *quæſt.* 181. *num.* 2. Verum eſt tamen, quod ad incurrendas pænas in dicta Extravag. impoſitas contra alienantes abſque aſſenſu Sedis Apoſtolicæ, requiritur præſumptio, quæ dolum, & temeritatem denotat, docent plures Doctores, quos refert idem Diana loco cit. quibus addo Lezanam *tom.* 2. *verb. Alienatio num.* 20. & 58. & Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 10. *num.* 12. ac proinde qui bona fide ignoranter, vel imprudenter, aut inadvertenter alienat, non comprehenditur in diſpoſitione illa puniente dumtaxat præſumentes. Ità Diana *ibid. ea reſ.* 21 *citata*.

1757 Inter. 5. Titius pro acquirenda quadam reliquia ſacra dedit multa dona cuidam eam habenti, poſtea vult illam dare Sempronio petenti, ſed petit ab eo id, quod ipſe erogaverat, poteſtne hoc fieri ſine labe Simoniæ?

Reſp. Haud quaquam hoc licitè fieri poteſt, nam hoc eſt reliquiã emere, & cauſa quæſtus illam venditioni exponere, unde abſolutè loquendo eſt aperta Simonia, ut habetur *cap. fin. de Reliq. & Vener. Sanct.* & in Trid. *in Decreto de invocat. vener. & rever. Sanctor.* Et docet Diana *par.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 18. *verſ.* Nota etiam, & tradunt DD. communiter, & ratio eſt, quia in dicto caſu res ſpiritualis, ut eſt reliquia pretio æſtimatur, & emitur: ergo eſt Simonia. Vide Bonac. *tom.* 1. *de Simon. diſp.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 8. & propoſitionem 45. damnatam ab Innc. XI. & ea quæ dicam *in tit.* 205. *de Simonia ad Inter.* 2. & 9.

1758 Inter. 6. Qui portat ſecum veras reliquias, aut characteres inſcriptos ſacris verbis, aut ſigno crucis, ſed in charta virginea, & cum certis cæremoniis &c. eſtne de ſuperſtitione damnandus?

Reſp. Qui ſecum id portat cum fiducia certa evadendi ab hoſte, aut expellendi morbos, aut non moriendi ſine præmiſſã confeſſione, & hujuſmodi, mortaliter peccat peccato ſuperſtitionis

tionis

tionis; nam adhibentur ad eos effectus, ad quos vim non habent, ultra quod adeſt vana circumſtantia, ſi contineant ſigna inutilia, vana, & ſuperſtitioſa tanquam neceſſaria. Vide Tolet. *lib.* 4. *cap.* 17. *ſub num.* 2. Bonac. *t.* 2. *diſp.* 3. *quaeſt.* 6. *pun.* 4. *num.* 10. Cabrinum *par.* 2. *caſ.* 8. 8. *annot.* 3. *num.* 12. & alios apud ipſos.

1759 Inter. 7. Quo pacto caveri poteſt ſuperſtitio in Reliquiis, Imaginibus cereis, quas vocamus Agnus Dei vel ſcripturis ſacris adhibendis, vel ad collum portandis?

Reſp. Quamvis à ſuperſtitionis culpa meritò excuſentur, qui verba Sacræ Scripturæ, Evangelium S. Joannis, orationes, vel reliquias geſtant ſine ſuperſtitionis uſu, aliiſque vanis circumſtantiis, ſed ad Dei tantùm, Sanctorumque honorem, vt docent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 20. Buſenbau. *lib.* 3. *tract.* 1. *dub.* 4. *verſ. Superſtitioſum non eſt*, *reſ.* 2. & alii communiter, tamen quinque conditiones neceſſariæ ſunt ad præcavendam ſuperſtitionis culpā; prima quod nihil falſi cōtra Sacrā Scripturā, vel contra Eccleſiæ auctoritatem contineant. Secunda quod in iis nihil reperiantur ad Dæmonis invocationem ſpectans. Tertia ut non iſcribantur nominibus ignotis, & aliis characteribus, præter ſignum Crucis. Quarta ut non ponatur ſpes in modo ſcribendi, ſcilicèt debere in charta virginea, vel tali tempore, aut modo ſcribi cum certo numero Crucium, &c. Quinta Denique, quod in ipſis non dicatur, qui apud ſe tulerit, vel has preces recitaverit, tale malum evitabit, ut v. g. non morietur in bello, vel in peccato, vel ſanitatem conſequetur, aut puellæ favorem obtinebit &c. nam hæc ſuperſtitionem redolent. Ità pluribus relatis docet Bonac. *loco ſupra cit. num.* 11. Cabrinus *caſ.* 3. *annot.* 3. *num.* 12. *pag.* 172. Verùm nota, etſi licitum ſit, & utile apud ſe geſtare verba Sacra, vel Orationes ad Dei tantùm honorem, aut Reliquias Sanctorum, ſeù Agnus Dei, ut vulgò appellantur, ſperans, ut Sanctorum interceſſione à malis liberetur, omiſſis inutilibus vaniſque ſignis; tamen dico cum Toleto *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 2. *verſ. Quarta eſt*, quod admonendi ſunt, qui talia portant, nè iſtis ſolis fidant, quaſi ſufficiant ſine alio bono operæ, & vitæ rectitudine ad vitam æternam conſequendam.

TITULUS CLXXXIV.

De Reſidentia.

Vide tit. de Paroch. Inter. 19. 20. 21. *tit. de Prælat. Reg. Int.* 33. *tit. de Sacram. Inter.* 12.

1760 INter. 1. Quo jure tenetur Epiſcopus ad reſidentiam, & poteſtne Papa cum eo diſpenſare in reſidentia?

Reſp. Communis Theologorum ſententia docet, teſte Diana *par.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 66. teneri de jure Divino. Unde non poteſt gregem deſerere ſua præſentia indigentem, poteſt tamen ex cauſa neceſſaria abeſſe, cum per ſufficientiam interim provideat: Cauſæ autem, ob quas ad modicum tempus, ſcilicèt ad ſummum duorum, vel trium menſium, ſivè continuè fiat, ſivè interpolatè, poſſit licitè abeſſe, ſunt neceſſitas, charitas, Eccleſię utilitas, obedientia debita. Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 4. *per totum.* Emm. Sà. *verb. Epiſcopus num.* 41. *& verb. Reſidentia n.* 1. & Trident. *ſeſſ.* 6. *cap. cap.* 1. *de refor. & ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *item de reform.* & ibi Barb. *in Collect. Doctorum.* Quando autem Papa diſpenſat in Reſidentia, ipſe ſtatuit, quomodo pro tali tempore providendum ſit tali Eccleſiæ, & quaſi onus illius in ſe ſuſcipit, & inde conſequenter fit, ut proprius Epiſcopus liberetur perſonali obligatione nō per diſpenſationem in præcepto naturali, ſed quia illo modo revera implet pa-

pactum cum ſua Eccleſia, ex quo illa obligatio alio modo incluſa etiam in ipſo pacto, providendo Eccleſiæ modo præſcripto à Supremo Paſtore ex rationabili cauſa; Hoc enim ſupponi debet, quia hæc eſt juſta conditio, quam vinculum ipſum includit. Et hanc opinionem tenent Suarez, Baſilius Pontius, & alii, quos ſequitur Diana *loco ſup.cit.* ſed Vaſquez, Molfeſius, & alii dicunt Papã non diſpenſare in obligatione reſidentiæ, ſed in caſu particulari declarare, præceptum Divinum non obligare ob communem vtilitatem, ſi quidem præceptum reſidendi eſt affirmativum, & ſic non obligat ſemper, & ad ſemper, ut præceptum negativum. Bonacina verò *de onere, & oblig. Benefic. quæſt.5. pun.3. num.* 3. inquit Papam poſſe diſpenſare in iis, quæ ſunt formaliter de jure divino, vel naturali, ſed radicaliter, & fundamentaliter pendent ab Eccleſiæ inſtitutione. Concludendum eſt igitur Epiſcopum teneri ad reſidentiã jure Divino, naturali, & Canonico, & Papam poſſe in caſu particulari juſta concurrente cauſa auferre obligationem juris divini.

1761 Inter. 2. Epiſcopus poteſtne ſine juſta cauſa abeſſe per tres menſes à Diœceſi ſua, & aliquid plus ſine gravi peccato, & onere reſtituendi fructus?

Reſp. Epiſcopus poteſt à ſua Eccleſia abeſſe ſingulis annis per tres mẽſes, ſivè cõtinuè, ſivè interruptè ſine alia Superioris approbatione, nec tunc amittit fructus, dummodò id faciat ex cauſa rationabili, non tamen in Adventu, Quadrageſima, Nativ. Domini, Reſurrectione, Pentecoſte, & Feſto Corporis Chriſti. Barb. *Ee poteſt. Epiſcop. par. 3. alleg.* 53. *num.* 8. & alii ab ipſo relati. Hoc ſpatium abſentiæ concedi Epiſcopis cauſa animum relaxandi, inquit Azorius *par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæſt.* 1. nam abeſſe è Diœceſi per tres menſes, etiam animi relaxandi cauſa, videtur juſta cauſa Barboſæ, & Sanctarello, & aliis apud Dianam *par. 9. tract.6. reſ.22. & par. 10.tr. 14. reſ.* 67. Sed hæc opinio nequit mihi placere, nam Sac. Congregatio ſuper reſidentia Epiſcoporum apud Fagnanum *cap. Qualiter de Cler. non reſidente num.* 44. interrogata, an Epiſcopo, qui antea per multum temporis v. g. per decem annos continuos in ſua Eccleſiã reſederit, & vel ab ipſa vacatione per Sac.Concil. ex rationabili cauſa ſingulis annis permiſſa, ſemper ſe abſtinuit, poſſit aliqua concedi facultas non reſidendi per aliquod tempus, licèt non adſit ulla cauſa ex approbatis ab eodem Conc. Trident. Sac. Cõgregatio reſpondit, non poſſe, quam reſponſionem approbavit Summus Põtifex, ut teſtatur idem Fagnanus *n.*48. qui eidẽ Cõgregationi interfuit, & quidẽ Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de refor.* ſuperfluã præſcriberet, hanc abſentiam duorum, aut trium menſium debere fieri æqua ex cauſa, ſi æqua cauſa cenſetur animi relaxatio, hæc enim ſẽper adeſt.

1762 Inter. 3. Epiſcopus reſidens prope Diœceſim in loco diſtanti ultrà unum milliare, diciturne reſidere in propria Diœceſi?

Reſp. Affirmant Doctores nonnulli, quos ſequitur Diana *par.* 10. *tr.*4. *reſ.* 67. *propè finem*, quia, qui parum diſtat moraliter eſt præſens, nec ullũ præjudicium officio, & Animarum neceſſitatibus infertur, dum facilè poſſunt ſubditi ad Epiſcopum accedere in caſibus occurrentibus, maximè ſcũ ipſius ſervitium non ſit tam frequens, & immediatum, ut eſt illud Parochi, & tamen excuſatur Parochus, ut refert Garcias *par.* 3. *cap.* 2. *num.* 179. fuiſſe deciſum à Sac. Congregatione, ergo multò magis excuſãdus erit Epiſcopus. Vide Theſaurum *in praxi par.*2. *de Reſidentia cap.* 1. *num.* 3.

1763 Inter. 4. Peccatne mortaliter Parochus abſens à ſua Parochia per bimeſtre in anno ſine Epiſcopi licentia?

Reſp. Dicunt quidam apud Bonac. *De Onere, & oblig. Beneſ. diſp.* 5. *pun.*4. *num.*

*num.*9. quod liceat Parocho per bimeſtre abeſſe ſine Epiſcopi licentia, quia Epiſcopi ſtrictius tenentur ad reſidentiam, quàm Parochi, ſed in Epiſcopis non requiritur licentia in abſentia duorum, vel trium menſium: ergo neque requiri videtur in abſentia bimeſtri Parochorum. Verùm non debet ſine licentia recedere, maximè quia ità SacramCongregationem declaraſſe, teſtatur idem Bonac. *loco cit. pun.* 3. *n.*6. & ità tenendum eſt omnino per ea, quæ docet Barb. *in Trident. ſeſſ.*23. *de refor. cap.* 1. *num.* 7. *& ſeq.*

1764 Inter. 5. Poteſtnè Epiſcopus ſub pœna excommunicationis, vel ſuſpenſionis prohibere Parocho, nè recedat à Parochia ultrà duos dies, abſque ejus licentia?

Reſp. Minimè, nam abſentia duorum, vel trium dierum, videtur res levis; ac proindè non poteſt eſſe materia cenſuræ, & ità deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione, aſſerunt Garcias, & Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 43. *num.*97. teſte Bonac. *loco proximè cit. num.* 8. quamquam valida ſit Conſtitutio Epiſcopi prohibentis Parocho, ne ſine ſua licẽtia diſcedat à Parochia ultrà duos dies: quià licèt Tridentinũ permittat Parocho abſentiam per bimeſtre: tamèn non aufert facultatem Epiſcopo prohibendi, nè recedat à Parochia, abſque ejus licentia. Ità præcitati Doctores, quibus libentèr adhæreo. Vide Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.*9. *ſect.*3. *ſub nu.*16.

1765 Inter. 6. Qui habet Beneficium in Cathedrali, aut Collegiata, teneturnè reſidere & ſi non reſidet, poteſtnè percipere diſtributiones?

Reſp. Certò tenetur: nec poteſt abeſſe plus tribus menſibus quotannis, ut patet ex Triden. *cap.*12. *ſeſſ.*24., & docet Bonac. *de onere, & oblig. Benefic. diſp.*5. *pun.*3. *ſub num.* 5. *&* 9. Emm. Sa, *verb. Reſidentia, num.*7. *& num.*11. ait, quod Canonicus abſens ſine cauſa, tenetur reſtituere diſtributiones, nec alii poſſunt remittere; ex Concil. Trid. *loco cit. de reform.* & Sac. Congregat. declaratione. Dico igitur, quod Canonicus abſens, per tres menſes poteſt percipere fructus ſui Beneficii, ſed non poteſt percipere diſtributiones quotidianas. Bonac. *de horis can. quæſt.* 4. *pun.*1. *ſub num.* 11. & alii plures apud Dianam *par.*10. *tract.*11. *reſ.*58. & ità tenendum eſt omninò.

1766 Inter. 7. Qui ſunt ij, qui tenentur de Jure divino, naturali, & canonico reſidere?

Reſp. Omnes curam Animarum gerentes, ut Epiſcopi, Parochi, & omnes Prælati, qui habent ſaltem externam juriſdictionem, v. g. viſitandi, excommunicandi. Ità docet Bonac. *loco cit. num.*1. & alii ab ipſo relati; Idem dicendum quoq; eſt de Superioribus, etiam localibus, Regularium, ut dicam *in tit.* 191. *de Sacramentis ad Inter.*12. *verſ. Sed pro coronide*, de quibus loquitur Peyrinus *tom.*2. *de Prælato, quæſt.*1. *cap.*7. *num.*27. Omnes iſti ergò dict. juribus tenentur reſidere, nec poſſunt tuta conſcientia gregem deſerere ſine juſta cauſa, & debita licentia Superiorum, aliàs tenentur pro rata temporis, quo abſunt, fructus reſtituere, antè Judicis ſententiam, ut reſolvũt Doctores penès Barb. *in Collect. ad Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform. num.*17. *&* 18. licèt Bonac. *ubi ſuprà pun.*4. *num.*5. & alii apud Dianam *par.* 10. *tract.*14. *reſ.*67. *verſ. Notandum eſt*, dicant, non teneri antè Judicis ſententiam reſtituere: ſed hoc non admittitur ab Emm. Sà, *verb. Reſidentia nu.* 6. & rectè: quià, ut bene advertit Lud. Engel. *in Colleg. Juris Can. lib.*3. *ti.*4. §. 1. *num.*5. Conſtitutio Concilii, non eſt pœnalis quoad illos fructus, qui cedunt tempore abſentiæ, hi enim potiùs cauſa deficiente, nõ acquiruntur, quàm omnimode ex pœna amittuntur. Vide Rotarium *de exam. Cler. cap.* 9. *ſect.*2. *nu.*23. qui optimè hanc tuetur ſententiam.

Digitized by Google

TITULUS CLXXXV.

De Reſtitutione accepti.

Vide tit. de Attent. Int. 3. tit. de Beneficiar. &c. Int. 5. 6. 8. 10. 12. 16. tit. de Beneſ. plur. Int. 5. tit. de Cappellania, &c. Int. 6. tit. de Cler. &c. Inter. 18. tit. de Confeſſar. Int. 21. tit. de Emption. &c. Int. 1. 2. tit. de Fid. prof. Int. 3. tit. de Furt. Inter. 2. 4. 5. 6. tit. de Pecc. ven. Int. ult. tit. de Poſſeſſ. &c. Inter. ult. tit. de Regul. Int. 40. 68. tit. de Reſid. Int. 2. 6. 7. tit. de Reſt. ae. & da. tit. de Sacram. Int. 12. tit. de Vendit. &c. Int. 1. 3. 4. 8. tit. de Viſit. Inter. 3. 6. & ſeqq.

1767 INter. 1. Qui invenit crumenam plenam pecuniis, & adhibita ſufficienti diligentia, non invenit dominum, poteſtnè tuta conſcientia illam ſibi retinere?

Reſp. Quidam dicunt, poſſe illas pecunias ſibi retinere, quia res, quæ nullum habent dominum, fiunt primò occupãtis: & habere incertum dominum, idem eſſe, ac habere nullum. Ità, pluribus relatis, firmat Dian. *par.* 2. *tr.* 17. *reſ.* 5. Tamen oppoſitum, nempè quod incerta, ſint reſtituenda pauperibus ad libitum Epiſcopi, vel ad capſam incertorum deferenda, tutius eſt, & probabilius; ſiquidem hoc eſt juxta conſuetudinem, & Decreta Locorum: & hæc ſententia eſt ferè communis, & ubique recepta, & ità docet Bonac. *de Reſt. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 4. *n.* 3. & alii plures apud ipſum, & penes Dian. *ubi ſupr. in princ. reſ.* & ita eſt omninò tenendum cum Nicol. *in Floſ. verb. Reſtitut.* 10. *n.* 7. ſed vide Cabrin. *de Caſ reſerv. par.* 2. *caſ.* 10. *annot.* 4. *nu.* 11. qui idem ſuſtinet.

1768 Inter. 2. Qui rem mutuo acceptam reddit per nuntium fidelem mutuatario, ſed nuntius non reddit, teneturnè denuò reſtituere?

Reſp. Certò tenetur, & ratio eſt, quia in mutuo obligatio reſtitutionis naſcitur ex ratione acceptionis, ideò quocumq; modo pereat, perit in damnum accipientis. Eſt comm. ſententia. Tolet. *lib.* 5. *c.* 24. *nu.* 2. *in fin.* Et hoc eſt verum, niſi nuntius ab ipſo mutuatario electus fuerit.

1769 Inter. 3. Cajus dedit Franciſco rem ſibi commodatam, ut eam redderet domino, ſed Franciſcus cum ea re aufugit, & non reddit domino, teneturne Cajus denuò reſtituere?

Reſp. Si Franciſcus erat Perſona ſecura, & cui Cajus poterat benè fidere, non tenetur ad reſtitutionẽ, quia ſi res perit nõ ex negligentia, aut malitia habentis, aufertur obligatio reſtitutionis. Quod etiam militat de depoſito, pignore, & aliis contractibus, in quibus obligatio reſtituendi naſcitur ex parte rei acceptæ. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 24. *n.* 2. *& alii communiter.*

1770 Inter. 4. Sejus dedit Confeſſario quinquaginta ſcuta furto ſublata, ut reſtituat ſuo creditori, tamen poſt aliquod tempus, ſcit Cõfeſſarium non reſtituiſſe, teneturnè Sejus denuò reſtituere?

Reſp. Pro utraque Parte adſunt authoritates DD. quos citat Diana *par.* 2. *tr.* 17. *reſ.* 2. Tamen cum Corrado *in Reſp. par.* 2. *queſit.* 445. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 24. *n.* 2. & aliis apud eundem Dianam, puto omninò, quod teneatur denuò reſtituere, ſi ea quinquaginta ſcuta, fuerint furto ſublata, quia res ex delicto debita, antequam ad creditorem perveniat, perit ipſi debitori, nam nõ videtur juſtum, quod creditor damnum pati debeat ob debitoris delictũ; Confirmatur: obligatio reſtitutionis in hoc caſu naſcitur ex ratione rei malæ acceptæ: Ergo quocumque modo pereat, perit in damnum accipientis. Nec valet dicere, quod Sejus non tenebatur cũ infamia reſtituere, & ideò quantum in ſe eſt, fecit, quod potuit: nam reſpondetur, quod infamia non facit dominum rei. Licèt Diana *loco citato* cum aliis tueatur oppoſitum.

Sed

Sed vide Bonac. *de Reſt. diſp.* 1. *qu.* 3. *pun.* 9. *n.* 8.

1771 Inter. 5. Confeſſarius, qui culpabiliter non obligavit Pœnitentem ad reſtituendum ablatum, teneturnè ipſe de proprio reſtituere?

Reſp. Affirmant Sylv. *verb. Uſura* 7. *qu.* 2. *& alii*, quos refert, ſed non ſequitur Diana *par.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 1. Tamen probabilius videtur aliis non teneri ad reſtitutionem, ſed ſolùm peccaſſe mortaliter: Et ratio eſt: quia Confeſſarius, ſive ſit Parochus proprius, ſive alius Sacerdos, ex officio tenetur ſaluti ſpirituali Pœnitentis conſulere: & ideò peccavit mortalitèr, quatenus reſtitutionem non injunxit. Non autem tenetur temporalibus Creditorum bonis proſpicere, ſicque, quia non peccavit contrà Juſtitiam, ad reſtituendum de proprio non tenetur. Ità fortioribus terminis docet Bonac. *de reſt. diſp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 11. *n.* 13. *& alii apud ipſum*, Diana *loc. citato*, qui alios Concordantes adducit, Suarez *in* 3. *p. to.* 4. *diſp.* 32. *ſect.* 16. Cabrinus *de caſ. reſer. par.* 1. *reſ.* 125. *per totam*, & ibi plura ad intentum. Verùm ſi Confeſſarius diceret obligato reſtituere, ut non reſtituat, vel reſtituere faciat, cum non teneatur, tunc certò, de proprio ad reſtituendum teneretur, ut ex communi conſenſu tradunt præfati DD.

1772 Inter. 6. Beneficiarius, qui primis ſex menſibus nō recitat Divinum Officium, teneturnè ex natura rei ad reſtitutionem fructuum?

Reſp. Multi apud Dianam *par.* 2. *tr.* 12. *reſ.* 25. dicunt teneri, quia peccat contra juſtitiam commutativam; cum Beneficium detur propter Officium: ergo ſi recipit mercedem, & non laborat, ad reſtitutionem tenetur: Sed oppoſitum eſt probabilius, & tenendū cum Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *q.* 2. *pun.* 2. *num.* 9. Gavanto *in commen. ad Rubr. Miſſ. tom.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 1. *num.* 5. Diana *loc. cit.* & aliis apud ipſos, Et ratio eſt evidens; nam lex Eccleſiæ, quæ tota cauſa obligationis eſt, ad id non obligat; Summus Pontifex enim poteſt minuere Officium: ità etiam Beneficiario reſtituendi obligationem remittere, quæ conſurgit ex omiſſo primis ſex menſibus Officio, & de facto remittit, & condonat: ergo ad nihil tenetur. Verùm peccat mortaliter ſi non recitat Officium, quamvis non ſit in ſacris conſtitutus, ut dixi *in tit.* 20. *de Beneficiariis, & Beneſ. Eccl. ad Inter.* 15. & tenet etiam Cajetan. *in Summ. verb. Horæ Can. in principio.*

1773 Inter. 7. Beneficiarius, qui non recitat Laudes, teneturnè ad aliquam reſtitutionem?

Reſp. Tale dubium movet Dian. *par.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 46. & tenet, quod licet peccet mortaliter, tamen ad reſtitutionem non teneatur: quia in Bulla B. Pii V. imponitur onus reſtituendi ex omiſſione alicujus Horæ; Laudes non ſunt hora ſeparata, ſed partes horæ, nempè Matutini: ergo, &c. Aliæ rationes videri poſſunt apud ipſum. Scio tamen DD. communiter docere tùnc ſolum excuſari à reſtitutione fructuū Beneficiarium, quando pars Divini Officii omiſſa ſit levis, ut ſi omittat ſolum paucos verſiculos, aut unum Pſalmum tantum: Dicendum eſt igitur notabilem officii partem omittentem ad reſtitutionem teneri; ac etiam teneri quoties peccatum mortale committitur in omiſſione alicujus partis notabilis alicujus horæ, dummodo illi parti tanta pars fructuum reſpondeat, quæ furto ſublata culpam mortalem conſtitueret, & hoc ſub peccato mortali, alioquin ſub veniali. Ità docet Suarez *de Relig. to.* 2. *lib.* 4. *c.* 30. *num.* 13. Bonartius *de Horis Can. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 12. & alii, quos citat ipſe Dian. *ubi ſup.* Vide Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 11. *& ſeqq.* & ſuprà *in ti.* 104. *de Horis Can. & off. Div. ad Inter.* 11.

1774 Inter. 8. Teneturne ad reſtitutionem fructuum pro rata omiſſionis Officii, ante, vel poſt ſententiam Judicis? nam cum ſit pœna videtur non obligare in conſcientia ante Sententiam, &c.

Dd 2 *Reſp.*

Reſp. Nonnulli volunt, quod ſit neceſſaria Judicis Sententia, quia nemo tenetur per exteriorem legem,ſtatutam pœnam adverſus ſe ipſum exequutioni demandare. Tamen oppoſitum dicendum eſt cum Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *q.* 5. *pun.* 2. *n.* 7. & aliis ibi relatis,& ita omninò tenendum eſt. Nam propoſitio, quæ aſſerebat, quod reſtitutio à B. Pio V. impoſita Beneficiariis non recitantibus Officium,nō debeatur in conſcientia ante Sententiam Judicis, eò quod ſit pœna, fuit reprobata ab Alexandro VII. die 24. Septembris anno 1665. & eſt 20. propoſitio ab eodem damnata; & meritò, quia hæc diſpoſitio,& aliorū Summorum Pontificum non eſt tantū pœnalis, cum Leo X. & B. Pius V. dicant in ſuis Bullis, Beneficiarios non recitantes, non facere fructus ſuos. Lex autem impediens dominium rei, ſeù tranſlationem dominii fructuum, aut cujuſcumque alterius rei,non eſt merè pœnalis, ut adverſarii putabant: ergo &c.

1775 Inter. 9. Cui fieri debet reſtitutio ex omiſſione Divini Officii?

Reſp. Debet fieri fabricæ Beneficii,vel Pauperibus,juxtà Bullam Beati Pii V. Ita quoque fieri poteſt in Miſſis celebrandis, vel aliis ſuffragiis offerendis pro Defunctis, cum etiam Defuncti ſint indigentes,Bonac. *loc. cit. pun.* 4. *n.* 4. Dian. *par.* 2. *tr.* 12. *reſ.* 27. & alii plures apud ipſos.

1776 Inter. 10. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum,poteſtnè ſuppleri per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus Beneficii fecerit?

Reſp. Affirmant quidam, ut Layman. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 2. *c.* 12. *n.* 9. & ex eo Diana *par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 57. & obiter *par.* 10. *tra.* 16. *reſ.* 95. §. *Verùm,propè finem*, ſed minus rectè loquuntur:ideò Jure meritò talis ſententia reprobata fuit ab eodem Alex. VII. in ſuo Decr. emanato Anno 1666. die 18. Martii, & eſt 5. propoſitio ab eo condemnata.

1777 Inter. 11. Penſionarius tenetur ne ad reſtitutionem fructuum, ſi parvum Officium B. Virg. non recitat?

Reſp. Utique, eodem modo,quo tenetur Beneficiarius, etiam ipſe tenetur; nam B. Pius V. in ſua Bulla eamdem ei obligationem impoſuit. Bonac. *diſp.* 1. *qu.* 5. *pun.* 2. *num.* 21. & *pun.* 4. *num.* 5. & eſt communis ſententia; Vide Dian. *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 95. §. *quæro* 5.

1778 Inter. 12. Teneturnè Uxor reſtituere Marito id, quod acquirit turpiter adulterando?

Reſp. Eſt quidem magna lis inter Doctores,an teneatur Uxor reſtituere Marito pecunias per adulterium acquiſitas? Et pro parte affirmativa ſunt non infimæ notæ Auctores, ut Molina, Reginaldus, Navarra, Bannez, Covaruvias, & alii, quos refert, ſed non ſequitur Diana *par.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 7. Volunt enim,Uxorem omne pretium per adulterium acquiſitum,debere reddere Marito, ac ſi aliter laborando illud acquiſiviſſet occultè tamen: dicūt eſſe reddendum,ut propriæ famæ conſulatur, & alia mala vitentur, & dummodò tale pretium non acceperint à Religioſis, filiisfamilias, & hujuſmodi, qui poteſtatem alienandi non habent,& eſt probabilis hæc opinio. Tamen probabiliorem oppoſitam putat ipſe Diana, & reſpondet ad argumenta contraria. Idem tenet Bonac. *de contr. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 3. *num.* 14. & alii penes ipſum: quæ quidem opinio mihi magis ſatisfacit. Et ratio eſt, quia Maritus in rebus illicitis,& inhoneſtis acquiſitis ab Uxore,nullum habet jus; nam licèt Maritus ſit dominus corporis Uxoris ſuæ quoad actus conjugales, ut dicunt Doctores primæ ſententiæ; tamen non eſt abſolutè dominus corporis Uxoris, ſicut eſt dominus equi, vel domus; ac proindè non ſequitur, Uxorem teneri Marito reſtituere,quæ turpiter acquiſivit adulterando, quamvis illi faciat injuriam, quia non pro omni injuria debetur reſtitutio pecuniaria; ſed debetur pro inju-

injuria cum damno, pecunia æſtimabili, ut docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 5. Sed vide Bonac. & Dianam *locis cit.*, qui, pluribus relatis, hanc noſtram ſubſtinent ſententiam, & ad objecta luculenter reſpondent. Vide *in tit.* 9. *de Adulterio, ad Inter.* 3.

TITULUS CLXXXVI.

De Reſtitutione accepti, & damni.

Vide tit. de Pecc. ven. Inter. ult.

1779 Inter. 1. Quid eſt reſtitutio?

Reſp. Eſt actus juſtitiæ commutativæ, quo res accepta reſtituitur, vel damnum illatum compenſatur ei, cui debetur. Ita Bonac. *de Reſtit. diſp.* 1. *qu.* 1. *pun.* 1. *num.* 1. Tolet. *lib.* 5. *c.* 17. *num.* 1.

1780 Inter. 2. Unde oritur obligatio reſtituendi?

Reſp. Primò ex re accepta, ſecundò ex injuſta acceptione, vel damnificatione, tertiò ex contractu. Ita Bonac. & alii communiter. Vide Tolet. *loc. ſup. cit.*, qui idem optimè docet.

1781 Inter. 3. Quis tenetur ad reſtitutionem?

Reſp. Qui injuſtè rem alienam accepit, vel proximum damnificavit, quique ratione contractus eſt obligatus reſtituere, ſive per mutuum, ſive per cenſum, alioſvè contractus, nam reſtitutio eſt reddere cuique, quod ab eo abſtulimus, vel accepimus, aut ratione contractus nos obligavimus. DD. cõmuniter ità docent.

1782 Inter. 4. Quot ſunt cauſæ ſufficientes ad differendam reſtitutionem?

Reſp. Sunt quatuor: prima eſt damnum creditoris, niſi fortè creditor ipſe cedat juri ſuo, nolens ſibi reſtitutionem fieri, ſimiliter damnum tertiæ perſonæ, modo creditor ſimile damnũ non patiatur. Secunda eſt damnum, quod longè majus patitur debitor, quàm ſit damnum ipſius creditoris, Tertia eſt impotẽtia, ad quam revocatur neceſſita extrema, vel gravis. Quarta eſt bonorum ceſſio. Bonac. *de Reſtit. diſp.* 1. *qu. ult. pun.* 1. *nu.* 39. adi ipſum, & lege totam quæſtionem, ubi pulchra invenies exempla; ſed qui ceſſit bonis ſedendo in loco publico, ſi venerit in pinguiorem fortunam, tenetur ad reſtitutionem. Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 78.

1783 Inter. 5. Poteſtnè Confeſſarius abſolvere pœnitentem, qui cum poſſit totum reſtituere, non vult, niſi per partes reſtituere, ob aliquod emolumentum indè ſibi proveniens?

Reſp. Dicunt aliqui, poſſe, ac debere Confeſſarium, illum abſolvere, ſi creditor nolit concedere dilationem parum ſibi nocivam, & Confeſſarius credat, quod negata abſolutione, & dilatione, nunquam, vel non ità utiliter reſtituet. Navar. *cap.* 17. *nu.* 65. S. Antoninus *par.* 2. *ti.* 2. *cap.* 8. & alii, quos refert. Sed his nõ obſtantibus, puto verius oppoſitũ, ſcilicet nõ eſſe abſolvendum, nec poſſe Confeſſarium dilationem concedere. Et ratio eſt, ut docet Bonac. *de Reſtitut. diſp.* 1. *qu.* 7. *punct. unico, num.* 16. quia debitor, jure naturæ, tenetur totum reſtituere, quàm primum commodè poteſt, nec Confeſſarius poteſt diſpenſare in jure naturæ, ultra quod, eo ipſo, quod non vult reſtituere cum poſſit, conſentit in detentionem iniquam illius reſidui, ratione cujus manet in peccato, & conſequenter eſt incapax abſolutionis. Ità Salonius, Medina, Corduba, Sotus, Sayrus, Molina, & Aragonius, quos citat, & ſequitur Diana, & Bonac. *locis cit.* Vide Bonac. *loc. cit. diſp.* 1. *qu.* 7. *pun. unic. num.* 3.

1784 Inter. 6. Poteſtnè Confeſſarius abſolvere pœnitentem, qui non habet firmum propoſitum reſtituendi quàmprimum poterit, data opportunitate?

Reſp. Dico, quod non, quia pœnitens, quamdiù poteſt reſtituere, & non reſtituit, eſt in ſtatu peccati mortalis; & conſequenter incapax abſolutionis. DD. communiter, teſte Bonacina

diſp.

*diſp.*1. *qu.*6. *pun.unic. nu.*14. *de Reſtit.*

1785 Inter. 7. Qui in extrema neceſſitate conſtitutus accipit aliquam rem, teneturnè poſteà reſtituere, quando commodè poteſt?

Reſp. Navar. *in Man.cap.*17. *n.*61. Tolet. *lib.*5. *cap.*24. *num.*7. & alii plures citati à Diana *par.*5. *tract.*8. *reſ.*9. affirmativè reſpondent, dummodò res fuerit magni pretii, & hoc mihi videtur probabiliſſimum ex rationibus, quas affert ipſe Navar. *loc. cit.* Tamen multi alii DD. contrariam opinionem ſuſtinent, docentes, qui in extrema neceſſitate, quo ea ſe liberet, aliquid accipit, ad reſtituendum illud non teneri, licèt ad pinguiorem fortunam evadat; & ità tenet Sot. *de Juſt. lib.*4. *q.*7. *ar.*1. Aragon. 2.2. *qu.*31. *art.*6. Sylveſter, Angelus, Roſella, Tabiena, quos citat Azorius *to.* 2. *lib.* 12. *c.* 8. *qu.* 7. quibus ſubſcribit Diana *ubi ſupra*; Utraque opinio eſt probabilis, ſed prima mihi videtur probabilior, & tutior.

TITULUS CLXXXVII.

De Reſtitutione Damni.

Vide tit. de Dub. Int. 11. *tit. de Eccl. Immun. ad quæſ.*5. *tit. de elect. &c. Int.*1. *tit. de Falſ. mon. Int.* 1. *tit. de Fil. ad quæſ.*2. *tit. de Gabel. Int.* 1. *tit. de Ir. & Od. Int. ult. tit. de Peccat. Int.* 23. *tit. de Pecc. ven. Inter. ult. tit. de Reſt. ac. & da. tit. de Teſtibus, &c. Int.*811.

1786 INter. 1. Adulter, qui ſuſcepit filium, reliquens illum inter filios legitimos mariti Adulteræ, præter alimenta, teneturnè etiam reſarcire damna legitimis hæredibus?

Reſp. Doctores communiter affirmant, adulterum teneri, ſicut adulteram ad reſarciendum damna ſubſecuta filiis legitimis, nam adulter non minus, quam adultera eſt cauſa talis damni; ac etiam tenetur occurrere damno dotis, quàm Pater putativus tradit puellæ ſpuriæ, credens eam eſſe propriam filiam. Navar. *cap.*16. *num.*48. & alii plures, quos refert Diana *par.*2. *tr.*17. *reſ.*55. *quibus addo.* Tolet. *lib.*5. *ca.*11. *num.* 4. Imò, ut ait Bonac. *de Matrim. qu.*4. *pun.*15. *ſub num.*18. Uterque tenetur inſolidum in defectum alterius; Undè tam ipſa, quam adulter curare debent quantum poſſunt, ne legitimi hæredes damnum patiantur. Vide Bonac. *loc. cit. num.*8. & 13. ubi plura ad intentum; & obiter Em. Sà *verb. Adulterium ſub num.*2.

1787 Inter. 2. In quo caſu poteſt adulter excuſari à reſtitutione?

Reſp. Primò, poteſt excuſari, quando ipſe probabiliter credit, prolem non eſſe ſuam, 2. quando dubitat, filiũ eſſe ſuum, vel quia mater eſt levis, & ſolita adulterari, vel quia ipſa quoque dubitat, an ſit filius adulteri, vel mariti ſui, nam melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem, & pecuniam. Navar. *loc. cit. num.* 49. Bonac. *ibidem num.*9. & alii plures. Vide Emm. Sà *verb. Adulterium, num.*2.

1788 Inter. 3. Quid faciendum eſt, quando duo carnaliter cognoverunt aliquam ſolutam, & non conſtat, cujus ſit proles ex ea ſuſcepta?

Reſp. Bonac. *loc. cit. num.* 10. ait, utrumque teneri ad reſtitutionem pro ſua parte; & altero nolente, tenetur alter in integrum, & hæc ratio militat etiam, quando duo cognoverunt unam & eamdem fœminam conjugatam, quę concedit tunc temporis, quo Maritus abſens erat, nam uterque tenetur alere, & reſtituere pro ſua parte, & in defectum alterius tenetur in ſolidum, ut in priori caſu dictum eſt. Vide Doctores apud Dianam *par.*4. *tr.*3. *reſ.*31. & *par.*7. *tr.* 11. *reſol.*35.

1789 Inter. 4. Teneturnè Adulter ſolvere impenſas Infantis Hoſpitali expoſiti?

Reſp. Certò tenetur ad reſtitutionem alimentorum, quæ facta fuerunt ab hoſpitali domo in alenda prole ſpuria: quia domus hoſpitalis inſtituta eſt

ad

ad alendos pauperes, vel filios pauperum; undè ſolum excuſaretur, ratione paupertatis, dummodo revera egeſtate laboraret, aliàs non excuſaretur, ſed omninò teneretur ad ſolvendas impenſas. Navar. *ubi ſuprà ſub nu.*48. Bonac. *nu.*11. Sylveſt. *verb. Adulterium quæſt.*5. & alii, quos citat, & ſequitur idem Bonac. *ubi ſupra*.

1790 Inter. 5. Adulter, ſi occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ Maritũ invaſorem, teneturnè ad reſtitutionẽ?

Reſp. Hinc indè ſunt auctoritates Doctorum circa tale dubium; Rebellius affirmativam ſententiam tenet, Leſſius verò negativam, ut videre licet apud Dianam *par.*5.*tra.*4. *reſol.*47. qui etiam putat cum Leſſio, & Megala ad reſtitutionem non teneri, quia talis occiſio non eſt culpabilis in defenſione, ut ſupponitur, neque culpabilis eſt in cauſa; & cum adulterium ſit cauſa remota, & ſolùm occaſio, nec eſt via ad occiſionem Mariti, ſed potius Adulteri: rarius ſiquidem mors Mariti ex adulterio ſequitur, ſed potius mors adulteri: ergo &c. Ità docet Diana ex Leſſio, & Megala, quibus ſubſcribit Caſſianus à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Adulterium*, §. 1. *nu.*14. Sed ego exiſtimo, quòd ad hoc, ut ad reſtitutionem non teneatur, debeat priùs alias vias quærere cavendi homicidium, & damnum, quod indè ſequitur; debet enim fugere, ſi poteſt, petere veniam, aut offerre ſatisfactionem; nam magnam cauſam invaſionis dedit, adulterium perpetrando cum Uxore invaſoris. Quando verò, his omnibus tentatis, aliter vitam propriã tueri non poſſit, niſi occidat invaſorem, tunc licitè illum occidit, eo quod utitur jure ſuo, & alter contra jus illum invadit, conſequenter non peccat contra juſtitiam, nec ad ullam reſtitutionem tenetur, ut benè reſolvit Henricus Stroverſfom *de juſt. & jure in* 2.2. D.Thomæ *quæſt.*58. *diſp. unica num.*2. *concluſ.*6. quem videre potes pœnes Dianam *ubi ſuprà*.

1791 Inter. 6. Teneturnè ad reſtitutionem Maritus, qui occidit adulterum inventum cum Uxore?

Reſp. Maritus, qui privata auctoritate adulteros in ſcelere repertos occidit, non ſolùm mortaliter peccat; ſed etiam tenetur damna reſtituere ad aliorum homicidiarum inſtar, quia peccat contra juſtitiam, ut rectè tradunt Petrus Navarra *lib.*2. *de reſtitut. cap.*3.*par.*2.*in nova Edit.dub.*8. *nu.*207 Sanchez *lib.*10.*de Matrim.diſp.*8.*n.*41 Bannez 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 3. *dub.*2. *in ſolut. ad* 3. Pariſius *conſ.* 154. *n.* 12. *& n.*41.*lib.*2. Soccinus *lib.* 2. *conſ.*34. qui omnes aſſerunt, peccatum hoc eſſe contra Iuſtitiam. Dicendum eſt igitur, Maritum omninò ad reſtitutionem teneri propter interfectionem Adulteri in foro conſcientiæ; & hunc poſſe licitè ſe defendere, ac etiam, ſi aliter evadere nequeat, interficere Maritum, tanquam injuſtum invaſorem, in foro conſcientiæ, ut dixi in præcedentibus reſponſionibus immediatè poſitis.

1792 Inter. 7. Quid eſt Caſus fortuitus? Et contrahentes teneanturne de caſu fortuito?

Reſp. Caſus fortuitus eſt inopinatæ rei eventus, qui prævideri, aut præcaveri non poteſt, etiam per hominem diligentiſſimum, ut docet Bonac. *de Contract. diſp.*3. *quæſt.*1. *pun.*6.*n.*2 *& ſeq.* & teſtatur de communi. Caſus autem ex fortuito accidunt ſine peccato, nec pariunt reſtituendi obligationem, ut rectè notat Stephanus à S.Gregorio *de Reſtit.& contract.lib.*1. *tom.*1.*ſub num.*9. dummodo tamen non adſit pactum, & excepta culpa, & mora. Vide Layman. Bonacinam *ibidem num.*21. Armillam *verb.caſus fortuitus num.*1.*&* 2. & infra *ad Inter.*12.

1793 Inter. 8. Teneturne quis ad reſtitutionem, ob damnum alteri illatum ex culpa levi, aut leviſſima?

Reſp. De Dolo, & lata Culpa jam eſt certum; de levi, & leviſſima culpa eſt dubitatio, ut videre licet apud eundem Stephanum à S.Grego-

rio

rio *loco cit. num.* Ipſe tamen, aliis relatis, ſubſtinet, neminem teneri ad reſtitutionem ob damnum illatum ex levi, vel leviſſima culpa. Et ratio ipſius eſt quia ſufficit, ut quilibet illam diligentiam præſtet in bonis alienis, quam teneretur prſtare ſuis, ut ſit liber ab omni culpa, & obligatione; nam ſicut nemo tenetur prudentior eſſe, aut prudentiſſimus in rebus propriis; irà multò minùs tenebitur eſſe talis in bonis alterius. Hoc tamen intelligit ſecluſo contractu, quia ſi ad id quis ſe obligavit, tenebitur tam de levi, quam de leviſſima culpa, ac etiam do caſe fortuito; imò ſiquis v. g. vendiderit rem vitioſam ignoranter, adhoc tenetur reſtiture. Vide iterum eundem Stephanum à S. Gregorio *de contract. l. 2. c. 40. n. 17.* Hęc tamẽ intellige de culpa levi, & leviſſima juridica; nã loquendo de culpa Theologica, etiam veniali, & ſemper teneri reſtituere, docet Bonacina *tom. 2. de Reſt. diſp. 1. quæſt. 1. puu. 3. num. 5.* qui addit ex communi ſententia *nu. 9.* non teaeri ad reſtitutionem totis dãni illati actione culpabili tãtũ venialiter.

1794 Inter. 9. Ex qua culpa tenẽtur cõtrahẽtes ad reſtitutionẽ in cõtractibus?

Reſp. Videndum eſt, an contractus ſit in utilitatem ſolius dantis, aut in utilitatem utriuſque contrahentis. Si contractus eſt in utilitatem ſolius accipientis, accipiens tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, non ſolùm ce dolo, & lata culpa, ſed etiam de levi, & leviſſima culpa, excepto præcario. Si contractus eſt in utilitatem ſolius dantis, accipiens tenetur ſolum de dolo, & lata culpa. Si autem eſt in utilitatem utriuſque, accipiens tenetur de dolo, lata, & levi culpa, non verò de leviſſima. Ità docet Bonacina *loco proximè cit. num. 5. & 7.* & alii commutiter.

1795 Inter. 10. Ex qua culpa tenetur Commodatarius?

Reſp. Secundnm communem Doctorum opinionem, Commodatarius tenetur de leviſſima culpa, cum commodatum ſit tantùm in favorem ipſius Commodatarii. Ità Sylveſter *verb. Commodatum num. 6.* Bonacina *ubi ſuprà num. 8.* Stephanus à S. Gregorio *lib. 2. de Contract. cap. 26. num. 3.* & alii penès ipſos. Vide etiam Em. Sà *verb. Commodatum num. 3.* & Armillam *eodem verb. num. 7.*

1796 Inter. 11. Commodatarius teneturne de caſu fortuito?

Reſp. Generaliter loquendo non tenetur, ut dixi ſuprà ad Inter. 7. tamen in tribus caſibus omnes DD. dicunt, quod teneatur. Primò, ſi caſus accidat culpa ſua, v. g. ſi accipit equum iturus ad villam, & ivit ad alium locum, ibique caſu periit: Secundò, ſi interveniat pactum, & Tertiò, ſi fuerit in mora reſtituendi. Dixi, Primò, ſi caſus accidat culpa ſua; non enim tenebitur ſi caſus accidat ex culpa ejus, cui debebatur; Culpa etiam debet eſſe aliquo modo ordinata, ſeù directa in caſum fortuitum. Dixi item, Secundò, ſi interveniat per actum; dummodo tamen ſit æquum; non obſtente enim pacto urendum eſt æquitatate. Denique dixi, Tertiò ſi fuerit inmora reſtituendi; nempe reſtituendi id, quod reſtitutum ſine mora non periiſſet. Ita apertè, & rectè docet Emanuel Sà in libro de Aphoriſmis Confeſſariorum, verb. Caſus Fortuitus, *num. 1.* Verùm eſt tamen, quod licèt moroſus teneatur de caſu fortuito, tamen in conſcientia, ſi res commodata eodem modo apud Dominum erat peritura, non tenetur, niſi ad intereſſe, ſi quod Dominns paſſus eſt propter moram, ut rectè docet Sylveſter *loco proximè cit. num. 6. prope finem*, & eſt communis. Vide Navarrum *in Man. c. 17. nu. 183.* & alios apud Stedhanum à S. Gregorio *ubi ſupra ſub nu. 3. prope finem*, & Armillam *verb, commodatum nu. 7.*

1797 Inter. 12. Ex qua culpa tenetur ille, cui aliquid locatur?

Reſp. Tenetur de lata, & levi cul-

culpa, quia contractus locationis celebratur in gratiam utriuſque contrahentis, ut docet Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 1. pun. 6. num. 9.* & Stephanus a S.Gregorio *lib.2. cap. 45. n. 8.* qui bene addit, quod in contractu locationis,non poteſt fieri pactum,ut locator, aut conductor,non teneatur ex dolo, quia eſſet pactum contra bonos mores, & ideo irritum, quamquam licitum ſit pactum, ut conductor teneatur ex culpa leviſſima, & caſu fortuito; quia eſt pactum,non contra, ſed præter ſubſtantiam contractus: ſed in tali caſu tenetur locator minuere pretium rei locatæ, cum hujuſmodi obligatio ſit pecuniâ æſtimabilis;& in hoc omnes DD. conveniunt. Vide Em.Sà *verb. Conductio num. 8.*

1798 Inter. 13. Ex qua culpa tenetur ille,apud quem aliquid deponitur?

Reſp. Ille, cui traditur depoſitum, tenetur ſolùm de dolo, & lata culpa: quia depoſitum fit tantùm in gratiam deponentis: dummōdo tamen depoſitando:non tradatur aliquod pretium, quia in tali caſu teneretur etiam de levi culpa;cum tunc dicatur contractus, in utilitatem utriuſque celebratus;unde accipiens pretium in cuſtodiendo depoſito, tenetur non ſolùm de dolo, & lata culpa, ſed etiam de levi, ut dixi. Vide Navarrum *cap. 18. num.185.* Bonac. *ubi ſupra num. 10.* Armillam *verb. depoſitum num. 2.& 3.* Stephanum à S. Gregorio *loco cit. cap. 27. num. 1.* qui plures Concordantes adducunt, & Dianam *par. 1. tract. 8. reſ. 74.* qui teſtatur de communi.

1799 Inter. 14. Ex qua culpa tenentur Nautæ, Caupones, Stabularii, & ſimiles, qui res alienas depoſito accipiunt?

Reſp. Iſti tales tenentur etiam de culpa leviſſima, ſaltem in foro externo, nam in jure ità ſtatutum eſt ad cōprimendam malitiam harum perſonarum, ne conveniant cum furibus, & ne via pateat fraudibus. Diana *par. 3. tract. 6. reſ. 21.* In foro verò conſcientiæ,juxtà ſententiam quorumdam Doctorum, tenentur ſolùm de dolo, lata, & levi culpa, ratione cōtractus in utriuſque utilitatem celebrāti. Ita firmat Bonacina ex Rebello, Leſſio, Molina, Reginaldo, Turriano; & alii,quibus addo Dianam *ubi ſuprà*: Tamen Sylveſter *verb. Nauta num. 1.* Angelus *eodem verb. in princ.* Leſſius *lib. 2. cap. 27. dub. 3. num. 10.* & alii dicunt, hoc eſſe verum,non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro conſciéntiæ, ſi ſpecialiter acceperint mercedem pro cuſtodia, aut res cuſtodiam diligentiſſimam requirebat, & ſcienter in cuſtodiam ſit ſuſcepta; nam ſic tenerentur etiam de leviſſima culpa, in utroque foro.

1800 Inter. 15. Sartores, Molitores, & ſimiles Artifices, quibus datur res pulienda, permutanda, vel reficienda: ex qua culpa tenentur?

Reſp. Omnes Doctores cōveniunt, dicentes teneri de levi culpa: quia etiā in eorum commodum fit tale depoſitum: Immò & aliquando, ut dixi in præcedenti reſponſione,tenentur etiam de culpa leviſſima. *Vide* citatos Authores. Et ità dicendum quoque eſt de Mulionibus, & Aurigis.

1801 Inter. 16. Ex qua culpa tenetur ille, cui traditur pignus?

Reſp. Quia pignus traditur in utilitatem utriuſque contrahentis, nempe in utilitatem accipientis, cum illud recipiat in ſecuritatem crediti, & in utilitatem tradentis, cum tradat pignus, ut aliquid aliud recipiat, aut jam recepit; ideò ille, cui traditur pignus, tenetur de levi, non autem de leviſſima culpa. Ità docent Sylveſter *verb. Pignus, num.14.* Navarrus *in Manual. cap. 17. num. 23.* Azorius *3. par. lib.7. cap. 8. quæſt. 14.* & alii plures, quos citat,& ſequitur Bonac.*ubi ſupra n.12.*

1802 Inter. 17. Quando res perit caſu fortuito apud depoſitarium, commodatarium, conductorem, pignoris retentorem, & ſimiles: cui perit?

Reſp. Secluſa culpa, mora, & pa-

Digitized by Google

ɛto, res ſemper domino perit. Vide, quæ dixi ad Inter. in hoc tit. 7. & 10. ſicque ad nihil tenetur Depoſitarius, vel Commodatarius, Conductor, aut pignoris retentor, ut bene notat ex aliis Stephanus à S.Gregorio *ubi ſupra cap.* 27. *lib.* 2. *num.* 3. Ne deſinas tamen videre Dianà *par.*8.*tract.*7.*reſ.*31. & 32. apud quem pulchra invenies.

1803 Inter. 18. Mutuatarius exiſtens in mora ſolvendi, teneturne de damno emergente, quando de illo nulla facta fuit mentio in contractu mutui?

Reſp. Jam ſuppono tanquam certum, licitum eſſe pactum, ut ſi mutuatarius non reſtituat mutuum tempore præfixo, teneatur ad intereſſe. Dico igitur in caſu noſtro, adhuc teneri reſtituere omne damnum ſequutum poſt moram; unde ſi mutuator cogatur accipere ad uſuram, vel cambium, tenetur mutuatarius de damno emergẽte, quod patitur mutuator, nam quãdo in contractibus præfigitur terminus ad ſolvendum; tacitè cenſetur initum pactum, ut qui non ſolverit præfixo tempore teneatur ad intereſſe proveniens ex defectu ſolutionis: & de hoc minimè eſt dubitandum, cum ſit communis ſententia, & pluribus relatis probat Bonac. *de Contr. diſp.* 3. *qu.* 3. *pun.* 4. *num.*3. & teſtatur de communi: Puto tamen quòd ſi mutuator vellet accipere ſub uſuris, vel ad cambium in damnum mutuatarii, teneatur prius ipſum monere, ſi monitio facile fieri poſſit, ſaltem per nuntium, vel per litteras, ſi mutuatarius abſens eſſet, nam ex admonitione ſequitur, quod mutuatarius majori vi, & diligentia mutuum reſtituet, vel ſaltem non cum tanto intereſſe, & ità omninò fieri debet; Et nota: quod non poteſt tuta cõſcientia mutuator accipere ſub uſuris, niſi ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & uſuras exercet, & propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius. Ità Sanctus Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. Videas Sylv. *verb. Vſura* 7. *quæſt.* 1. & id quod dicam *in tit.* 244. *de Vſura, & Vſurariis ad Int.* 20.

1804 Inter. 19. Damnum ex culpa juridica ſecutum, teneturne quis ante Judicis ſententiam illud reſtituere?

Reſp. Dico: quòd in conſcientia ante Judicis ſententiam reſtituere quilibet tenetur damnum ex ſua levi, aut leviſſima culpa, ſecutum; Nam leges, quæ obligant ex levi, vel leviſſima culpa, obligant in conſcientia ante Judicis ſententiam. Et ratio eſt: quia hujuſmodi leges præcipiunt id, quod naturali æquitati eſt conſentaneũ circa rem alienam, & ideò non eſt ſimpliciter pœna, ut vult Sotus, & alii, ſed eſt id, quod quis ex naturali Jure tenetur, ut rectè tradunt Navarrus *in Man.cap.* 27. *num.* 184. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 8. *num.*45. & alii plures, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Contrac. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *pun.* 6. *num.* 20. Stephanus a S. Gregorio *lib.*2.*de Contrac. cap.* 27. *num.* 4. & alii apud ipſos. Et hanc eſſe communiorem ſententiam teſtatur idem Bonac: *ibidem*.

1805 Inter. 20. Ex qua culpa tenentur Famuli?

Reſp. Famuli, qui ex officio, & ſtipendio, ſpecialiter curam habent rerum Dominorum ſuorum, tenentur ad reſtitutionem damni ſecuti ex lata, & levi culpa ipſorum; nam ipſi tenentur damnum præcavere ob contractũ in utriuſque contrahentis utilitatem celebratũ. Eſt communis DD. ſententia. Vide Sayrum *in Clavi Regia lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 14. *num.* 9. & Salonium 2. 2. *quæſt.* 62. *ar.* 7. *controver.* 2. §. *De iis qui obſtare tenentur*,

1806 Inter. 21. Famuli, qui inſerviunt tantùm pro victu, & veſtitu, tenenturne Dominis de lata, & levi culpa, ut dictum eſt in præcedenti Reſponſione?

Reſp. Ità pariter dicendũm eſt: quia eo ipſo, quòd ſponte famulatum offerunt obligant etiam ſe ad fidelitatem, & diligentiã Dominis præſtandã, prout famulos decet. Præterquã quòd ſem-

ſæper adeſt merces,quæ eſt ſpes habendi aliquod officium, aut beneficium, benevolentiam,aut amicitiam,& multoties eſt ipſemet victus, & veſtitus, ut conſideranti patebit.Ità docet Azorius 3. *par. l.* 8. *cap.* 13. *quæſt.*7.& ex eo Stephanus à S.Gregorio *de Contrac. lib.* 2. *cap.* 47. *ſub num.* 7.

1807 Inter. 22. Ad quid tenentur famuli, qui non impediunt damna Dominis inferenda à conſamulis, vel ab Externis?

Reſp. Quando ipſis incumbit cura illarum rerum, in quibus damnum Dominis per furtum infertur,tenentur ad reſtitutionem, ſi non impediant, quia peccant contrà Juſtitiam, cum teneantur ex Juſtitia impedire, maximè ſi ipſis concredita ſit cura, & cuſtodia domus, vel penus. Si verò ipſis non eſt commiſſa cura, & cuſtodia domus, vel penus,dicunt aliqui non teneri ad reſtitutionem, quia peccant ſolùm contrà Charitatem. Vide Azorium *loc. ſuprà cit. quæſt.* 8. & alios, quos refert, & ſequitur Bonacina *de reſtit. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 11. *n.* 7. Nam ex ſola violatione juſtitiæ,oritur obligatio reſtitutionis ex delicto: ſed quando quis non impedit damnum, quod non tenetur ex juſtitia ratione officii, vel contractus impedire: non violat Juſtitiam, ſed Charitatem: ergo non tenetur ad reſtitutionem. Ego tamen puto omnes famulos teneri ex juſtitia impedire, ne damna Dominis inferantur, præſertim ab extraneis,& ſi id non faciant peccare mortaliter contrà juſtitiam, & conſequenter ad reſtitutionem teneri. Ità Sotus, Leſſius, & alii apud eundem Bonacinam *ubi ſuprà*, & ratio mihi videtur quia omnibus generaliter commiſſa eſt cura Domus Heri, & ità videtur eſſe voluntas Dominorum, qui mercedem famulis præſtant, ut fideliter ſe gerant, licèt alicui ſpecialiter rei domeſticæ curam committant. Dico igitur cum Petro Navarra *de reſt. lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 224. quemlibet famulum obligari ex juſtitia, etiamſi curam penus non gerat ad revelandum fures extraneos, ſi aliter malum impedire non poſſit,quia cuicumque famulo, eo ipſo quòd domeſticus eſt, cuſtodia domus aliquo modo incumbit, ut ab extraneorum injuriis defendat. Vide Dianam *par.*3. *reſ.* 58. *& tract.* 5. *reſ.* 54.

1808 Inter. 23. Famulus, qui ab alio famulo furante,aliquid accepit ne clamet,vel indicet furtum ejus Domino: teneturnè ad reſtitutionem?

Reſp. Leſſius *lib.*2. *cap.*13. *dub.*10. *num.*73. Petrus Navarra *lib.*4. *cap.* 4. *num.*132. & alii dicunt, quòd ſi fur tibi aliquid det, ne impedias ipſius furtum clamando, vel manifeſtando, teneberis ad reſtitutionem; ſed Sotus *de Juſtit. lib.*4. *quæſt.*7. *art.*3. Navarrus *in Man. cap.* 17. *nu.*21. & alii putant, quòd ſi res accepta à famulo non ſit pars furti ab alio famulo perpetrato, non teneatur reſtituere. Tamen idem Navarra, & Leſſius, quos refert, & ſequitur Diana *par.*3. *tr.*6. *reſ.*58. rectè limitationem adhibent in caſu noſtro, ut non procedat, ſi accipiens ſua pollicitatione expreſſa, vel tacita, furem animoſiorem reddit, qui alioquin abſterritus eſſet,unde dicendum eſt,quòd in tali caſu teneatur de damno illato tamquam participans in furto.

1809 Inter. 24. Teneturnè Dominus reſarcire damnum per famulum ſuum aliis illatum?

Reſp. Si damnũ aliis illatum à famulo, ideò evenit, quia famulus obedivit Domino in re, ex qua tale damnum ortum habuit, certò tenetur Dominus ex juſtitia dictum damnum reſarcire; nam qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, ut dicitur *in Regulis Juris in* 6. Vide Em. Sà *verb. reſtitutio num.*19. Si verò damnum aliis illatum fuit ſolùm ex mala voluntate famuli, ad nihil tenetur Dominus; teneretur tamen ſi v.g. ſervus ejus aliquid ab aliis abſtuliſſet,ut verteret in commodum,& utilitatem ipſius Domini, ſive ſciente Domino, ſive neſciente; ſem-

per enim tenetur poſt rei cognitionem, & tantundem quantum in rem ſuam verſum eſt reſtituere. Ità Azorius *3. par. lib. 8. cap. 13. quæſt. 9.* & alii.

1810 Inter. 25. Poteſtne quivis ad libitum, ſine gravi peccato, & reſtitutionis obligatione, arbores, vel ligna cædere, & ſecare in ſylvis antiquis, in quibus naturalitèr naſcuntur?

Reſp. Scio, Navarrum, Virum quidem doctiſſimum, *in Comment. de leg. pœnali, in cap. Fraternitas, 12. quæſt. 2. num. 3. uſque ad 40. docere*, eum, qui ex ſylva aliena (ſive ſit Univerſitatis, ſive privatorum Dominorum) ligna, aut arbores ſecat, & tollit, non peccare, neque ad reſtitutionem teneri, & inter alias rationes, quas affert, dicit etiam, quòd adeſt conſuetudo ubique ferè Gentium, legitimè præſcripta, ut utentes alienis fructibus ſpontè naſcentibus, ſint immunes à Culpa, ſoluta tantum, ſi deprehendatur, pœna: Mihi tamen videtur diſtinguendum ſic; vel ſylvæ ſunt Caſtellorum, aut Urbium vel ſunt ipſorum Dominorum, para Ducum, Principum, & ſimilium, vel ſunt alicujus Perſonæ privatæ: Si ergò Sylvæ ſunt Communitatis, dico quod non peccet mortaliter Oppidanus, qui ligna cædit, neque ad reſtitutionem teneatur: Ducor quia prohibitio Oppidanis impoſita, ea conditione imponitur, ut ſi quis capiatur pœnam luat, qui verò evaſerit, gratis illam ſibi prædam acquirat. Sed hoc intelligo, dummodò magnam ſtragem non faciat cædendo ſibi ligna, ne Civibus, vel Oppidanis magna portio minuatur; cæderet enim in Communitatis nocumentum, ſi videlicet depopularentur ſylvæ, aut etiam ſi ſternerentur arbores prægrandes ædificiis aptæ: multò magis ſi ſylva eſſet modica, ac tenuis, quod ad arbitrium viri prudentis judicandum relinquo; Nam cum ſylva Communitatis, ſit in commodum totius Populi, & Oppidanus ſuper alios notabiliter ſibi ligna tolleret, ceteros videtur notabiliter defraudare, ideò tenetur ad reſtitutionem illius ſuperflui: Si verò non ſit Oppidanus, ſed diverſi Oppidi, & habitatores utriuſque Oppidi ſolent ad invicem in ſylvis eorum cædere ligna, neuter eorum culpa mortali afficitur, nec ad reſtitutionem tenetur, ſed ſolum ad pœnam, ſi capiatur: Vide Bonac. *de reſt. diſp. 1. qu. 3. pun. 7. n. 26.* Dico ſecundò, quod ſi ſylvæ ſunt Dominorum locorum, qui abſque eorum licentia ligna cædit: peccat, & ad reſtitutionem tenetur: quamvis non ſit tàm arcta regula, ac ſi ſylvæ eſſent particularis cujuſdam: undè dicit Soto, quem ſequitur Tolet. poſſent pauperes cædere ligna ad uſum foci proprii neceſſaria, quia arbores, quas natura ſpontè dat, nõ ſunt tàm propriæ, quàm pecunia in Arca repoſita: Denique ſi ſylvæ ſunt alicujus particularis Domini, dico, quod peccat mortaliter, qui ligna cædit, modò tamen damnum ſit grave, & ad reſtitutionem utique tenetur, non ſolum ad damnum inde ſecutum, ſed etiam rei ablatæ, niſi Dominus ſylvæ ſola pœna ſit contentus. Quod facilè colligitur, ſi lex extet id clarè exprimens, aut ſi alicubi vigeat conſuetudo, ut non exigatur reſtitutio, ſed ſoli pœnæ ſubjaceat, qui capitur, & per ſententiam cogatur pœnam luere. Ita Sotus *de Juſtit. & Jur. lib. 4. qu. 6. art. 4.* Corduba *de caſ. conſcien. q. 17.* quos dat, & ſequitur Corradus *to. 1. quæſit. 268. in addit.* ubi rem perdoctè tractat. Vide etiam Tolet. *lib. 5. cap. 20.* Hoc autem, quod dictum eſt de ſylvis, dicendum eſt etiam de paſcuis gregum, militat enim eadem ratio.

1811 Inter. 26. Eſtnè licitum ingredi vineam, & ibi uvas, vel in via comedere ad beneplacitum, ſine peccato, & reſtitutionis obligatione?

Reſp. Affirmat Jo: Valerus *in Differ. utriuſque fori verb. Peccatum, differ. 23.* & pro ſe alios adducit, ut videre eſt apud Dianam *par. 3. tr. 6. reſ. 20.* dicit enim, quod unicuique licitum ſit in foro conſcientiæ ingredi vineam

ad

ad uvam, aut alteram uvam ibidem comedendam, modò foras non exporter. Sed verius negat Diana dicens, quod ſi dicta opinio eſſet vera, væ, væ eſſet vinearum Dominis, quia hujuſmodi privilegium extenderent etiam ad ficus, poma, & pyra, cum Dominorum notabili damno; ergo non eſt audiendus Valerus cum ſuis ab eo relatis. Vide quod dixi *in tit.98. de Furto, ad Inter.6.*

1812 Inter. 27. Si multi ſingulatim vineam aliquam ingrediantur, aliis aliorum ignaris; & unuſquiſque ſuum racemum capiat, etiam quoaduſque nullus in ea relinquatur, peccantnè mortaliter omnes, & tenenturnè ad reſtitutionem?

Reſp. Nullus eorum mortalitèr peccat, nec reſtituere tenetur, & multo minùs tota multitudo, quia nullus eorum damnum notabile facit, nec eſt cauſa, quod fieret, nec in id conſentit. Navar. *in Man. cap. 17. ſub num.130.* Mihi tamen videtur dicendum, nullum eorum mortaliter peccaſſe, ſed ſolùm venialiter, tamen ſingulos eorum teneri dumtaxat partem illam damni, quæ eos contingit; reſarcire. Ita docet Jo: Caba ſſutius *in Theorica Juris Canon. lib.6. cap. 18. nu. 2.* Secùs dicendum eſſet, ſi ſimul conſentientes vineâ ingrediantur. Vide quæ dicam ad Inter. ſequentem, & fauvet Bonac. *de Reſtit. diſp.2. qu.8. pun.1. nu.6.*

1813 Inter. 28. Si plures ſimul conſentientes in vineam ingreſſi, damnum facerent notabile: peccarentnè ſinguli moraliter, & tenerenturnè omnes inſolidum ad reſtitutionem?

Reſp. Omnes peccarent mortaliter, omneſque in ſolidum ad reſtitutionem tenerentur, eſt communis ſententia. *Vide ad Inter. antecedentem.*

1814 Inter. 29. Teſtes non revelantes ex vi monitorii, tenenturnè reſtituere damna inde ſequuta?

Reſp. Raynaudus *de Monitoriis par.1. cap. 3. quæſt. 24.* affirmativam ſententiam eſſe communem fatetur. Sed dicit, quod conſcii debent parere præcepto, idque ni faciant, & obedientiam Superiori debitam violabunt, & charitatem parti exhibendam, ſed non peccare contra juſtitiam aſſerit, conſequenter nec ad reſtitutionem teneri; nam totus, & unicus fons obligationis reſtituendi oritur ex peccato contra juſtitiam commiſſo. Vide eumdem Auctorem penes Dianam *part. 5. tr. 13. reſol.68.* Oppoſitum tamen docet Avila *de cenſu. par.2. cap. 5. diſp. 4. dub. 3. concluſ. 8.* qui citat Navarrum, & Sotum, Idem docet Aragonius *in 2. 2. quæſt.70. art.1.* & alii; & dicunt peccare mortaliter in dicto caſu, incurrere excommunicationem, ſi hæc in monitorio continetur, & inſuper ad reſtitutionem teneri damnificato, Et ità puto tenendum; quià ſunt cauſa damni, ſaltem indirectè, quod patitur alter. Vide Doctores apud Dianam *par.3. tract. 5. reſol. 101. in principio,* & ea quæ dicam in *tit. de Teſtibus, & Teſtimoniis, ad Inter.11. in fine Reſponſionis;* Nam quilibet ex lege juſtitiæ tenetur ad veritatem dicendam ex officio, quando ei præcipitur à legitimo Superiore. Et hanc ſententiam probabiliorem puto.

Quær. 1. Quid ſibi velit, aut ſignificet Reſtitutio in integrum?

Reſp. Dico; quòd Reſtitutio in integrum eſt prioris ſtatus, vel juris reintegratio, per quam ſubvenitur minoribus, & Eccleſiis, aut eſt audientiæ reintegratio. Undè in integrum reſtituere, idem eſt, ac reducere in eum ſtatum, in quo quis erat ante læſionem: Quandoque etiam per hanc ſubvenitur minoribus ex legitima, & juſta cauſa, proùt ex diverſis Juribus, intèr alios docet Sylveſter *verb. in Integrum reſtituere.* Notandum eſt tamen, quòd hac reſtitutio in integrum non datur, abſque læſione, ut habetur ex Rota *deciſ. 1. de reſtit. in integrum in novis.* Straph. *dec.1238. num.1.* & fuit di tum in Cæſaraugustana fructuum 26. *Junii* 1602. coràm Reverendiſs. D. Damaſce-

ſceno, & in Marſilienſi, pecuniaria 26. *Junii* 1609. coram Reverendiſſimo Bononienſi,& alias ſæpè, teſte Lezana *tom*.4. *conſ*. 45. *ſub num*. 1. Alia plura de hac materia vide apud Bonac. *to*.2. *de contr. diſp*.3. *q*.1. *pun. ult*.

Quær. 2. Ad reſtitutionem an teneatur Titius, qui ſuo pravo exemplo induxit Cajum ad furandum centum ſcuta Sempronio,cum Titius coram Cajo ſurripuerit eidem Sempronio ſcuta quinquaginta , qua occaſione idem Cajus didicit, ubi Sempronius ſervabat pecuniam,ſicque præfatum perpetravit crimen . Et qui ſunt ii, qui ad reſtitutionem de Jure teneantur?

Reſp. Si Titius nullum dederit conſilium Cajo committendi dictum furtum , nec ex contractu, aut officio tenebatur illum impedire : equidèm non violavit legem Juſtitiæ,ſed ſolùm peccavit cõtra charitatem,conſequenter non tenetur ad reſtitutionem prò tali damno ſequuto Sempronio ; etenim reſtituendi obligatio conſurgit dumtaxat ex violatione juſtitiæ , ut docent Doctores communiter ; undè qui inducit alium ſuo pravo exemplo, e. g. ad furandum , mæchandum , homicidium , aut aliquod grave aliud peccatum patrandum , licèt peccet mortaliter, tamen ad reſtitutionem nõ tenetur , quià non peccat contrà juſtitiam, ſed ſolùm contrà charitatem,ut docet Bonac. *tom*. 2. *de reſtit*. *diſput*.1. *qu*.2. *punct*.11.*num*.16. qui in terminis ità præfatum dubium reſolvit: Idem docet P.Campionus *Inſtruct.Ordinandorum cap*.40. *ſub num*. 31. & alii plures : quidquid in contrarium ſentiat Dicaſtillus,& alii.Immò notat Bonac. dictumTitium neque ad reſtitutionem teneri,quamvis intentionem habuerit, ut illo ſuo pravo exemplo Cajus furaretur. Et ratio eſt: quià illa intentio, cum ſit actus internus , non influit in opus externum,& obligatio reſtituẽdi oritur , ex opere externo injuſto . Verùm tamen eſt , quod ſecùs dicendum eſſet, ſi Titius capſam, ubi ſervabatur pecunia, apertam, aut clavem ibidem reliquiſſet, & ipſe obſeratam, aut clavem abſconditam prius inveniſſet , nàm in tali caſu eſſet cauſa proxima, & efficax illius furti , & injuſtæ actionis, ideò ſuæ latæ culpæ adſcriberetur damnum ſequutum Sempronio,ac per conſequens ad reſtitutionem teneretur ipſe Titius , quià reſtitutio oritur ex culpa mortali,ob quàm alteri infertur damnum , ut rectè notat Stephanus à S. Gregor. *de Contract. lib*. 1. *cap*. 1. *num*. 10. Item qui eſt cauſa injuſtæ actionis , à reſtitutione non eximitur , nam qui cauſam damni dat , damnum dediſſe videtur , ut habetur *ex regul. Juris in* 6. & qui cauſam damni dedit, damnum reſarcire tenetur , ut dicitur *in Cod. ad leg. Juliam de vi. pub. l. ſi quis ad ſe fundum* ; quia qui eſt cauſa cauſæ , eſt etiam cauſa cauſati; juxtà Phyloſophicum Axioma : ergo , &c. Vide Angel. S.Thom.2.2. *qu*.62. *ar*.7. ubi Bannes , & alii , quibus ſubſcribit Em. Sà *verb. Reſtitutio num*. 61. *in addit* . Vide etiàm Bonac. *loco ſupracit. diſp*.1. *qu*. 1. §. *Unico, per tot. & qu*.2. *punct*. 3. *num*. 2. *&* 3. à quibus regula generalis habetur circà reſtituendi obligationem in his , & ſimilibus caſibus . Et tandem dico ad reſtitutionem teneri,non ſolùm qui eſt cauſa injuſtæ actionis directè , ſed etiam indirectè : unde novem eſſe genera perſonarum cooperantium ad damnum alterius, patet ex duobus his verſibus.

Juſſio,Conſilium,Conſenſus,Palpo,Recurſus,
Participans , mutus , non obſtans, non manifeſtans.

Explicationem horum verſuum vide apud Cajet. in *Sum. verb. Reſtitut.* Armil. *eodem verb. num*. 4. *& ſequent. uſque ad num*.13. Navar. *in Man. cap*. 11. *num*. 13. Toletum *lib*. 5. *cap*. 21. Bonac. *de reſt. diſp*.1. *quæſt*. 2. *punct*.3. *num*.1. *&* 2.Stephanum à S. Gregorio *loco ſupracit. cap*.2. *nu*.2. P.Campion. *ubi ſuprà* , & alios Summiſtas ; Ego enim

enim more meo brevitatem amplector. Denique circà tale dubium ne deſeras videre, quæ dixi in hoc titulo *ad Inter.*8.cum Bonac. ubi aſſerui cum eo,& aliis,non ſolùm ex peccato mortali contrà juſtitiā,ſed etiam ex peccato veniali cōſurgere obligationem reſtituendi; licet, qui ex inadvertentia, & indeliberatione damnum intulit, ad tantam reſtitutionem non teneatur, ad quantam tenetur damnificator voluntarius. Verum eſt tamen, quod in operibus externis rarò contingit imperfecta inconſideratio, & inadvertentia, quæ ſit venialis culpa. Et ratio eſt, quia opus externum ſtatim ſuum periculū ingerit, & mentem excitat ad conſiderandum, & ſic rarò poteſt in actu externo dari culpa involuntaria, quæ nō ſit mortalis, ſi in ipſo actu agatur de re gravi, ut benè notat Stephanus à S. Gregorio *ubi ſuprà ſub num.*10. Sequitur ergò ex tali doctrina Titium teneri ad reſtitutionem ſi ex ſua lata culpa, ut ſuprà dixi, Cajus damnum intulit Sempronio: quià exiſtens cauſa efficax damni, tenetur ad damnum *ex cap. fin. de injur. & l. nihil intereſt, ff. de Sicar.*

TITULUS CLXXXVIII.

De Reſtitutione Famæ.

1815. INter. 1. Ad quid tenetur detractor? Et qualiter reſtituere tenetur?

Reſp. Tenetur famam, quam alteri ſurripuit, reſtituere, ſi dixit falſum, vel verum occultum tamen; ſi publicè famam abſtulit, eam publicè reſtituere debet, ſi privatim, ſatisfacit privatim reſtituendo; ſi infamavit verum crimen aperiendo, ſed occultum, non tenetur, neque poteſt dicere, ſe mentitum eſſe, aut falſum dixiſſe; ſed excuſando, eo modo, quo poteſt, dicendò ſe malè feciſſe, vel ſæpiùs honoret, & laudet infamatum, apud eos, coràm quibus detraxit. Sed ſi alterum infamavit falſum crimen imponendo, tenetur retractare, quod dixit, dicendo ſe falſum dixiſſe: imò tenetur etiam juramentum addere; ſi juramentum neceſſarium ſit ad famam reſtituendam Salonius 2. 2. *qu.* 62. *art.*2. *contr.* 13. *concl.*2. Sayrus *in Clavi Regia lib.* 11. *cap.*3. *num.*27. & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *qu.* 4. *pun.*15. *num.*3. & 4. Vide etiam Sylv. *verb. Detractio, num.* 5. & Tolet. *lib.*5. *cap.*69. *num.*1. ſed nec deſeras videre Dianam *par.*3. *tr.*5. *reſ.*29. & 30. ubi docet ex aliis, quod ſi infamator eſſet Vir magnæ auctoritatis, non teneretur dicere, ſe eſſe mentitum, nec juramento retractationem ſuam confirmare, modo tamen infamatus ſit perſona valdè obſcura, minimèque neceſſaria, ut inquit Sylvius: vel ut ait Tolet. *ubi ſupra c.* 70. *num.* 1. ſit mediocris conditionis, intelligendo tamen ſemper, quando eſt notabilis multum exceſſus conditionis unius ad alterum. Advertunt tamen DD. hujus opinionis, debere infamatorem reſtituere, & ſatisfacere eo meliori modo, quo poteſt infamato. Vide etiam *infra Inter. ultima* hujus tituli.

1816. Inter. 2. Suſurrator, qui alterius crimen verum, ſed occultum propalavit ad quid tenetur? Et quomodo famam reſtituere debet?

Reſp. Qui verum dicendo, occultum crimen alicujus propalavit illum infamando per detractationem, vel ſuſurrationem, aut contumeliam, ejus famam reſtituere tenetur; Sed quia difficulter fama reſtituitur; ideò DD. quos refert, & ſequitur Diana *par.*3. *tract.*5. *reſ.*30. docent quemdam modum ſuavem, quem facilè poterunt obſervare Pœnitentes, & eſt ſæpè laudare illum in aliis rebus, quem prius diffamaverant, & honorem ejus in re alia procurare; nec amplius de illa re coram illis, apud quos eum diffamavit, loqui. Unde opus non erit aſſerere ſe perperam

ram locutum eſſe, vel illi injuriam feciſſe, vel fuiſſe deceptum: & multò minus, tenetur dicere ſe falſum dixiſſe, vel fuiſſe mentium: nam hoc ſolum requiritur, quando alteri abſtulit famam, falſum crimen imponendo cum debeat ſe retractare, & reſtituere famam infamato omni meliori modo, & etiam juramentum addere, ſi ad famam reſtituendam neceſſarium erit. Vide, quæ tradidi *in Reſponſione ad Inter. antecedentem hujus tituli, & in tit.* 113. *de Infamia, ad Inter.* 1.

1817 Inter. 3. Teneturne detractor, ſeù infamator ad famæ reſtitutionem, quando, id quod contrà tertium dixit, oblivioni traditum eſſe probabiliter credit?

Reſp. Doctores communiter docent non teneri famam reſtituere, ſivè narratio vera fuerit, ſivè falſa, quia nihil aliud eſſet, quam infamiam oblivioni traditam renovare, nec tenetur infamator eos, quibus multò ante tempore narravit crimen interrogare, an recordentur eorum, quæ ipſis olim narravit, ſed ſufficit, ſi hujus rei oblitos eſſe probabiliter credat. Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *qu.* 4. *pun.* 13. *num.* 1. *& ſeqq.* & alii plures penes ipſum, Nicolius *in Floſ. verb. Detractio num.* 2. & alii communiter. Imò addit Nicolius, quando detractio eſt antiqua, ſufficere infamatum in genere laudare pro homine devoto, & honorato, quod eſt valdè notandum.

1818 Inter. 4. Tenenturne ſibi famam reſtituere, quando duo ad invicem ſe infamarunt?

Reſp. Si infamia, & cætera ſint paria, non tenentur, quia adeſt juſta inter eos compenſatio: dummodo hæc tria concurrant; Primò, ut infamia ex utraque parte fuerit æqualis, ſin minus quoad exceſſum tantum reſtitui debet; Secundò ut illi, apud quos quis alterum infamavit, ab illo vice verſa infamatum fuiſſe ſciant, & nè ſcandalizentur ex non facta reſtitutione ex parte illius, qui ſecundò infamavit. Tertiò, ut de facto alter alteri famam non reſtituat; tunc enim alter etiam in reſtituendo, ad æqualitatem ſervandam correſpondere debet. Bonac. *loco cit. pun. ult. num.* 1. Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 30.9. *Notandum eſt ſecundo,* Nicolius *ubi ſup. verbo Fama* & alii plures apud Bonac. *ubi ſupra.* Tolet. *lib.* 5. *c.* 70. *n.* 3. Em. Sà *verb. Reſtitutio n.* 32.

1819 Inter. 5. Teneturne quis cum propriæ famæ detrimento, vel etiam cum periculo vitæ, alienam famam injuſtè ablatam, reſtituere?

Reſp. Quando reſtitutio alienæ famæ fieri non poteſt abſque longè majori jactura propriæ famæ: excuſatur, juxta opinionem Navar. *in Man. cap.* 18. *num.* 46. & aliorum, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *q.* 4. *punct. ult. num.* 12. Et ratio eſt, quia juſtitia non obligat ad reſtitutionem cum damno notabiliter majori, quam ſit damnum illatum. Affirmat tamen Tolet. *lib.* 5. *c.* 70. *num.* 1. nempè teneri etiam cum propriæ famæ detrimento reddere, ſicut qui furatus eſt res alienas, cum propriarum detrimento eas reſtituere debet, & aliquando cum majori ſuo detrimento, quam ſit alterius infamiæ, & hoc mihi videtur probabilius. Non nego tamen, quod vir illuſtris non tenetur ad reſtitutionem famæ homini plebejo, quando eam præſtare non poteſt ſine jactura ſuæ famæ; nam fama viri illuſtris præponderat famæ plebei: & conſequenter cenſetur eſſe ſuperioris ordinis; debet tamen illum laudare, ei benevolentiam oſtendere, vel ab eo per Confeſſarium abſque ſui expreſſione, offenſæ remiſſionem obtinere, vel tandem pecunia compenſare, Ità Tolet. *ubi ſup. num.* 1. Navar. *in Man. c.* 18. *n.* 50. & alii plures quos congerit, & ſequitur Bonac. *loc. cit.* num. 13. Vide ſupra *Interrog.* 1. *in fine*. Denique quando infamator non poteſt ſine periculo vitæ reſtituere: nullo modo tenetur, quia eſſet contra dictamen rationis, & regulas prudentiæ, & conſequenter con-

contrà jus naturæ, cum bona inferioris ordinis non ſint reſtituenda cum detrimento altioris ordinis. Cajet. 2. 2. *quæſt.* 62. *ar.* 6. Navar. *c.* 17. *n.* 56. *& cap.* 18. *ſub num.* 47. & plures alii, quos ſequitur Bonac. *ubi ſupr. num.* 11. Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 30. *verſ. Notandum eſt quinto.* Excipe tamen cum Tolet. *lib.* 5. *c.* 70. *num.* 2. niſi infamatus idem etiam periculum vitæ ſubeat. Sed vide Em. Sà *verb. Infamare nu.* 7. *&* 8. *verb. Reſtitutio num.* 55. *&* 56. ac me ipſum *in tit.* 66. *de Filiis ad Int.* 2.

TITULUS CLXXXIX.

De Revelationibus Secretorum.

Vide tit. de Jud. tem. &c. Int. ult. tit. de Præcept. Int. 2. Reſtit. Dam. Int. ult. tit. de Soc. Crim. Int. 4. & 5. tit. de Teſtib. &c. Int. 2.

1820 INter. 1. Peccatne mortaliter, qui narrat alicui amico injuriam ſibi ab aliquo ſecretò illatã?

Reſp. In hoc caſu diſtinguere oportet: Vel refert, & narrat animo detrahendi ad vindictam, vel ut conſolationem capiat ab amico, vel conſilium recipiat, vel ut dolorem mitiget, & leniat; In primo caſu utique mortaliter peccat, quia cenſetur formalis detractio; In ſecundo caſu verò à mortali excuſatur communiter à Doctoribus: nam nimis durum eſſet, & præter humanam conſuetudinem, ut quis cogatur acceptas injurias ſolus ferre, nec poſſet eas amico communicare ad leniendum dolorem, & ſuam commoditatem, ut eas leviùs ferat. Layman. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *par.* 2. *c.* 3. *n.* 6. Bonac. *de Reſtit. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 3. *num.* 3. Nicolius *in Floſ. verb. Detractio ſub num.* 1. addens adhibendam tamen curam, ne pluribus dicatur, quàm ad ſolatium, ſivè conſilium ſit neceſſarium, nec nominandam perſonam, niſi ad conſilium, ſivè conſolationem hujuſmodi ſit opus, vel valdè expediens. Et tandem Dia. *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 32. plures pro hac ſententia Doctores allegat, & teſtatur de communi. Imò aliqui dicunt, non illicò damnari peccati mortalis eum, qui ſecretò graviter injuriatus in publicas querimonias prorumpat, cum durum ſit afflictum animum cohibere; Hos refert Diana *ubi ſupra prope finem*, ſed bene inquit Tambur. *lib.* 9. *c.* 3. §. 3. *num.* 27. penes illos ſit auctoritas: Ego enim potius hunc excuſarem ex primis motibus, & ex involuntario, &c.

1821 Inter. 2. Peccatne mortaliter, qui crimen occultum alterius, ſine juſta cauſa manifeſtat uni viro prudenti taciturno, quem ſcit non euulgaturum; ſed ſecretò retenturum?

Reſp. Doctores in hoc non conveniunt, ſed in duas Claſſes, & ſententias diviſi ſunt, ut videri poteſt apud Bonac. *ead. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 3. *num.* 2. & Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 33. *& par.* 2. *tr.* 17. *reſ.* 22. Quidam enim docent, non peccare mortaliter, quia non lædit famam proximi notabiliter, & cum ſit minima detractio, & leve detrimentum in fama, non poteſt eſſe peccatum mortale. Ità Caiet. 2. 2. *quæſt.* 73. *ar.* 2. *dub.* 1. Navar. *de Reſt. lib.* 2. *c.* 4. *num.* 335. Reginaldus, Graſſius, & alii. Et tanquam probabilis hæc opinio admittitur à Layman. *loco ſuprà cit.* Bonac. & Diana *locis nunc citatis.* Tamen contraria eſt magis communis, & probabilior: quia ſi conſideretur famæ detrimentum judicio prudentis, majus erit revelare illud crimen uni gravi Viro, præſertim ſuperiori, quàm ſi decem infimis hominibus reveletur. Ità Layman *ubi ſuprà*, Bonac. & alii plures penès ipſũ, & apud Dianam *dicta reſ.* 33. ubi alias concludentes rationes invenies.

1822 Inter. 3. Peccatne mortalitèr, qui revelat homicidium à Titio commiſſum, quod falsò imputatur Cajo, qui ob hujuſmodi imputationem morte puniendus eſt?

Reſp. Nullo modo peccat: quia

licitum eſt aperire crimen alterius, ad conſulendum bono alicujus: ſicut ad impediendum damnum ſpirituale, vel temporale alicujus momenti. Navar. *in Man. c.* 18. *num.* 31. & alii plures, quibus ſubſcribit Bonac. *de reſt. diſp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 8. *n.* 1. *& ſeqq. & præcisè num.* 7.

1823 Inter. 4. Poteſtnè tuta cõſcientia, qui novit aliquem eſſe furem, admonere eos, cum quibus habitat, ut ſibi caveant ab illo?

Reſp. Non ſolum poteſt, ſed tenetur illos admonere, ut ſibi caveant, ob rationem ſupradictam, & docet ipſe Bonac. *ubi ſupra nu.* 8. Tolet. *lib.* 5. *c.* 65. *num.* 3. *& alii plures.*

TITULUS CXC.

De Sacerdotibus.

Vide tit. de celeb. Miſ. tit. de circumſt. pec. Int. 6. tit. de Cleric. ad quæſ. 3. tit. de Conſuet. Int. 3. tit. de Deſid. Int. 3. 4. ti. de Eccl. Pollut. Int. 17. tit. de Epiſcopat. &c. Int. 33. tit. de Hæreſ. &c. Int. 6. & ad quæſ. tit. de Infam. Int. 5. tit. de Irreg. Int. 18. 23. tit. de Laic. Int. 3. 9. ti. de Moribun. Int. ult. tit. de Mutil. membr. Int. 4. tit. de Opin. Int. ult. tit. de Ord. Min. Int. 1. ti. de Ord. Sac. Int. 1. tit. de Papa, &c. Int. 4. 5. tit. de Peccat. Inter. 8. 9. tit. de Præc. an. com. Int. 3. tit. de Regul. &c. Int. 7. 16. 19. 33. 108. 109. 110. 111. tit. de Sac. Bap. Int. 6. ti. de Sacr. Confirm. Int. 2. tit. de Sacr. Euch. Int. 8. & ad quæſ. 4. & 5. tit. de Sacr. Matr. Int. 7. ti. de Sac. Ord. Int. 2. 3. & ad quæſ. 3. tit. de Sacril. Int. 6. tit. de ſigil. Conf. Int. 16. 17. 18. ti. de valid. Sac. Matr. Int. 20. 21.

1824 INter. 1. Quid eſt melius, quod numerus Sacerdotum reſtringatur, vel augeatur?

Reſp. Dico: melius eſſe, ut reſtringatur numerus ſuperfluus Sacerdotum, quia multitudo eſt ſacris Canonibus inimica. Colligitur *ex cap. quia in tantum, de præbendis*: multitudo enim aliquos facit magis viles, *cap. legibus diſt.* 93. ideòque melius eſt paucos habere Miniſtros, quàm multos inutiles, *cap. tales*, 23. *diſt.* Imò ſanctius eſt paucos bonos, quam multos Miniſtros inutiles habere, ut dicitur *in cap. cum ſit ars artium, de ætat. & qualit. Ordin.* & ibi Gloſ. cumulat Jura concordantia. Quod quidem intelligendum eſt præcipuè in Ordinatione Sacerdotum. Vide Pacem Jord. *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 239. & Toletum *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 6. ubi dicit, quod Epiſcopus, ſub pœna peccati mortalis, tenetur ordines non niſi dignis conferre, & nequaquam admittere ignorantes, & homines malæ vitæ ad ſacros Ordines. Sed nota, quod ſi aliquis ratione ſanctimoniæ, & charitatis, alios præcederet: foret promovendus ad Ordines, licèt parum ſcientificus eſſet, ſufficientèr tamen inſtructus, quià imperfectum ſcientiæ, ſuppletur perfectione charitatis, *cap. niſi cum pridem* §. *pro defectu quoque de renunc.* & docet idem Pax Jord. ubi ſuprà *num.* 247.

1825 Inter. 2. Conferturnè validè Ordo Præsbyteratus, ſi ex oblivione tradatur Calix, in quo non fuit vinum appoſitum?

Reſp. Aliqui, quos refert Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 186. dicunt, non conferri validè, & probabiliter quidem, nam materia Ordinis Presbyteratus eſt traditio patenæ cũ hoſtia, & calicis cum vino, ac proindè ſi in patena non ſit hoſtia, & in Calice vinum vitis, deeſt materia neceſſaria, conſequenter non confertur validè Ordo Præsbyteratus. Alii verò etiam probabiliter ſuſtinẽt validè conferri Ordinem Sacerdotalem in dicto caſu, quia poteſtas conſecrandi utramque ſpeciem non traditur diviſim, ſed qui poteſt unam ſpeciem conſecrare, poteſt & aliam, cum Chriſti Corpus conjunctum ſit cum Sanguine, & Sanguinis cũ corpore. Ità tenent Bonac. *de Sac. diſp.* 8. *qu.*

Digitized by Google

qu. unica punct. 3. num. 3. & Diana ex Henriquez Filliucio, Homobono de bonis. Mihi tamen videtur res valdè dubia, an in caſu dicto quis validè ordinetur: ideòque puto reiterandum eſſe ordinem ſub conditione, prout docet Villalabos *in ſumm. tr. 11. diffic. 4. num. 1.* quem refert idem Diana *ubi ſupra.* Et hanc ſententiam, tamquam probabiliorem amplectitur quoque ipſe Diana *par. 4. tract. 4. reſo. 119. & par. 6. tr. 8. reſ. 22.* qui alios concordantes refert.

1826 Inter. 3. Quam pœnam incurrit qui ad Ordinem Præsbyteratus non promotus Miſſas celebrat, aut Confeſſiones audit?

Reſp. Non ſolum fit irregularis, ut patet *ex cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato miniſtrante,* & docet Avila *de cenſur. par. 7. diſp. 9. ſect. 2. dub. 15.* & alii communiter: ſed etiam contra illum procedit Tribunal Sanctiſſimæ Inquiſitionis; ex Greg. XIII. in Bulla *incip. Officii noſtri,* editâ anno 1574. & in Bulla Cle. VIII. *Etſi alias* de anno 1601. habetur Curiæ ſæculari tradendum eſſe, ita namque loquitur Bulla. *A Judicibus S. Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis à foro Eccleſiaſtico abiiciuntur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis ſi quos habuerint, ritè degradati, Curiæ Sæculari tradantur, per Judices ſæculares debitis pœnis plectendi.* Et tandem Urbanus VIII. anno 1627. in Bulla quæ incipit *Apoſtolatus officium,* ſtatuit, & decrevit, ut qui in poſterum ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus, Miſſam celebrare, Sacramentalem Confeſſionem audire præſumpſerit ætatis minoris anni vigintiquinque non excuſetur, quominus eidem Clementis Conſtitutioni ſubiiciatur, dūmodo vigeſimum ætatis annum compleverit. Vide Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 10. num. 22. & cap. 14. num. 9.* Dianam *par. 4. tr. 7. reſ. 11. & 12.* & alios apud ipſos.

1827 Inter. 4. Sacerdotibus Evangelicis cur ſtatus conjugalis eſt illicitus? & quare Græci poſſunt Uxorem habere?

Reſp. Sacerdos Evangelicus debet ſervare continentiam ad denotandam puritatem, & munditiam Sacrificii, ad oſtenſionem obſervantiæ erga tale munus, & ad ſimilitudinem inducendam, cum capite, quod eſt Chriſtus Dominus Summus Sacerdos; & tandem ad denotandam Sacerdotii excellentiam, cum perfectius ſit ſtatus Sacerdotum, quam Conjugatorum, ut docet Toletus *lib. 1. cap. 2. ſub num. 7.* Græcis Sacerdotibus contrahere matrimonium, communis ſententia docet, numquam licuiſſe, aut permiſſum eſſe, ut oſtendit Azorius, Sànchez, Bellar. Coninchius, Rebellius, & Filliucius, & habetur ex Concil. Romano *cap. 8.* & ex aliis Conciliis, teſte Bonac. *de matrimonio quæſt. 3. pun. 9. num. 13.* Unde ſi aliquis Græcus Sacerdos contraheret matrimonium: invalidè illud contraheret; quia ſolum eſt eis permiſſum, ut jam conjugatus poſſit ſuſcipere Sacros Ordines, & uti matrimonio anteà cōtracto, ut patet *ex cap. aliter diſt. 31.*, nam Sacri Ordines dirimunt matrimonium ratione voti ſolemnis, quod eſt ipſis ordinibus annexum ex decreto Eccleſiæ, quale Decretum non eſt acceptatum à Græcis, ſed quia Sacri Ordines dirimunt matrimonium, etiam ratione ſui, cum ex ipſa vi voti oriatur obligatio non ineundi matrimonium eſt enim ille ſtatus oppoſitus obſervantiæ perfectè caſtitatis, & ideò obſervant Græci, ut initiatus Ordine Sacro, non validè contrahat matrimonium. Bonac. *ubi ſuprà.* Vide Em. Sà *verb. Ordo num. 28.* & alios ibi relatos per Victorellum, & præſertim vide Dianam *par. 10. tract. 11. reſ. 12. verſ. Nota verò.* Qui benè advertit, quod in Eccleſia latina ante collationem ſacrorum Ordinum, omnes monentur ab Epiſcopo de obligatione caſtitatis ſervandæ.

TITULUS CXCI.

De Sacramentis.

Vide tit. de Confeſſar. extr. Mon. Int. 3. ti. de Decim. Int. 1. tit. de Epiſcopat. &c. Int. 63. ti. de excom. min. Int. 6. ti. de Intent. Int. 1. 2. ti. de Paroch. Int. 19. 21. ti. de Simon. Int. 11. tit. de Simul. Int. 5. ti. de ſuperſt. Int. 5. tit. de Valid. Sacram.

1828 Inter. 1. Quid eſt Sacramentum?

Reſp. Sacramentum eſt Sacræ rei ſignum; Ita habetur *c. Sacrificium*, 2. *de conſecr. diſt.* 2. & quia omnia Sacramenta, quantum ex ſe, conferunt gratiam ſantificantem: ideò Sacramentũ diffinitur, ſignum ſenſibile rei ſacræ ſanctificantis animam, ut tradunt communiter Theologi, & fide tenendum eſt.

1829 Inter. 2. Quænam ſunt Sacramenta, quæ cõferunt primam gratiam?

Reſp. Sunt duo, ſcilicèt Baptiſmus, & Pœnitentia.

1830 Inter. 3. Quare Baptiſmus, & Pœnitentia dumtaxat conferunt primam gratiam?

Reſp. Quia iſta duo Sacramenta non ſupponunt hominem in gratia, ſicut cætera Sacramenta, quæ conferunt augmentum gratiæ habitualis.

1831 Inter. 4. Quænam ſunt Sacramenta, quæ dicuntur Mortuorum?

Reſp. Item pariter Baptiſmus, & Pœnitentia.

1832 Inter. 5. Et quare dicuntur Sacramenta Mortuorum?

Reſp. Quia accedentes ad hæc duo Sacramenta ſunt mortui gratiæ, cùm ipſam non habeant: At quia accedentes ad alia Sacramenta debent eſſe in gratia, ideò præter Baptiſmum, & Pœnitentiam, cetera Sacramenta non dicuntur mortuorum, ſed vivorum DD. communiter.

1833 Inter. 6. Sacramenta vivorum, ſcilicèt præter Baptiſmum, & Pœnitentiam, conferuntnè aliquando primam gratiam?

Reſp. Dico, quod ſic, & eſt valdè probabile, & conſolatorium hoc aſſertum Dianæ *par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 31. ubi ſic habet; Dico igitur: quinque Sacramenta vivorum conferre primam gratiam aliquando, videlicet, quando peccator accedit attritus, exiſtimans bona fide, ſe eſſe, in ſtatu gratiæ abſq; peccato mortali, quia de Divina Clementia credi poteſt, quod voluerit ſic accedenti conferri primam gratiam; Undè, qui non potuit, v. g. confiteri, & ſumeret Euchariſtiam, putando ſe habere contritionem, ſi habeat tantum attritionem, adhuc ex ſumptione Sacramenti obtineret primam gratiam. Ergo dicendum eſt, prout ſentiunt multi Theologi, quod aliquando, per accidens Sacramenta vivorum conferant primam gratiam. Sed vide Dianam *loco cit.* qui alios Doctores allegat.

1834 Inter. 7. Quos effectus producũt in Anima Sacramentum Euchariſtiæ, & Sacramentum extremæ unctionis?

Reſp. Vide Toletum *lib.* 2. *cap.* 29. & 30. ubi tractat de modo ſuſcipiendi Sacram. Synaxim, & de ejus effectibus. Effectus verò extremæ unctionis principaliter eſt roborare animam contra dæmonis tentationes in morte, ſecundario eſt delere reliquias peccatorum, tollere pœnas reſtantes, & aliquando etiam ſanitatem corporis conferre, ſi expediat. Ita colligitur ex Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. Vide Navar. *in Man. cap.* 22. *num.* 13. Chaves *in Sum. Victoriæ tit. de extrem. unct. ſub num.* 197. Emma. Sa *eodem verb. num.* 16.

1835 Inter. 8. Quænam Sacramenta ſunt de neceſſitate ſalutis? Et quænam ſunt illa, quibus homines nolentes uti, peccant, & nolentes uti, nullum peccatum committunt?

Reſp. Tria ſunt Sacramenta, quæ ſunt omninò de neceſſitate ſalutis, nempè Baptiſmus, Pœnitentia, & Euchariſtia; nam ordinantur ad gratiam, & re-

& remiſſionem peccatorum. Confirmatione autem nolle uti, eſt peccatū mortale ſi ex contemptu vel notabili negligentia fiat. Vide quæ dixi *in ti. 171. de Præcep is ad Int.* 1. ubi fit ſermo de Sacram. Confirm. & ad *Inter. antecedentem hujus tituli*, ubi locuti ſumus de Extrema Unct. & præcipuè de ejus effectibus, & tene id, quod dixi de Confir. ſcilicèt eſſe peccatum mortale ex contemptu, vel magna negligentia illam ommittere, ut docet Petrus à Soto apud Em. Sà *in addit. num. 5. de extrem. Unction.* Denique nolle Matrimonio, & Ordine uti nullum eſt peccatum. Ita docet Chaves *in Summ. Victoriæ ti. de Extrem. Unct.* Verùm an Euchariſtia ſit neceſſaria neceſſitate præcepti, ità, ut detur præceptum Divinum poſitivum ſumendi hoc Sacramentum: negant plures Doctores, loquendo, inquam de præcepto Divino, ut videre licet apud Dianam *par. 3. tract. 6. reſ. 95.* Ego tamen ſentio cum illis, qui aſſerunt Sacram. Euchariſtiæ eſſe neceſſarium neceſſitate ſalutis, & extare præceptum Divinum illud ſumendi; nam ex Joan. *cap. 6.* habetur expreſse ſic. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Vide S. Tho. *3. par. qu. 80. art.* 11. Unde obligat tempore mortis. 2. in reliqua vita quoties tali remedio, ad perſeverandū in gratia eſt neceſſarium, & 3. quando quis prudenter putat ſe nō amplius habiturum commoditatem communicandi in tota vita. Verum tamen eſt, quod tale præceptum obligat ſolum adultos, & niſi quando decenter, & reverenter poteſt ſumi, ut bene obſervat Diana *loco cit.* Vide etiam Bonac. *de Sacr. diſp. 4. qu. 7. pun. 1. num. 1. & 8.* & eundem Dian. *par. 9. tract. 9. reſ. 46. verſ. quando nam vero.*

1836 Inter. 9. Quænam ſunt ea Sacramenta, quæ licitè adminiſtrari poſſunt tempore Interdicti localis?

Reſp. Tempore Interdicti localis, ſive Interdictum ſit generale, ſive ſit particulare, adminiſtrari poſſunt Sacramenta Baptiſmi, & Confirmationis tàm parvulis, quàm adultis, infirmis, aut ſanis, cum ſolita ſolemnitate: Item Sacramentum pœnitentiæ non ſolùm morientibus, ſed etiam ſanis, dummodò non fuerint excommunicati, vel culpabiles in interdicto: nam iſti non poſſunt abſolvi, niſi in articulo mortis, præſtita priùs ſatisfactione, vel ſaltem, ſi non poſſunt, cautione de ſatisfaciendo, & operando, ut Interdictum tollatur, ut dicam in *tit. 198. de Sacramento Pœnitentiæ ad In:.3.* Etiam adminiſtrari poteſt Sacramentum Euchariſtiæ cum ſolita ſolemnitate, ſed ſolum exiſtentibus in probabili mortis periculo, proveniente tam ex infirmitate, quam ex cauſa extrinſeca: Item Matrimonium celebrari poteſt, etiam à perſonaliter interdictis, ut probabiliter dicunt aliqui apud Dianam *par. 3. tr. 4. reſ. 267.* ſed non eſt danda ſolemnis benedictio nuptiarum. Ceterùm Sacramentum extremæ unctionis in loco interdicto miniſtrari non poteſt ulli perſonæ, etiam non interdictæ: Neque Sacramentum ordinis poteſt conferri in loco interdicto, ſed alibi non eſt prohibitum, dummodò Ordinans, vel Ordinandus, non ſint perſonaliter interdicti. Ita docet Tolet. *lib. 1. cap. 53. num. 4. & ſeqq.* Sylv. *verb. Interdictum 5. §. 9.* Zeccus *de Interdicto pag. 79. & 80.* Bonac. *de Cenſu. diſp. 5. pun. 3. per totum*, & alii plures. Vide etiam Navar. *in Man. cap. 27. num. 178.* Lezan. *tom. 2. verb. Interdictum num. 12. & ſeqq.*

1837 Inter. 10. Quam pœnam incurrit miniſtrans Sacramenta excommunicato vitando?

Reſp. Peccat mortalitèr, & incurrit minorem excommunicationem, ac præterea ipſo jure Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & aliquando etiam Papalem excommunicationem, ſi participans ſit Clericus, & ſciat illum, cum quo participat, eſſe excommunicatum à Papa; & tandem, ſi ſponte par-

participet, ideſt ſine metu, & timore; ut habetur *ex cap. Significavit, de Sent. excom. & docet* Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 2. §. 2. *nu.* 7. Diana *loc. cit. reſ.* 82. §. *Sed ſi quis*. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 11. *ſub num.* 4. Verum dictas pœnas non incurrit ille, qui aſſiſtit matrimonio excommunicati vitandi, quia Sacerdos, ut dicam in *ti.* 196. *de Sac. Matrim. ad Int.* 5. non eſt miniſter hujus Sacramenti, ſed ipſi contrahentes, & docet etiam ipſe Bonac. *loc. ci.* & alii ab ipſo relati.

1838 Inter. 11. Peccatnè mortaliter Sacerdos adminiſtrans Sacramenta excommunicato tolerato, ſeù nòvitando?

Reſp. Jure naturali divino, non ſunt adminiſtranda Sacramenta indignè petenti, niſi quando pœnitens, eſt peccator occultus, & publicè petit Sacramenta, ut dicam *in tit.* 194. *de Sacramento Euchariſtiæ ad Int.* 4. cum S. Tho. 3. *par. qu.* 80. *art.* 6. de communi: aliàs Sacerdos peccat mortaliter, non contra prohibitionem Eccleſiæ, cum hęc fuerit ablata in Concil. Conſtantienſi, ſed peccat contra Jus naturale divinum: quamvis nullam aliam pœnam, vel cenſuram incurrat, quia adminiſtrans Sacramenta excommunicato tolerato non facit contra prohibitionem Eccleſiæ, ut dixi. Bonac. *ubi ſupra nu.* 1. & alii plures apud ipſum.

1839 Inter. 12. Peccatnè mortaliter Parochus, & teneturnè fructus reſtituere, qui licèt in ſua Parochia reſideat, tamen non per ſeipſum, ſed per alios Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, &c. adminiſtrat? & quid dici debet de Prælatis Religionum?

Reſp. Durus eſt hic Sermo; ſed verus: Supponendum eſt autem primò cum Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 6. *qu. unic. pun.* 8. *nu.* 4. graviter peccare Parochos, qui ovium ſibi ſubditarum curam non habent, ut eſt eis Sacramenta miniſtrare, orare pro populo ſibi commiſſo, diebus Dominicis, & feſtis ſolemnioribus doctrinam Chriſtianam docere, Miſſam applicare, Infirmos frequenter viſitare, & pauperum curam habere. Vide Concil. Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* & *ſeſſ.* 14. *c.* 4. & 7. Supponendum eſt 2. Epiſcopos, Parochos, & alios Rectores, quibus cura Animarum incumbit: de jure divino teneri in ſuis Eccleſiis reſidere, ut docent innumeri DD. quos refert, & ſequitur Barb. in Collect. DD. ad Trident. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 1. *num.* 3. His ergo ſuppoſitis, dicendum eſt, non dici vere, & juxta mentem Concil. Tridentini reſidere Parochum, qui ſolum in loco Beneficii reſidet, quia reſidere, cum effectu accipi debet, ſcilicèt quòd officinm ſuum perſonaliter exercere teneatur, nec ſufficere eſſe in Parochia præſentem, & cetera ſubſtituto ſuo committere, nam debet per ſe ipſum Sacramenta ſuis ovibus miniſtrare, ac etiam de nocte, præſertim, ſi nominatim, & inſtanter deſideretur, alias non ſolum peccat mortaliter, ſed etiam tenetur ad reſtitutionem fructuum, ut ex Sancio, Vaſquez, Ugolino, Graffio, Corduba, Aſtenſi, Hoſtienſe, Sylveſtro, Petro de Aragonia, & Ludovico à S. Joan. firmat Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 156. ad quem brevitatis gratia Lectoré remitto. Et huic ſententiæ adhæret etiã P. Rotarius *in Appar. pro exam. Cler. c.* 9. *ſect.* 2. *n.* 8. Vir quidem ob ejus præclara opera valdè celebris, atque honoré dignus. Sed pro coronide hoc unum non prætermitto; nempè, quod dictum eſt de reſidentia Epiſcoporum, & Parochorum: ob ſimilem rationem idem dici debet de Prælatis Religionum. Unde Prælati Monaſteriorum tenentur aſſiſtere ſuis Monaſteriis tempore peſtis, vel hæreſis, etiam cum periculo mortis, nàm ſunt veluti Parochi illorum Monaſteriorum: Parochis autem fugere non licet in talibus eventibus, ut tradunt Sanchez *de præcept. decal. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 55. Miranda *in Man. tom.* 2. *qu.* 9. *art.* 5. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *num.* 12. & alii: ergo

ergo neque dictis Superioribus. Sed vide, quæſo Dianam *par.9.tr.7.reſ.53.* & non te pænitebit legiſſe. Adde nam inter alia docet,non poſſe Generalem diſpenſare, ut Superior localis abſit à ſuo Conventu, etiam cauſa imprimendi aliquem librum à ſe compoſitum. Item de hac re vide Rotar. *loc. qui ſuprà cap. 9. ſect. 2. num. 8. & ſeqq.*

1840 Inter. 13. Poteſtnè quis licitè Sacram Euchariſtiam,aliaque Sacramenta in Cathedrali Eccleſia recipere, relinquendo Parochum proprium?

Reſp. Emm.Sà *verb. Sacramentum num.*., dicit; Sacramenta omnia poſſe quemlibet de Diœceſi in Cathedrali accipere. Idem docent Genuenſis *in praxi cap. 76. num. 22.* Poſſevinus *de offic. Curati cap.7. num. 57.* Barboſa *de offic. Parochi par.2. cap.20. num. 12.* Piaſecius *in praxi par.2. cap.3. art. 3. num.26.* Geſualdus *in Theol. Moral. tom.1. tract.12. cap. 4. num. 20.* & alii plures apud Sanchez *de Matrim.tom.1 lib.3. diſp.27.nu.1.* qui omnes aſſerunt, Archipresbyterum Eccleſiæ Cathedralis eſſe Parochum totius Diœceſis, & poſſe quæcumque Sacramenta in tota illa miniſtrare. Verum mihi magis probatur ſententia Dianæ *par. 9. tract. 9. reſ. 64.* qui tenet: quod nullo Jure probatur, Eccleſiam Cathedralem eſſe communem totius Diœceſis; Unde dicendum eſt,Parochum Eccleſiæ Cathedralis,non poſſe alienis ovibus,abſque proprii licentia, Euchariſtiam, vel alia Sacramenta miniſtrare, nec aliquem, qui non ſit Parochianus illius Eccleſiæ, licitè ibidem ea recipere, abſque licentia proprii Parochi; nam ſine dicta licentia Parochi, vel Epiſcopi, non ſatisfaceret precepto Eccleſiæ de Euchariſtia ſumenda tempore Paſchatis, niſi Archipresbyteratus eſſet quædam præbenda, cui ex officio eſſet annexum, audire Confeſſiones omnium, & conſequenter adminiſtrate omnia Sacramenta,etiam Euchariſtiam omnibus fidelibus illius Diœceſis abſque licentia proprii Parochi. Quod tamen raró contingit. Vide Baſſæum *verb. Communio ſacra n.13.* Sanchez *ubi ſupra.* Trullench. *in tract. de Jure Parochi cap.5. num.10.* & Dianam *loco cit.* Ceterum, generalitèr loquendo Parochus Eccleſiæ Cathedralis non poteſt alienis ovibus Euchariſtiam tempore Paſchatis, neque cetera Sacramenta miniſtrare ſine licentia; nec aliquis, qui non eſt de ejus Parochia ab eo Sacramenta, quæ ſolum ſpectant ad Parochum proprium conferre recipere; Et ità ferè ubique obſervatur.

TITULUS CXCII.

De Sacramento Baptiſmi.

Vide tit. de Cognat. Matr. dit. Inter. 8. tit. de Concubinar. &c. Int. 7. tit. de Debit. conjug. Int. 4. tit. de Eccl. Pollut. Int.13. tit. de Intent. Int. 1. tit. de Moribun. &c. ad Quæſ. tit. de Patrin. Int. 2. 4. tit. de Regul. Int.70. 90. tit. de Sacram. Int. 2. 3. 4. 5. 8. 9. tit. de Suſpec. de Hær. ad quæſ. 2. tit. de Valid. Sac. Bapt.

1841 INter. 1. Quotuplex eſt Baptiſmus? Et qualis baptiſmus eſt Sacramentum?

Reſp. Triplex eſt Baptiſmus: Fluminis, Flaminis,& Sanguinis:quorum quilibet appellatur Baptiſmus, quia Baptiſmi vices ſupplet. Baptiſmus flaminis vocatur pœnitentia peccatorum,& quodcumq; converſo in Deum ſufficiens ad infuſionem gratiæ, non vocatur Sacramentum,quia non confert gratiam ex opere operato; tamen qui nequit realiter ſuſcipere Baptiſmum, ſi eliciat actum pœnitentiæ, & contritionis cum propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum, obtinet remiſſionem peccatorum, tam actualium, quàm originalis; Baptiſmus ſanguinis, eſt

mar-

martyrium, qui nec eſt Sacramentum, ſed tamen vices Baptiſmi ſupplet quo ad ejus effectus; unde, qui non poteſt Baptiſmum aquæ ſuſcipere, & antè ſuſceptionem Baptiſmi fluminis, rapiatur ad Martyrium: conſequitur remiſſionem omnis culpæ, & totius pœnæ. Baptiſmus verò fluminis eſt verè, & propriè Baptiſmus, & verum, & proprium Sacramentum, quod adminiſtratur flumine, ideſt aqua. Ita docet Bonac. *de Sacram. diſp. 2. in princip*, & eſt communis Theologorum doctrina.

1842 Inter. 2. Quænam eſt materia proxima, & materia remota Sac. Baptiſmi?

Reſp. Materia remota eſt aqua naturalis, ut eſt aqua Maris, putei, Fontis, pluviæ; balnei, etiamſi ex ſulfure, aut cinere defluat; hæc enim cenſetur aqua naturalis, & hoc verum eſt etiã, ſive aqua calida ſit, ſive frigida, ſive tincta colore, ſive denſa. S. Thom. *3. par. qu. 66. ar.* 4. Toler. *lib. 2. c.* 18. *num.* 1. & alii plures apud Bonac. *de Sac. diſp. 2. qu. 2. pun. 3. num.* 3. qui teſtatur de communi. Item aqua ex ſale reſoluta, eſt materia dubia: at verò ex nive, geluque reſoluta, eſt ſufficiens materia, ad conferendum Baptiſmum, ut docent plurimi apud Bonac. *loc. cit. num.* 4. *&* 5. & penès Dian. *par. 3. tr. 4. reſ.* 5. Idem dicendum eſt de lixivio, brodio carnium vel Piſcium, quando non eſt notabilis mixtio cum alio corpore, ut amplius nequeant aqua denominari, ac etiam de aqua expreſſa à luto, licèt ſit cum terra. Tolet. *ubi ſup.* & Bonac. *num. 6.* Vide Sylv. *verb. Baptiſmus 2. n. 3.* Nota tamen, quod hæc omnia, præter aquam puram, & benedictam, non poſſunt adhiberi in Baptiſmo, niſi in extremo neceſſitatis tempore; ut colligitur *ex Clem. unica de Baptiſmo*, & docet Tolet. Bonac. *loc. cit. nu.* 8. alias committeretur graviſſimum ſacrilegii peccatum. Ceterùm cerviſia, ſudor, lac; urina, lacrymæ, ſputum, ſeù ſaliva, aqua roſacea, aqua à vite, vel aliqua arbore diſtillans, non ſunt materia apta pro conficiendo Baptiſmo. Bonac. *ibid. num.* 2. & alii apud Dian. *loc. ſup. cit. & par. 5. tr. 3. reſ.* 2. & docet etiam Tolet. *ubi ſup.* Materia verò proxima, eſt ablutio, quæ fit mediante aqua naturali, ut ſupra explicatum eſt: & hujuſmodi ablutio conſiſtit in contractu ſucceſſivo, quo aqua ſucceſſivè contingit corpus ope Miniſtri; Si caput abluatur validus eſt Baptiſmus, quia caput eſt præcipuum hominis membrum, quo abluto, dicitur homo ablutus; Imò nota quod omninò in capite quivis baptizari debet, niſi urgeat neceſſitas, nam in neceſſitate Baptiſmus adminiſtrandus eſt in qualibet parte corporis, etiã in ſolo digito, ſi nequeat in capite baptizari, ſed eſt rebaptizandus tranſacta neceſſitate, (ut dicit Rituale Romanũ) ſub conditione. Vide Dian. *par. 5. tr. 3. reſ.* 11.

1843 Inter. 3. Licetnè aliquando uti materia, de qua dubitatur, an ſit aqua naturalis, & materia apta Baptiſmi?

Reſp. Quando in neceſſitate non adeſt materia certa, ſed dubia, licet uti illa materia dubia, baptizando tamen cum conditione, ſaltem mente retenta, quia melius eſt aliquem baptizari cum materia de qua dubitatur, an ſit apta, & ſufficiens ad Baptiſmum, quam nullo modo baptizari. Verum eſt tamen, quod ſi tunc non decedat, debet iterum baptizari ſub conditione cum materia certa, ſolita, & conſueta. Secluſa verò neceſſitate, numquam licèt ſine gravi peccato uti, materia dubia, quia adeſt periculum faciendi Sacramentum irritum, & invalidum, & conſequenter eſt peccatum mortale, cum in moralibus, qui ſe exponit periculo faciendi Sacramentum irritum, idem ſit, ac facere illud invalidum. Ita pluribus relatis, docet Bonac. *de Sacr. diſp. 1. qu. 2. pun. 1. num. 23. & diſp. 2. qu. 2. pun. 3. num.* 9. Vide Dian. *par. 5. tr. 3. reſ.* 1.

1844 Inter. 4. Quænam eſt forma Sacramenti Baptiſmi?

Reſp.

Reſp. Forma Baptiſmi ſunt hæc verba. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ità S.Th. *3. par. quæſt. 66. art.* 5. D. Antoninus *3. par. tit.* 14. *cap.* 13. *num.* 2. Sylv. *verb. Baptiſmus* 1. *num.* 3. Navar. *in man. cap.* 22. *nu.* 2. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 19. *ſub num.* 1. *& alii comm.* ut videre licet apud Bonac. *loc. ſup. cit. pun.* 4. *num.* 1. & hoc verum eſt, etiam ſi vulgari lingua, dicta verba proferantur. Immò Bonac. *ibid. num.* 17. dicit, conſultum eſſe vulgari lingua exprimere formam Baptiſmi, quando Miniſter linguam latinam non callet, nam quantum ad idioma non impeditur forma, ſi Hiſpano; vel Germano, vel Italico, vel alio quovis idiomate dicatur, dummodò verba formæ eumdem faciant ſenſum, quem pariunt verba latino ſermone prolata. Ita Tolet. *ubi ſupra ſub num.* 2. qui benè addit melius fore, qui in neceſſitate baptizant, ſi nativo ſermone formam proferrent, ne propter linguæ latinæ ignorantiam, ridiculas voces emittant, ſicque fœminæ ſermone Italico baptizantes, melius faciunt, quam illæ, quæ baptizant ſermone latino, quia ſciunt melius pronunciare verba Italica, quam latina. Ceterùm in Baptiſmo ſolemni, omnes Latini latino ſermone uti debent.

1845 Inter. 5. Quiſnam eſt Miniſter in Sacramento Baptiſmi?

Reſp. Solus Parochus, vel alius Sacerdos, eo concedente, eſt hujus Sacramenti Miniſter, quando extra neceſſitatem baptizatur, ut docent Doctores communiter. Diaconus verò abſente Sacerdote, ſi neceſſitas urgeat, ſolemniter jure ſuo baptizare poteſt, ut tenet Gloſ. *in cap. Diaconos verb. Neceſſitas, diſtint.* 93. Em. Sà *verb. Baptiſmus num.* 7. *& verb. Ordo ſub nu.* 8. ex Suarez *in* 3. *par. to.* 3. *diſp.* 23. *ſect.* 3. *verſ. Reſpondetur*: Verùm hoc alii non admittunt, ſed ſolum concedunt, poſſe Diaconum ſolemniter baptizare de licentia Epiſcopi, vel Parochi. Ita Dian. *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 28. & alii ab ipſo relati. Ceterum hoc tempore non videtur in uſu, ut Diaconus ſolemniter baptizet, cum adſit copia Sacerdotum, ut pluribus relatis docet Bonac. *de Sac. diſp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 5. *num.* 2. Dicendum eſt igitur cum Coninchio *de Sac. qu.* 67. *art.* 5. *dub.* 3. *num.* 27. quòd ſi Diaconus, ſine commiſſione ſolemniter baptizet, fiet irregularis, quia uſurpat actionem Ordinis, quem non habet, neque illum neceſſitas excuſat, quia nulla eſt neceſſitas baptizandi ſolemniter. Miniſter autem neceſſitatis, ſecundum communem Dei legem, eſt omnis homo cujuſque ſexus, ſive vir, ſive fœmina, & cujuſque ætatis; dummodo uſum rationis habet, & ſciat debitam formam proferre, & materiam applicare S. Thom. *3. par. 66. art.* 3. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 20. *ſub num.* 1. Bonac. *loc. cit. num.* 4. & plures alii apud ipſum, & eſt communis ſententia. Nam, cum Baptiſmus ſit Sacramentum magnæ neceſſitatis, jure optimo Chriſtus Dominus voluit pro Miniſtro Baptiſmi conſtituere quemlibet hominem rationis uſum habentem. Dixi: *Secundum communem Dei Legem*: quia ſecundum ſupernaturalem Dei ordinationem etiam Angeli, aut Anima extra corpus, ex divina voluntate Baptizare poſſunt. Tolet. *loc. cit.* Bonac. *ibid: num.* 7. *&* 8. & alii.

1846 Inter. 6. Peccatnè mortalitèr Laicus, ſi in caſu neceſſitatis baptizat infantem præſente Clerico; vel Clericus præſente Sacerdote, aut fœmina præſente viro?

Reſp. Non licet fœminæ baptizare infantem præſente Viro, qui ſciat, poſſit, & velit baptizare, nec Laico præſente Clerico, nec Clerico quamvis Diacono, præſente Sacerdote, non eſt tamen mortale oppoſitum facere, niſi adſit Sacerdos; nam preſente Sacerdote, nemo poteſt ſine mortali peccato baptizare, modò tamèn Sacerdos præſens non recuſet baptizare, aut nollet baptizare, niſi accepta pecunia in pretium, nàm in tali caſu quivis

citra peccatum baptizare poteſt,etiam ipſo Sacerdote præſente. Vide Tolet. *lib.*2. *cap.*20. *ſub num.* 2. Em. Sà *verb. Baptiſmus num.*7. Bonac. *de Sac.diſp.*2. *qu.*2. *pun.*5. *num.*11. & præcipuè Dianam *par.*3. *tract.*4. *reſ.*4. ubi pulchram invenies doctrinam; & *par.*5. *tract.*3. *reſol.*18. Vide etiam, quæ dicam *ad Inter.*10.

1847 Inter. 7. Qui eſt in peccato mortali, vel excommunicatus; ſi,poſtulante neceſſitate, aliquem baptizat ſine ſolemnitate: peccatnè mortaliter?

Reſp. Dico: qui in neceſſitate baptizat,non peccat mortalitèr, etiamſi ſit in peccato,aut excomunicatus,ſicut peccat mortaliter,qui ſolemnitèr in peccato exiſtens, Sacramentum miniſtrat. Ita docet S. Tho. *3. par. qu.64. ar.6. ad* 3. Sylv. *verb. Baptiſmus* 3. *qu.*4. Tolet. *lib.*2. *cap.*20.*nu.*2. Em.Sà *verb. Baptiſmus num.*1. & *ſub num.* 15. & alii plures apud Dianam *par.*3.*tr.*4. *reſol.*10. Quod quidem dicendum eſt etiam, quamvis eſſet Sacerdos in peccato mortali exiſtens, qui baptizaret, quia non agit, ut miniſter ex officio, ſed perindè ac laicus: & hoc puto verum, etiamſi advertat ſuum peccati ſtatum, aut advertere debuiſſet, ut docent Henriq. *lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 4. Sylv. *in* 3. *par. quæſt.*64. *ar.*6. *quæſt.*1. *concluſ.*2.quos refert,& ſequitur Diana *ubi ſup.* peccat tamen venialiter. Vide Victoriam *de Baptiſmo num.* 25. Sylv. *ubi ſupra*, Bonac. *de Sacr. diſp.*2. *qu.*2. *pun.*5. *num.*17. & alios apud ipſos, & eundem Dian. *par.*5. *tract.*3. *reſol.* 24. ubi Concordantes adducit.

1848 Inter. 8. Quodnam eſt ſubjectũ capax Sacramenti Baptiſmi?

Reſp. Bonac. *loc. prox.cit. quæſt.*2. *pun.*6. *num.*2. docet ex aliis,quòd ſubjectum capax Baptiſmi, ſit quilibet homo natus, exiſtens in hoc mortali corpore, ſive ſit infans,ſive ſit adultus, ſive vir, ſive fœmina, nam Baptiſmus eſt omnibus neceſſarius neceſſitate medii,in re,vel ſaltem in voto,quando nõ adeſt opportunitas illum ſuſcipiendi: Dixi *Homo natus*: quia exiſtens in utero Matris,baptizari non poteſt, non enim poteſt per Baptiſmum renaſci, qui nondum eſt corporalitèr natus, ideò Baptiſmus definitur: Ablutio exterior corporis facta ſub præſcripta forma verborum. Item Satyrus, aut genitus ex fœmina, & bruto, non eſt capax Baptiſmi, quia non eſt homo, ſecus autem dicendum eſt deMonſtro, genito ex viro, & fœmina, quia eſt homo conſtans ex anima, & corpore: Immò ſi habet duo capita, & duo corpora diviſa, cenſetur habere duplicem animam,ideòque bis baptizandum eſt, vel ſingillatim ſemel in utroq; capite, vel ſaltem unico actu baptizandum eſt dicendo; *Ego vos baptizo*, &c. modo periculum ſit in mora,& urgeat neceſſitas: In caſu verò dubii,an conſtet duplici anima rationali, ut ſi habeat duo capita cum uno pectore, vel duo pectora ſub uno capite, conferri ei debet duplex Baptiſmus, unus abſolutè in ea parte in qua perfectum caput, vel pectus apparet, alter ſub conditione in alia parte, dicendo, *Si non es Baptizatus,ego te Baptizo*,&c. Ità ex D.Th. & aliis docet Sylv. *verb. Baptiſmus* 3. *num.*10. Tolet. *lib.* 2. *cap.*21. *num.* 4. Sotus *in* 4. *diſt.*3. *qu. unica ar.*9. & alii plures,quos refert, & ſequitur Bonac. *ubi ſup. num.*4.Vide etiam Dian.*par.*9. *tr.*6. *reſ.*30. *propè finem.*

1849 Inter. 9. Quam pœnam incurrit Parochus, vel alius Sacerdos,ſi extra neceſſitatem infantem alterius Parochiæ ſolemnitèr baptizare præſumpſerit?

Reſp. Qui alterius Parochianum ſine facultate ſui Parochi, vel Epiſcopi, aut ejus Vicarii, ſine neceſſitate baptizat, præter peccatum mortale, nullam aliam pœnam Jure communi incurrit, quamvis Religioſus ſit: quia hæc pœna nullibi reperitur expreſſa. Navar. *in Man. cap.* 22. *num.* 7. *verſ. Octavo peccat.* Bonac. *num.* 10. *de Sacr. diſp.*2. *qu.* 2. *par. nu.*5. ubi alios Concordantes adducit.

1850

1850 Inter. 10. Si Parochus, vel alius Sacerdos recuſat Baptizare infantem, vel adultum morti vicinum, niſi detur quantitas pecuniæ: eſtnè licitum ei præbere illam?

Reſp. Affirmat Leſſius *lib.2.cap.35. dub.7. num.13.* cujus ſententiam ſequitur Dian. *par.5. tract.3. reſol.29.* & inter alias rationes, dicunt, quòd illa pecunia non datur, ut pretium Sacramenti, ſed ut medium neceſſarium ad alliciendum Sacerdotis illius animum; & Sacramentum obtinendum: quod eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Verùm, hæc ratio nullam habet probabilitatem: quià dare temporale pro ſpirituali, etiamſi temporale non detur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale: eſt ſimonia, nec aliter dici poteſt, cum ſit reprobatum in Decreto Innoc.XI. Anno 1679. & eſt 45. propoſitio ab eodem Pontifice reprobata. Dicendum eſt igitur: nullatenus licitũ eſſe, prębere pecuniam in dicto caſu, quia eſſet emere Sacramentum; quod eſt intrinſecè malum, ſicut & vendere illud; & conſequenter, nullo caſu erit licitum: licebit tamen emere aquam puram ad baptizandum; quia non eſt emptio rei Sacræ: Unde, ſi Sacerdos nolit baptizare, niſi accepta pecunia in pretium: tunc infans debet baptizari à laico: quòd ſi adultus eſt, petet ab alio Baptiſmum, etiam infideli, & non ab ipſo Sacerdote avaro, ac ſimoniaco. Sed dato, quòd non ſit alius præter illum nequam Sacerdotem, & periculum mortis inſtet: tunc potius debet mori cum baptiſmo in voto, unâ cum actu contritionis; quod eſt baptiſmus flaminis, cum quo poteſt ſalvari, quam pecuniam præbere; Hæc eſt D.Th. ſententia, quam tenet Alexander de Ales, Riccard. Palud. & alii apud Dian. *loc. cit.* quibus addo Sylv. *verb. Baptiſmus 3. num.8.* & Tolet. *lib.2. cap.20. ſub n.2.* Vide eumdẽ D.Th. *in 4. diſt.6. qu.2. art.2. & diſt.25. qu.3. ar.3. ac diſt. 22. qu.100. ar.2. ad 1.* ibiq; Cajet. qui addit, & benè, quòd poſſit dari pecunia pro redimenda vexatione, reſpectu infantis in articulo mortis, ſed non reſpectu adulti, quia infans patitur injuſtum, ſi non baptizetur; perdit enim aditum æternæ vitæ, ſibi debitum ab ipſo per actum Baptiſmi; adultus autem non perdit illum; quia patet ei aditus per Baptiſmum flaminis. Vide igitur Cajet. nam optimè concludit. Sed hoc intelligendum eſt, quando nullus adſit, qui ſciat formam Baptiſmi, præter ipſum Sacerdotem ſimoniacum. Vide Armillam *verb. Simonia num.29.*

1851 Inter. 11. Eſtnè licitum Baptizare Infantes filios infidelium, invitis parentibus?

Reſp. Hæc quidem eſt quæſtio gravis inter Theologos: quidam enim dicunt, quòd ſi filii ſint infidelium, qui ſui juris ſunt, & non ſervi Chriſtianorum, non debent, invitis parentibus, baptizari; quia jure naturæ ſunt ipſorum parentum: tamen, ſi baptizentur invitis parentibus, teneat Baptiſmus: ſed non debent ab illorum cura ſubtrahi, donèc illuceſcat uſus rationis. Ita Tolet. *lib.2. cap.21. ſub nu.2.* Sed hoc mihi non placet: quia, ait Bonac. *de Sac. diſp.2. qu.2. pun.6. num.12. verſ. reſpondeo ſexto*, ſi ſubtrahuntur, injuſtè privantur parentes jure, quod habent in filios: ſi verò non ſubtrahuntur; imminet periculum perverſionis, dum pueri baptizati averterentur à fide, ſuaſione parentum: Imò, cum non poſſint educari in Chriſtiana Religione: ſequitur, fieri injuriam Chriſtianæ Religioni, & Sacramento Baptiſmi: unde in hoc caſu, nullo modo eſt conferendus Baptiſmus dictis infantibus. Alii verò putant, quòd filii infidelium, qui jure belli, ſunt ſervi Chriſtianorum, ac ipſorum mancipia: poſſint, ac debeant, de conſenſu dominorum, baptizari, etiam invitis parentibus; dummodò fuerint prius à parentibus ſubtracti, & ſeparati. Ita Suarez *in 3. par. to.3. diſp.25. ſectione 4.* Bonacina *loc. ci-*

tato,Nugus *tom.*1. *in 3. par. quæſt.69. ar.*20.*diffic.*2. *concluſione* 3. & alii plures. Tandem Vaſquez & Turrian.quos citat, & ſequitur Dian.*par.*2.*tract.*15. *reſ.*45. tenent: quòd filii infidelium ſervorum Chriſtianorum, non ſolùm poſſint baptizari, poſtquam fuerint ſeparati ab ipſorum parentibus, ſi diligentia adhibeatur, ne à dictis parentibus aliquo modo poſſint conveniri, & ſubverti: ſed etiam, antequam ſeparentur, aut vendantur à Dominis; quamvis ſint ſub cura parentum. Immò dicunt:Dominos,præcepto charitatis teneri,tales infantes ſub cura parentum exiſtentes, baptizare. Vide Dian. *par.*3. *tract.*4. *reſ.*1. Verum,in hac opinionum diverſitate, malo tenere cum D.Th.*in 3.par.quæſt.*68. *ar.*10. & 2.2. *quæſt.*10. *ar.*12. ſcilicet:nullo modo licere baptizare Infantes filios infidelium, nunquam baptizatorum, invitis parentibus, etiamſi parentes non ſolum ſint tributarii, & vaſſalli Principum Chriſtianorum; ſed etiam ſint ipſorum ſervi, aut mancipia; quia hoc naturali juſtitiæ repugnat; cum parentes,jure naturali, habeant cuſtodiam, & curam ſuorum filiorum,antequam ad uſum rationis perveniant, nec ullâ humana authoritate hoc jure licitè privari poſſunt, ut benè docent Cajet.Sotus, Capreolus, Paludanus, & Victoria, apud Dian. *ubi ſup.* Vide Sylv. *verb. Baptiſmus* 4. *num.*5. & 6. Chaves *in Sum.* Victoriæ *de Baptiſmo num.*23. Em.Sà *verb.Baptiſmus, nu.*11. & alii apud Dian. *loc.mox cit.* Verum eſt tamen,filios infidelium poſſe,invitis parentibus,baptizari, quoties exiſtunt in evidenti periculo mortis: quia ſubveniendum eſt proximo extremè indigenti; ceſſat enim tunc periculum perverſionis; & parentes cenſentur irrationabiliter inviti. Sic,pluribus citatis,docet Bonac.*loc. ſup. cit. verſ. Reſpondeo tertio*, & Dian. *par.*5. *tract.* 3. *reſ.* 10. quod mihi valdè probatur.

1852 Inter. 12. Infans expoſitus ad Eccleſiæ, vel alicujus domus valuas, ſcriptum habens collo appenſum, teſtificans baptizatum eſſe: eſtnè adhùc ſub conditione rebaptizandus, vel non?

Reſp. Pro utraque parte adſunt validæ rationes, Doctorumque authoritates, non eſt igitur mihi facilè ſuper tali dubio certum dare reſponſum. Pro affirmativa ſententia ſunt Quintanadvenas, Antoninus Frances, Marchantius, Joannes Henriq. Leander, Turreblâca,& alii,quos côgerit,& ſequitur Dian. *part.*10. *tract.*16. *reſ.*87. Negativam autem ſuſtinent Caſtropal. *tom.*4.*tract.*19. *punct.*13. *num.*6. Dicaſtillus *deSac.tract.*2.*diſp.*1.*dub.*7.*n.*176. Lugo *de Sac. lib.*2.*cap.*4.*qu.*8.*num.*19. & alii apud eumdem Dian.*loc.cit.* quibus addo Sylv. *verb. Baptiſmus* 4. *ſub num.*7.Tolet. *lib.*2.*cap.*21.*num.*2. Nam iſti dicunt:quando non apparet aliqua ſcriptura de Baptiſmo, tunc baptizandus eſt ſub conditione; ſed quoties in charta ſecum habet teſtimonium Baptiſmi: nec ſub conditione ſit baptizandus; quia intelligitur parentes eſſe Chriſtianos, & voluiſſe cavere iterationem Baptiſmi. Ceterùm, ut verùm fatear, mihi magis placet affirmativa ſententia. Ducor,quia neſcitur à quo fuit expoſitus infans, & Baptizatus; & conſequenter rationabiliter poteſt timeri, an ſit expoſitus à Chriſtianis,vel Judæis,qui ChriſtianorumBaptiſmum execrantur;vel ſaltem,an ſit benè baptizatus, ſcilicet, an concurrerint ea omnia, quæ ſunt de ſubſtantia Sacramenti: Ergò, cum in dicto caſu nulla ſit certitudo, ſed potius verè dubium, non ſit injuria Sacramento, ſi ſub conditione baptizetur: nam quando revera verſamur in dubio, determinat Eccleſia *cap.*2. *de Baptiſmo*, quod baptizetur ſub conditione. Alias rationes libens prætereo; ut conſuetam brevitatem teneam. Vide Bonac. *de Sac. diſp.*1. *quæſt.*2. *punct.*1. *num.*36.& 42. & præſertim Dianam *par.*9. *tract.*6. *reſ.*35. ac P.Remigium à S.Cath. Se-

nenſi

nenſi *in ſuo Extracto morali tract.3.de Baptiſmo num.43.*

1853 Inter. 13. Poſtnè iterari Baptiſmus? & ſi quis rebaptizat aliquem ſcienter,ſub conditione, fit ne irregularis?

Reſp. Nullo modo poteſt iterari Baptiſmus, ut docet D. Th. 3. *par. qu.66.part.9.* & alii communitèr. Imò ſic determinat Eccleſia *in c. rebaptizare, de Conſacrat. diſtinct.*4. & ſunt verba D.P.Auguſtini ad Maximum, ubi ſic inquit. *Rebaptizare Hæreticum hominem,omninò peccatum eſt: rebaptizare autem Chatholicum immaniſſimum ſcelus eſt.* Præterea,ex culpabili iteratione Baptiſmi, incurritur irregularitas, tàm à Rebaptizato, quàm à Rebaptizante, ut patet *in cap. ex litterarum, de Apoſtatis*, & aliis juribus, & Doctoribus cumulatis à Bonac.*de Cenſur.diſp.7.q.3.punct.3.num.*1.Vide Sylveſt. *ver.Baptiſmus* 5. *ſub nu.*3. Navar. *in man. cap.*27. *num.*246. Qui autem rebaptizat ſcienter ſub conditione,non fit irregularis; quia irregularitas incurritur ſolum propter rebaptizationem, ut habent Jura;ſed qui ſub conditione baptizat, non dicitur rebaptizare:ergo irregularitatem non incurrit. Ità perdoctè tradunt Tolet.*lib.1.cap.70.nu.*4. Avila *de Cenſur.par.7.diſ.7.dub.3.*Suarez *in 3.par.tom.3.diſp.31.ſect.6. num.*5. Bonac.*loc.cit.nu.*5. &,pluribus relatis, firmat Diana *par.3.tract.4.reſ.9.*

1854 Inter. 14. Alicujus ætas, Baptiſmus, & origo, quomodo probantur?

Reſp. Probantur ex partita extracta per Parochum à libro Baptiſmi: nam Parochus tenetur habere librum, in quo deſcribere debet omnes, qui in Eccleſia ſua baptizantur,cum nominibus Parentum, ſi dè legitimo matrimonio nati ſint; & Patrinorum, qui eos de Baptiſmo ſuſceperunt; ac die, menſe, & anno: & ex hac partita, ut dixi, probatur ætas, Baptiſmus, ac etiam origo: ceſſante tamen fraude, alicujus perſonæ. Ità docent plurimi, quos refert, & ſequitur Barboſa *de Officio Parochi cap.7.num.2.* & 4. & *in Collect.inTriden.ſeſſ.24.de Reform.Matrimonii cap.2.num.28.29.* & 30.

Quær. An, petente Avo Chriſtiano, licitè baptizari poſſit filius infans Judæorum,invitis parentibus?

Reſp. Hic caſus in praxi facilè contingere poteſt: & ad illum affirmativè reſpondet noviſſimè Illuſtriſſimus Dandinus *de Suſpect. de Hæreſi prælim.8.ſub num.*5. & prò se alios ità aſſerentes referr; & pluries judicatum fuiſſe Romæ,teſtatur. Unde,ſecundum hanc ſententiam, quam probabiliſſimam puto, licitè baptizari poteſt infans,petente Avo Chriſtiano, etiam invitis parentibus. Sic docent Gratianus *in ſuis diſcept.cap.*977. & alii duo Authores, quos citat idem Dandinus. Immò docet: quòd etiam reluctante Avo paterno, Nepotes, ad inſtantiam Avi materni,baptizari poſſint: eadem ratione, quòd ſicut Mater poteſt baptizare communes filios, reclamante Patre: ità & Avus Maternus baptizare poteſt communes Nepotes invitoAvo paterno. Et ratio eſſe poteſt: quià in parentum diſſidio,eligenda eſt ſententia, quæ filiis eſt magis favorabilis, & utilis. Verum eſt tamèn: quòd talis filius ſic baptizatus, nunquàm reſtituendus eſt ejus parentibus, aut conſanguineis Judæis, ob periculum perverſionis cum injuria Sacramenti; ut dixiſſe memini in hoc Titulo ad Inter. 11. ſed debet inſtrui in fide Catholica, & imbui bonis moribus chriſtianis. Ad hanc igitur ſententiam amplectendam, præter authoritatem Doctorum, hac præterea ratione ducor: quià baptizando infantem,petente Avo, ſive paterno, ſive materno; nulla fit injuria parentibus; cum etiàm Avus, jure naturæ, ob pietatem conſanguineis debitam, teneatur in defectu Parentum alimenta Nepotibus præbere, ſi poteſt: nàm inſuper, appellatione Parentum, veniunt etiàm aſcendentes, ut Avus, ac

Proa-

Proavus, & deindè omnes Superiores, ut docet Sylveſter, *verb. Alimenta, ſub num. 2. & verb. Parentes*. Idem aſſerit. Em. Sà *verb. Alimenta n. 5. qui n. 6.* ait, teneri quoque Avum maternum, Nepotem egentem alere, ſi hunc paterna linea alere non poſſit, aut nolit. Idem docet Armilla *verb. Alimenta nu. 3.* & alii: ergò multò magis, & à fortiori tenetur conſulere ejus ſpirituali ſaluti; præſertim, cùm irrationabiliter cenſeanrur inviti parentes, qui aut nolunt ſequi exemplum Genitoris, aut ſaltèm aſſentire, ut eorum filii, nondùm uſum rationis habenres, tàm magno ſpirituali bono, ac demùm æterna ſalute fruantur: Tùm etiàm; quià licitè præſumitur, quod ſi infans foret ſui compos, & ſciret Avum eſſe Chriſtianum, deberet ità velle, ac proindè nullà quidèm irrogarur injuria parentibus, ſi eorum liberi, petente Avo Chriſtiano, baptizentur; & Eccleſia rectè movetur ad baptizandum tales infantes, ad petirionem Avi Chriſtiani; quià reverà jus habet Avus in nepotes, & ad Sacramenta petenda, tàm pro ſe, quàm prò iiſdem nepotibus, præſertim ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem; ut eſt Baptiſmus, qui eſt janua omnium Sacramentorum, ſinè quò nullus unquàm ſalvari poteſt; dicenre Chriſto Domino in Evãg. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum*. Verùm, licèt hæc ſenrentia, ut dixi, mihi videatur probabiliſſima, & ſatis pia: tamèn Doctioribus diſputandam, & Sacræ Congregationi decidendam relinquo. Ceterùm, puerum non compotem rationis, baptizare licet, ſi alter Parentum Chriſtianus conſentiar. *cap. ex literis, de infidelium conver.* Vide Em. Sà *verb. Baptiſmus nu. 11. & ibi Victorellum*.

TITULUS CXCIII.

De Sacramento Confirmationis.

Vide tit. de Abbatib. Int. 3. tit. de Diacon. Int. 1. tit. de Epiſcopat. &c. Int. 64. 65. tit. de Patrin. Int. 4. 5. 6. 7. tit. de Peccat. Int. 24. tit. de Præcep. Int. 1. tit. de Puer. Int. 9. tit. de Regul. &c. Int. 70. tit. de Sacram. Int. 9.

1855 INter. 1. Quiſnam poteſt Sacramentum Confirmationis conferre?

Reſp. Confirmationis Sacramentum non poteſt conferri, niſi ab Epiſcopo: nam ipſe ſolus eſt Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti; ac proindè ſi quis dixerit: Sanctæ Confirmationis Ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdorem: anathematizatur à Conc. Trid. *ſeſſ. 7. de Confirm. can. 7.* Vide prædictũ Triden. *ſeſſ. 23. cap. 4.* & *de Sac. Ordinis can. 7.*

1856 Inter. 2. Poteſtnè hoc Sacramentum adminiſtrari à ſimplici Sacerdote, de Epiſcopi licentia? & an Papa poſſit hanc licentiam concedere?

Reſp. Nequaquàm: quià Epiſcopus non poreſt hanc licentiam concedere, ſed ſolus Papa; nam ſimplex Sacerdos, ex delegarione Papæ dumtaxàt, poteſt hoc Sactamentum adminiſtrare. Ità S. Thomas *3. par. quæſt. 72. art. 11.* Bonac. *de Sac. diſp. 3. qu. unica punct. 2. num. 3. verſ. dixi* Barb. *de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 30. nu. 4.* & alii plures. Vide Emm. Sà *verb. Confirmatio ſub num. 17. in addit.* & Bonac. *num. 5. & 8. loco cit.*

1857 Inter. 3. Confirmationis Sacramentum, in alrerius Diœceſi, poteſtnè Epiſcopus ſuis ſubditis conferre?

Reſp. Non poteſt ſine licentia Epiſcopi, in cujus Diœceſi reperitur. Ità teſtatur deciſum Armendarix, quem refert Barb. *de Poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 30. num. 15.* Vide Emm. Sà *verb.*

Coufir:

Digitized by Google

*Confirmatio nu.*3. Bonac. *de Sac.diſp.*3. *quæſt. unica punct.*2. *num.*11. & alios apud ipſos.

1858 Inter. 4. Poteſtnè Epiſcopus in ſua Diœceſi licitè confirmare ſubditos alterius Epiſcopi?

Reſp. Negativè reſpondet Bonacina *de Sac.diſp.*3.*qu.unica punct.*2.*nu.*10. cum Ledeſma, Vivaldo, Bartholomæo ab Angelo, & aliis. Et horum ratio eſt: quià non licet mittere falcem in meſſem alienam, maximè quando non conſtat de voluntate proprii Epiſcopi. His tamèn non obſtantibus, puto: & validè, & licitè poſſe Epiſcopum in ſua Diœceſi confirmare ſubditos alterius Epiſcopi: & prætèr Henriquez, & Sà, quos adducit ibidem ipſe Bonac. pro ſententia oppoſita; eſt etiam Diana *par.*2. *tract.*17. *reſ.*17.*& par.*3. *tract.*4. *reſ.*24. *verſ. Adde etiam*; ubi citat Genuenſem, & Barboſam *de Poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.*30. *num.*12. Et tandem idem Diana *par.*10.*tract.*11.*reſ.*14.*verſ. Adde*, ſic docet cum Leandro: Epiſcopum confirmantem alienum ſubditum in ſua Diœceſi, non peccare; & conſequentèr non incurrere in cenſuram aliquam, quià credendum eſt, hoc eſſe ratum, & gratum proprio Epiſcopo, quod ſufficit in præſenti. Nam: cum juriſdictio non ſit de neceſſitate hujus Sacramenti, faciliùs præſumi poteſt ratihabitio, quà in Sacram. pœnitentiæ, ubi requiritur juriſdictio de præſenti. Vide quæ dixi *tit.* 83. *De Epiſcopatu, & Epiſcopis, ad Inter.*64. Alios Auctores pro ac noſtra ſententia refert Diana *par.*4. *tract.*4.*reſ.*50.

1859 Inter. 5. Epiſcopatus vicinior poteſtnè conferre Sacramentum Confirmationis in Abbatia nullius Diœceſis?

Reſp. Minimè: neque ibi exercere Pontificalia, abſque Abbatis expreſſa licentia; nam eſt in facultate ipſius Abbatis convocare, quem maluerit Epiſcopum Catholicum, ſalvo tamèn majori jure Epiſcopi vicinioris, ſi aliundè id ſibi competat. Ità refert deciſum Aldanus apud Barboſam *in Collect. DD. ad Triden. ſeſſ.*6. *de Reform. cap.*5.*num.*16.

1860 Inter. 6. Quænam eſt materia proxima, & remota Sac. Confirmationis?

Reſp. Ex Conciliis habetur: materiam remotam Sacramenti Confirmationis, eſſe Chriſma, quod conficitur ex oleo olivarum, admixto balſamo, cujuſcunque loci ſit; benedicto ab Epiſcopo conſecrato. Toletus *lib.*2. *cap.*24.*num.*2. Navar. *cap.*22. *nu.*8. Sylveſter *verb. Confirmatio nu.*2. S. Antoninus 3.*par.tit.*14. *num.*2. & multi alii cumulati à Bonac. *de Sac.diſp.*3.*quæſt. unica, punct.*3.*nu.*1. Dixi: *Benedicto ab Epiſcopo conſecrato*; ut innuerem id, quod in ſequenti *Reſp.* firmabo, nempè, prohibitum eſſe Jure Divino ſimplici Sacerdoti benedicere Chriſma; ut intèr alios multos Theologos, tenet Angelicus Doctor 3.*par.quæſt.*72. *a.*4. Præterea Epiſcopus debet eſſe conſecratus quià donec conſecretur, caret charactere: Epiſcopatus. Materia autem proxima Confirmationis, eſt unctio facta in fronte Baptizati in formam Crucis. Ità S. Thomas *loco cit.ar.*9. & alii communitèr, teſte Bonacina *ubi ſuprà num.*5.

1861 Inter. 7. Poteſt nè quis Chriſma conſecrare, prætèr Epiſcopum?

Reſp. Nullus, præter Epiſcopum, poteſt Chriſma conſecrare: nam divina auctoritate prohibitum eſt Sacerdotibus conſecrare Chriſma; ut habetur ex Concil. Toletano VIII. *cap.* 7. teſte Bonac. loco proximè cit., *pun.*2. *num.*4. & ità tenent plurimi apud ipſum. Alii verò dicunt: poſſe Papam Sacerdoti ſimplici concedere, ut Chriſma poſſit conſecrare; quorum opinionem probabilem vocat idem Bonac. Vide Em. Sà *verb. Confirmatio, ſub nu.*17. Tamèn primam ſententiam puto tenendam omninò eſſe, ſcilicet, quod ſit de neceſſitate Sacramenti, ut Chriſma, ſit per Epiſcopum conſe-

cra-

cratum. Ità DD. apud Dianam *par.3. tract.4.reſ.23.verſ.Notandum hic*.

1862 Inter. 8. Balſamum,in Confirmatione,requiriturnè de neceſſitate Sacramenti; an ſolum de neceſſitate præcepti?

Reſp. Eſt quæſtio valdè gravis inter Theologos:nam quod ſit de neceſſitate præcepti, nullus ambigit; an verò ſit de neceſſitate Sacramenti,in hoc non conveniunt DD.quidam enim affirmant; alii verò negant; & videre licet apud Em. Sà *verb. Confirmatio nu 7*.Bonac.*De Sac.diſp.3.quæſt.unica, punct.3.nu.2*.& Dianam *par.3. tract.4. reſ.23*.Ego tamẽ ſentio cũ illis,qui dicunt, Balſamum eſſe de neceſſitate Sacramenti; quià Chriſma ex oleo, & Balſamo compoſitum, eſt materia Confirmationis, ut vidimus *in Reſp.ad Inter.6*. Et licèt opinio oppoſita ſit probabilis: tamèn hæc noſtra eſt ſecurior, cum verſetur circà valorem Sacramentorum: erit igitùr grave peccatum miniſtrare Sacramentum Confirmationis ſine balſamo, niſi fortè adſit caſus neceſſitatis; & balſamum non inveniatur; ut benè dicit Cardenas *in Chriſt diſſert.2.cap.5. num.45*. Vide præcitatos DD. & Sylveſtrum *verb. Confirmatio num.2*. Notandum eſt igitur: quòd ſi Sacramentum Confirmationis fuerit collatum tantum cum oleo ſine balſamo: eſſet quidem reiterandum;non tamèn abſolutè, ſed ſub conditione, ut rectè obſervat Leander *de Sac.tom.1.tract.3.diſp.3. qu.3*. ſtante probabilitate opinionis aliquorum DD.aſſerentium,balſamum non eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti. Ità Diana *par.10.tract.11. reſ.13. verſ. Notandum eſt hic*; & *par.3. tract.4. reſ.23.verſ.Sed quia*.

1863 Inter. 9. Peccatnè moralitèr Epiſcopus,ſi in Confirmatione ungeret alio digito, quam dextero pollice?

Reſp. Non audet peccati mortalis condemnare Epiſcopum, qui indice unxerit aliquem in infirmitate, Diana *par.3.tr.4.reſ.22*. Tamèn,quià variatio in caſu noſtro, an ſit materia gravis, vel levis,non eſt ità certum: ideò mihi videtur dicendum,peccare mortalitèr Epiſcopum,ſi alio digito,quam dextero pollice,aliquem confirmaret, Chriſmate ungendo. Et ratio eſt: quià ſe exponit periculo peccandi mortalitèr, cum agat contrà Pontificale Romanum; quale videtur ſub præcepto obligare. Ità Zambanus, Layman, & Suarez,quid quid in Contrarium dicat Nugnus apud Dianam *loco cit*. Vide Bonac.*de Sac.diſp.3.quæſt.unica, pun.3. ſub num.4*. ubi plures Concordantes refert. Et Emm. Sà *verb. Confirmatio ſub num.9*.

1864 Inter. 10. Epiſcopus adminiſtrans publicè inEccleſia Sacrã Cõfirmationem,ſine Pluviali, Mitra, & Baculo Paſtorali: peccatnè mortalitèr, an venialitèr tantum?

Reſp. Diana *par. 7. tr. 10. reſ.31. verſ.Vnde etiam;* abſolutè docet: quod Epiſcopus, in dicto caſu, mortalitèr peccet; quià Epiſcopus in adminiſtratione præfati Sacramenti, neceſſario debet eſſe indutus veſtibus Sacris, nempe Stola, Pluviali, Mitra, & Baculo Paſtorali, quæ ſunt ornamenta Pontificalia; & pertinent non ſolum ad ornatum, decentiam, & reverentiam dicti Sacramenti: ſed ità præſcribitur in Pontificali Romano; & conſuetudo inveterata Eccleſiæ obſervat: ergò alitèr faciendo Epiſcopus, peccat mortaliter, tranſgrediens ritum præſcriptum, & conſuetudinem Eccleſiæ in re gravi, ut eſt reverentia debita Sacramento. Vide igitur Dianam,qui fortioribus terminis id probat, & egregiè ad argumenta contraria reſpondet. Ego enim brevitatem amplector.

1865 Inter. 11. In quo loco debet Sacramentum Confirmationis adminiſtrari? &, poteſt nè conferri poſt prandium?

Reſp. Debet dari, & accipi in Eccleſia, & antè prandium: quià à jejunis

nis dari,& ſuſcipi ob reverētiam, videtur congruentiùs: tamèn, ex aliqua juſta cauſa, poſſe etiam poſt prandium, & in omni honeſto loco, etiam extrà Eccleſiam conferri, & accipi hoc Sacramentum, docent Sylveſter *verb. Confirmatio ſub num.*4. Em. Sà *eodem verb. num.*1. & Diana *par.*4. *tract.*4. *reſ.*50. *verſ. Notandum eſt*. Licèt Chriſma ſolùm in Eccleſia confici debeat. Nota tamèn hic: quod notabilis, Epiſcopi negligentia in confirmando, eſt peccatum mortale. Ità Sà *loco cit. num.*12.

1866 Inter. 12. Poteſtne iterum confirmari, qui hoc Sacramentum aliàs ſuſcepiſſe dubitat?

Reſp. Iterum confirmari poteſt: ſub conditione tamèn. *Si non es confirmatus*; etiam ſi mente retineatur conditio. Ità, ex Suarez, docet. Em. Sà *verb. Confirmatio num.*4. & concordat etiam Bonac. *de Sac. diſp.*3. *quæſt. unica punct.*4. *num.*10. & eſt communis ſententia.

TITULUS CXCIV.

De Sacramento Euchariſtia.

*Vide tit. de Confeſſ. Sacram. Int.*40. *tit. de Contrit. Int.*4. *tit. de Eccl. Immun. Int.*42. *tit. de Hæreſ. &c. Int.*6. *tit. de Jejun. Int.*1. *tit. de Infirm. Int. ult. tit. de Laic. Int.*4.5.6. *tit. de Mem. Pec. Int. ult. tit. de Monial. Int. ult. tit. de Moribun. &c. Int.*9. *tit. de Paroch. Int.*22.23.38.39. *tit. de Pixid. &c. Int. ult. & ad quæſ. tit. de Præc. an. com. tit. de Regul. &c. Int.*5.81. 86.91.92. *tit. de Sacram Inter.*7.8.9.12. 85. *tit. de Satisf. pæn. Inter.*10. *tit. de Simul. Int.*4. *tit. de Tabac. Int.*1. *tit. de Va. conjug. Int.*4.

1867 INter. 1. Quis intelligitur per publicum peccatorem, cui eſt deneganda Euchariſtia?

Reſp. Ut plurimum intelligitur Concubinarius, Uſurarius, Meretrix, & ſimiles: quorum crimen, vel eſt publica fama proditum, vel in Judicio convictum, vel viciniæ, aut Collegio cognitum, ut tradunt plurimi Doctores congeſti per Victorell. *in Addit. ad* Em. Sà *verb. Manifeſtum, ſub nu.*4. His ergò dari non debet Euchariſtia, quia eſſet mittere margaritas ante porcos, & Sanctum dare canibus. Hujuſmodi enim publici peccatores, ad petendum Sacramentum, jus non habent, cum ſit eis prohibitum per Apoſt. Paulum 1. *ad Cor. cap.*11. ubi inquit: *Probet autem ſe ipſum homo. & ſic de Pane illo edat.* Conſequenter, qui eis negat Euchariſtiam, non facit illis injuriam. Vide S. Thom. 3. *par. quæſt.*80. *art.*6. *& in* 4. *ſenten. diſt.*9. *quæſt.*1. Bonac. *tom.*1. *de Sacr. diſp.*1. *quæſt.*6. *punct.*4. *num.*2. *&* Tolet. *lib.*6. *cap.*17. *ſub num.*2.

1868 Inter. 2. Euchariſtia eſtne danda peccatori, ſi dubitatur, an ſit publicus, vel occultus? Et quid quando eſt ſuſpectus de aliquo gravi crimine?

Reſp. Ex Ochagavia, & Ledeſma; ad primum dubium affirmativè reſpondet Diana *par.*4. *tract.* 3. *reſ.*54 quia in pari cauſa, & delicto, melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem; ſed iſte homo poſſidet ſuam libertatem; accedendi ad Sacramentum; ergo non eſt ei denegandum, aliàs fieret ei injuria, cum exponeretur periculo perdendi famam. Secus dicendum eſſet, quando eſſet ſuſpectus de aliquo gravi crimine, & ſuſpicio ſit gravis, ità, ut moralem quamdam certitudinem inducat, ut pluribus relatis; notat Bonac. *ubi ſupra. num.*3.

1869 Inter. 3. Si aliquis eſt publicus peccator in uno loco, & accedit ad alium locum, ubi reputatur bonus, & petit Euchariſtiam: eſtne ei deneganda? Et quid, ſi peccator occultus publicè; aut occultè illam petat?

Reſp. In primo caſu non eſt ei deneganda, dummodò fama illuc facilè pervenire non poſſit *ità DD.* ferè communiter: quia ſi non daretur eſſet illum graviter offendere. Oppoſitum tamen

docet Bonac. *loc. ſupra cit. n.* 12. Si autem Coofeſſarius, & aliqui ſciunt eſſe publicum peccatorem, & ipſe publicè petat Euchariſtiam, danda eſt illi, quòd etiam fecit Chriſtus cum Iuda; aliàs eſſet illum infamare; nam cenſetur occultus peccator ibi, licèt notus ſit tribus, quatuor, vel quinque: dummodo interſint aliqui, qui ignorent illum eſſe talem. Verùm Parochus, vel Confeſſarius, ſi poteſt, debet illum admonere ſecretò, ut dicitur *in cap. 2. de Offic. Ordin.* Ceterùm, ſi peccator occultus, publicè petat, ſivè Confeſſarius ſciat ejus peccatum in Confeſſione, ſivè extra Confeſſionem: non debet ei denegare Euchariſtiam, quia nullo modo nocet, niſi accipienti. Ità tenet S. Thom. *in 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 5. quæſtiuncul. 2.* teſte Chaves *in Sum. Sacra. de Euch. concl.* 80. Sylveſ. *verb. Euchariſt. 3. num. 7.* Bonac. *ubi ſupra num.* 4. & alii penès ipſos. Secùs verò dicendum, ſi occultè petat: modò tamen non ſit peccator ſolùm in Confeſſione cognitus; licèt in tali caſu poteſt Confeſſarius extra Confeſſionem illum admonere, ut abſtineat in Sacramento: habita tamen prius ab eo licentia loquèdi de rebus in ipſius Confeſſione auditis, ne frangat ſigillum Confeſſionis, ut rectè obſervat Bonac. *loc. cit. ſub n. 4.* Vide Tolet. *lib. 6. cap. 17. verſ. 6.* & Em. Sà *verb. Communio.*

1870 Inter. 4. Quomodo ſe gerere debet Parochus, vel alius Sacerdos cum eo, ex cujus confeſſione ſcit ipſum eſſe Turcam, & quòd nullo modo vult baptizari, & tamen Euchariſtiam publicè petit, ad hoc, ut ipſe ait, non perdat bonam opinionem, quam apud Chriſtianos, inter quos degit, habet, dum in vicinia reputatur Chriſtianus?

Reſp. Sacerdos nullatenus debet ei Euchariſt iam præbere. Primo quia cum non ſit baptizatus, eſt incapax Sacramentorum Eccleſiæ. Secundo: quia Sancta Canibus dari non debent, nec Margaritæ ponendæ ſunt antè porcos; undè Sacerdos priùs debet ipſum monere, nè accedat ad menſam Altaris: quia nullo modo vult ei porrigere Sacram Euchariſtiam, quod ſi ipſe acceſſerit, dicat ei ad aures. Si non recedes, Ego publicabo, te eſſe Turcam, & poſtea dicat circumſtantibus (ſi poteſt oriri aliquod ſcandalum): ipſe ſcit, quare non poteſt Euchariſtiam recipere. Neque timendum eſt de detractione, quia non eſt illicita, ſi ſuppetat juſta cauſa. Inter iſtas verò cauſas recenſentur hæc tria. Primum, eſt bonum Communitatis. S. Thomas 2. 2. *q. 73. art. 2. ad* 1. Secundum, Damnum imminens Innocenti. Navar. *cap. 19. n. 31.* Tertium, correctio proximi infamandi S. Thomas *ubi ſupra*. Quæ omnia militant in caſu noſtro, nempè bonum communitatis Fidelium. Irreverentia Chriſto innocenti imminens. Ipſius famæ operiendæ intentio. Quare, ad vitandum ſcandalum, quod utique eſſet damnum innocentium adſtantiū, deberet Sacerdos revelare cauſam, cur denegat Sacramentum Turcæ, ſi aliter vitari nequeat, ut ſupponitur. Et ſi opus fuerit, poteſt addere. Iſte nullo modo eſt confeſſus, quod quidē poteſt Sacerdos cum omni veritate aſſerere. Tùm quia eſt omninò incapax confeſſionis Sacramentalis. Tùm quia, etiam ſi eſſet capax Sacramenti, ejus confeſſio fuit omninò ſimulata, dum dixit, ſe velle mori in lege Turcica, & nequaquam baptizari, ſed ſolum petere Cōmunionem, ad tegendam propriam infidelitatem. Quod tandem ſi ille pertinaciter inſtet pro Communione, tunc Sacerdos poteſt ſine ullo ſcrupulo dicere, illum eſſe Turcam, & is ſibi ſoli imputet, ſi ejus fama lædatur. Nec obſtat doctrina S. Thom. 3. *par. qu.* 80. *ar.* 6. quem ſequuntur omnes docentes, peccatori occulto publicè petenti, non eſſe denegandam Communionem. Nā S. Doctor loquitur expreſſe de peccatoribus baptizatis, qui habent jus ex vi Baptiſmi ad Sacramenta. Quare, ſi pertinaciter petit id, ad quod jus non

habet,

habet, eum injuria Salvatoris, potius eſt tuendus divinus honor, quàm ejus fama. Ceterum, ejus Confeſſio non fuit Sacramentalis, quia ipſam non fecit pro obtineˉda abſolutione, nec cauſa ſalutis, & ſic, quia ipſe Turca acceſſit ſimulata confeſſione, ideò licitè prodi poteſt, nam ſigilli Confeſſionis obligatio non eſt, ubi non eſt Confeſſio Sacramentalis. Em. Sà *in Aphoriſ. verb. Confeſſor. n.* 17. & alii plures apud ipſum. Et tandem Euchariſtia denegāda eſt ei, quem Sacerdos, extrà confeſſionem, occultè novit eam ſuperſtitionis, vel conculcandi cauſa, petere, etiā ſi publice petat, ac proinde petentis infamia, ſive Populi ſcandalum ſecuturum ſit. Bonac. *de Sac. diſp.* 1. *quæſt.* 6. *punct.* 4. *num.* 6. cui ſubſcribit Nicolius *in Floſ. verb. Euchariſt. n.* 4. Ergo à fortiori idem dicendum eſt in caſu noſtro; nam cum Sacerdos, extrà Confeſſionē Sacramentalem, quamvis occulte, ſciat illum eſſe Turcam, & per conſequens incapacem Sacramentorum Eccleſiæ; rationabiliter quoque dubitare poteſt, quod Communionem petat, non ut ipſe ait, ne perdat bonam opinionem apud Chriſtianos, ſed quidem pro utēda ea ad aliquod maleficiū, & ſuperſtitionem, vel ſaltem pro ea conculcanda, & ita meritò cenſeri debet, quia, ut inquit S. P. Auguſtinus, ubi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe Juſtitia: Unde, ſi Sacerdos dicat illum eſſe Turcam, non facit ei injuriam, & ut, dictum eſt ſupra, ſibi ſoli imputare debet, ſi ejus fama lædatur. Et ità quoq; mecum cēſerunt nonnulli Sac. Theologiæ Profeſſores, de hac re à me conſulti, inter quos, duo quidem ſunt omni palmariæ eloquentiæ elogio digni, nēpe Reverendiſs. P. Iacobus Riccius Sac. Theolog. Magiſter ſpectatiſſime Religionis Dominicanæ Procurator Generalis meritiſſimus, ac hujus materiæ olim accuratus cenſor, cujus tamen meritorum præſtantiam cogor ſilere, ne ejus qua vixit, modeſtiam, atque humilitatem offendam. Alter eſt Admodum Rev. P. Simeon à Sancta Cruce, hujus noſtræ Romanæ Provinciæ Exprovincialis digniſſimus, Vir quippe ſpectatæ probitatis, & in utraque Theologia præſtantiſſimus Lector, cujus præclaras prærogativas maxime patefaciunt ejus editæ, atque edendæ Lucubrationes.

1871 Inter. 5. Urgente communicandi, vel celebrandi neceſſitate, ad vitādam infamiam, vel aliud grave incommodū, poteſtne quis ſine peccato, dum eſt excommunicatione irretitus, communicare, vel celebrare, non præmiſſa Confeſſione, poſito tamen, quod ſit excommunicatus occultus?

Reſp. Si nequeat Superiorem adire, poteſt apud inferiorem Confeſſarium Confeſſionem inſtruere, & ſi hoc nolit, poteſt etiam elicito prius actu contritionis cum propoſito confitendi, Communionem ſumere, vel Miſſam celebrare. Utrumque ſiquidem eſt probabile, ut videre licet apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 204. *&* *tract.* 5. *reſ.* 68. Si verò non poteſt elicere actum contritionis, ſed tantum eſt attritus, debet confiteri cum inferiori Sacerdote, ſicque Miſſam dicat, vel Communionem ſumat & poſtea confiteatur habenti auctoritatem, peccatum, cui eſt annexa cenſura. Vide, quæ dixi *in tit.* 34. *De Celebrat. Miſ. ad Int.* 6. *&* *quæ dicam in Reſp. ad Int. ſequentem.* Et hæc omnia pluribus relatis docet etiam Cabrin. *de Caſ. Reſ. ſo. par.* 1. *reſol.* 58. Sed vide Jacobum Mancin. *pract.* 4. *dub.* 35. qui ità rectè concludit.

1872 Inter. 6. Eſtne idem dicendum de perſona, quæ habet neceſſitatem communicandi; & non poteſt ſine gravi nota infamiæ, vel ſcandali omittere Communionem?

Reſp. Idem dicendum eſt: nam militat eadem ratio, & verum eſt quod tuendi famam ratio naturalis, & divina prævalet præcepto de non ſumenda Euchariſtia in excommunicatione.

1873 Inter. 7. Qui non habet copiam Confeſſarii, & neceſſitatem habet cō-

Hh 2 muni-

municandi, vel celebrandi, poteſtne ad vitandam infamiam, vel ſcandalum, communicare, vel celebrare ſine peccato?

Reſp. Utique poteſt, quia interveniente gravi neceſſitate, vel ad avertendam gravem infamiam, non præmiſſa confeſſione celebrare, vel communicare: non eſt peccatum: Sed prius eliciat actum contritionis; cum propoſito confitendi quamprimum, ut docent plures Doctores.

1874 Inter. 8. Sacerdos ſumens Corpus Chriſti Domini per manus alterius Miniſtri, debetne ſtolam adhibere?

Reſp. Mihi videtur reſolvendũ affirmativè: quia ita præcipitur *in cap. Eccleſiaſtica* 23. *diſt.* quamvis Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *num.* 12. Pitignanus, & Gavantus apud Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 2. dicant. Hujuſmodi decretum eſſe uſu abrogatum. Tamen Naldus *in Sum. Verb. Miſſa num.* 6. & *verb. Sacerdos nu.* 6. Homobonus *de Exam. Eccleſ. tract.* 14. *par.* 1. *cap.* 11. *qu.* 106. & alii, oppoſitum ſuſtinent, præſertim in partibus noſtræ Italiæ. Et ita ego practicari video. Ergo non eſt recedendum ab affirmativa ſententia. Vide Leza. *par.* 2. *verb. Euchariſt. ſub n.* 24. ubi ſic habet: *Euchariſtia ſumenda eſt à Sacerdote, ſive ſano, ſive infirmo ſemper habente Stolam. Ex Conc. Bracaren. Rituali Rom. Pauli V. & ex conſuetudine*: Ita ille. Idem docet Rotar. *in Appar. pro ex am. Cler. cap.* 1. *ſect.* 3. *nu.* 7.

1875 Inter. 9. Eſtnè licitum quotidie Sacram Euchariſtiam ſumere?

Reſp. Nullum extat præceptum ſumendi quotidie Sacram Synaxim, neque fuiſſe in primitiva Eccleſia probabiliter ſubſtinet Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſ.* 27. *verſ. ſed ex verbis*. Dico igitur eſſe laudabile, ut ſæpe fideles communicent, propter aumentum Gratię, quod in ipſo Sacramento datur, tamen quia ex parte recipientis requiritur ſumma reverentia, præparatio, & devotio; ideò non videtur conveniens, ut quilibet homo accedat, quotieſcumque potuerit, & præſertim quotidiè; nam laudabile eſt aliquando abſtinere; dicit enim S. P. Auguſtinus, relatus *in cap. Quotidie, communicare non laudo, nec vitupero*. Cautè igitur debent procedere Confeſſarii in concedenda Laicis Communione quotidiana, ut benè advertit Diana *loc. cit. in fine.* Vide Bonac. *de Sacr. diſp.* 4. *quæſt.* 7. *punct.* 2. *num.* 16. Ceterùm nota id, quod rectè, & doctè ſcribit idem Diana *par.* 11. *tract.* 7. *reſ.* 15. *de Communione quotid.* ubi plures refert Auctores de hac re tractantes, inter quos videndum eſt Card. de Lugo *de Sac. Euch. diſp.* 17. *per totam*; et P. Joan. Perlinus *de Frequentia, & uſu Sacr. Euch. diſt.* 5. *cap.* 2. nec non Joann. Uvigeres *in* 3. *par. quæſt.* 80. *artic.* 10. qui docent: Confeſſarios in hoc magis caute debere procedere cum fœminis, quæ facilius ſubducuntur illuſionibus dæmonum propter vanam gloriam, quæ multum prævalere ſolet apud mulieres. Unde S. Bonavent. *lib.* 2. *de Profectu Relig. cap.* 77. *ſic aſſerit. Vix aliquis, ita Religioſus eſſe videretur, exceptis Sacerdotibus, quia ſemel in ſeptimana ſufficiat eum ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa quandoque, vel ratio plus ſuadeat, Infirmitas ſuperveniens, vel ſingulariter Feſtivitas ſolemnis.* Ita etiam docet Rotarius *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 9. *ſeſſ.* 10. 277. *n.* 5. Tandem extat decretum Innoc. XI. datum Romæ 12. *Februarii* 1679. circa Communionem quotidianam omnino videndum. Item vide Doctores, quos pro hac noſtra ſententia refert Barb. *in Triden. ſeſſ.* 22. *de Sacrific. Miſſæ cap.* 6.

Quær. 1. In quo caſu Sacramentum Euchariſtiæ conferat primam gratiam, & peccatum mortale remittat, ac deleat?

Reſp. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 98. §. *Ex his infertur*, ſic habet. Quamvis hoc Sacramentum per ſe primò non ſit inſtitutum à Chriſto ad conferendam primam gratiam, ſed ad conferendum augmentum illis, tamen in duobus caſibus

ſibus illam conferre;& peccatum mortale remittere, & delere poteſt. Primò cum quis diligenter diſcuſſit conſcientiam ſuam, & nullius culpæ conſcius fuit, tùnc ſi cùm dolore accedat ad Communionem, ex attrito per Euchariſtiam fiet contritus, & recipiet primam gratiam. Secundus caſus eſt, cum quis memor eſt peccati mortalis, & de illo habet attritionem, quam putat eſſe contritionem, ſi urgeat neceſſitas communicandi, & Sacerdos non adſit, tùnc quidem iſte virtute Sacramenti Euchariſtiæ cum confeſſione in voto accedens ad illud, ex attrito fiet contritus,& primam gratiam acquiret. Hucuſque Diana,& eſt communis hæc doctrina in ſchola D.Thomæ *in 3.par. qu.79.art.3.& qu.*80. *art.*4. & ibi Expoſitores, vide iterùm Dianam *par.*5. *tract.*13. *reſ.*31. Bonacinam *de Sac. in genere diſp.*1. *qu.*4. *punct.*2. *num.*2. & Chaves *in Summ. Sacramentorum quæſito* 68.Si autèm hoc ſacramentum aliquando exiſtenti in peccato mortali inculpabiliter ignorato,non daret gratiam, nunquàm eſſet verum, quòd hic panis vitam daret Mundo; ideò ſi quis bona fide accedit ad Euchariſtiam, & dolet de præteritis, & proponit cavere futura, licèt non ſint remiſſa peccata, tùnc remiſſionem eorum accipiet ratione hujus Sacramenti, quod vivificat mortuos,& vitam datMundo, ſemperque ſic accedens gratiam habebit. Vide Bonac.*loco cit.diſp.*4.*qu.*4. *pun.*1. *n.*9.& Navar.*cap.*21.*n.*47.

Quær. 2. An Euchariſtia poſſit adminiſtrari illi, qui poſt uſum rationis incidit in amentiam, vel phrænefim, aut obſeſſus à dæmone detinetur?

Reſp. Quando amentia non eſt perpetua, & amens habet lucis intervalla,& diſpoſitus adEuchariſtiam accedit, aut illam devotè petit, non debet ei denegari, quià jus habet ad ſacramenta, ſicut cæteri Fideles:Si verò amentia eſt continua, ſed amens aliquod ſignum contritionis oſtenderit, vel anteà chriſtianè vixerit:poteſt quidem ei Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrari in articulo mortis, dummodò tamen in his caſibus abſit omninò periculum vomitus, aut alterius irriverentiæ: Nàm poteſt primam gratiam obtinere, & conſequenter ſalvari,licet confeſſionem peccatorum nùnc præmittere nequeat: ſiquidem per ſolam Euchariſtiæ ſumptionem,cum attritione præmiſſa ante amentiam, fit de attrito contritus, & ità animæ ſuæ ſalutem obtinere volet.Ergo &c.Sed omninò videndus eſtDiana *par.*2.*tract.*14. *reſ.*78.& 79.Em.Sà *verb.Euch.nu.*3.& Navar.*cap.*26. *nu.*27. Dico ſecundò ſi obſeſſus à dæmone adhuc uſum rationis retineat, non eſſe ei EuchariſtiæSacramentum denegandum, maximè tēpore præcepti, ſcilicet tēpore Paſchatis, & in articulo mortis, ac etiam toties quoties prudensConfeſſarius intrà anni circulum expedire judicaverit. Tolet. *lib.*2.*cap.*28.*in fine*. & P.Rotarius *in Appar.Theol.moralis par.*3. *c.*6. *ſect.* 1.*n.*22. Etenim fieri poteſt ut ope, aut auxilio hujus auguſtiſſimi Sacramenti à dæmonis vexatione facilius liberetur. Ità, aliis allegatis, reſolvit Bonac. *deSac.diſput.*4.*qu.*6.*punct.*1.*n.*1. *uſque ad* 6.*incluſivè.* Vide s.Thomam *in* 3.*par.q.*80.*art.*6.*ad* 2.*& art.*9. Item vide D. meum Dandinum nunquàm ſatis laudatum in ſuo volumine *de Suſpec.deHæreſi cap.*3.*ſect.*3.*ſubſect.*4.*n.*47. *&* 48.ubi aſſerit, quoſdam Energumenos ab infeſtu Dœmonis, virtute hujus SanctiſſimiSacramenti liberatos fuiſſe, quanvis *n.*49.poſteà dicat haud expedire, ut Euchariſtia hujuſmodi à dæmone obſeſſis conferatur: Verùm puto, quod hoc intelligat de illis,qui uſu rationis minime potiuntur, quòd quidem nullus negat, aut quando irriverentiæ periculum probabiliter timeatur: In his ergò dubiis dicunt quidam poſſe fieri experientia, quam docet Zambranus apud Diana eadem *reſ.* 78.*cit.* nempe dari poſſe primò talibus infirmis aliquam formam non conſecratam, ut appareat quomodo ſe habeant

beant in tali ſumptione;& ſi ſe habuerint decenter, detur illis forma conſecrata; ſin autem minimè. Et hæc eſt optima praxis, inquit idem Diana;ſed debet Sacerdos ad vitandum ſcandalū, & idololatriam materialem,monere prius communicandum, & aſſiſtentes, quòd ità facere in tali caſu,ſibi liceat, & cum non præbeat particulam non conſecratam, pro conſecrata, nulla adeſt fictio, & ſimulatio. Et hanc ſententiam docet etiàmLezana *to.3.verb. Euchariſtia n.*20. & 21. & pro ſe citat Layman. Vide Armillam *verb. Communio n.*25.& 26.ubi tractat de tali dubio: addens, quòd dæmoniacis non ſit danda ſacra Communio,ſi conſtet eos ad mortale torqueri, vel probabiliter de aliqua irriverentia timeatur, addo ego.

Quæſ. 3. An Sacerdos miniſtrans aliis cum peccato mortali extrà Miſſam,Sacram Synaxim,peccet mortaliter, aut venialiter tantum? Et, an in adminiſtratione Sacramentorum, neceſſariò requiratur confeſſio ex parte dantis, & recipientis ea Sacramenta?

Reſp. Non peccare mortaliter, ſed venialiter tantum,aſſerit Diana *par.*1. *tract.*7. *reſ.*41.& *par.*2.*tract.*14.*reſ.*23. & ibidem *tract.*17. *reſol.*13. *ac part.*9. *tract.*7.*reſ.*58. *verſ. Hinc à fortiori*, & prò ſe alios refert Authores. Sed, ut verum fatear: hoc aſſertum, mihi magnopere diſplicet:nam non ſolùm qui in peccato mortali conficit Sacramentum,ſed etiam qui illud aliis miniſtrat mortaliter peccat,& ſacrilegium committit, quià, ut ait s.Thomas *3. part. qu.*64. *art.*6. eſt notabilis irreverentia divinorum contrà præceptum Juris naturalis: Ergo ſi peccat mortaliter, alia Sacramenta in mortali adminiſtrans, ſeu conferens,multò magis,& à fortiori dicendum eſt conferendo hoc Sacramentum, quod eſt omnium ſanctiſſimum, ac cæteris excellentius, propter Chriſti præſentiam, & quià continet in ſe Authorem omnium Sacramentorum, conſequenter cum omni reverentia, munditia, & puritate conſcientiæ,& animæ diſpenſari debet, aliàs eſt peccatum mortale ſacrilegii. quià ex majore perfectioneSacramenti arguitur major imperfectio in Miniſtro diſpenſante in peccato mortali. Ità docent Caſtropalaus, Præpoſitus: Franc.de Lugo, Mercerus, Granado, Valentia; Suarez, Coninchius, Filliucius, Villalobos, Paludanus, Ricardus, Sotus, Bonac. *de Sac.diſp.*4. *qu.*5. *punct.* 2. *num.* 1. Bordonus *in Conſil. Regul.tom.*2.*reſ.*64.*num.*23. & præſertim D.Thomas *in* 4.*diſt.*5.*quæſt.*2.*ar.*2. *quæſtiunc.*4.*ad* 2. quos omnes refert Diana *locis ſupracit.* & communem hanc ſententiam eſſe fatetur: ergo non eſt recedendum ab ea, quià qui contrà omnes loquitur, non ſemper bene loquitur. Sacerdos igitur exiſtens in peccato mortali exequendo officium ſuum mortaliter agit, ut dicit Sylveſter *verb. Sacerdos* §.6. & Armilla *eodem verb.num.*4.& tandem prò hac noſtra ſententia vide P.Campionum *in ſua pro ordinandi inſtructione cap.*11.*ſub num.*6.& 7. Antequam igitur Sacerdos in mortali exiſtens aliis Sacram Euchariſtiam adminiſtret,vel confiteatur, aut ſaltem, ſi non habet copiam Confeſſarii,actum contritionis eliceat. In adminiſtratione enim Sacramentorum confeſſio ex præcepto non requiritur, & ſic ſufficit contritionis actus, ut docent Doctores communiter. Ad recipiendum verò Sacramentum Euchariſtiæ tenemur de Jure divino confeſſionem peccatorum mortalium præmittere,ut habetur exD.Paulo.*Probet autem ſe ipſum homo,*& deducitur etiam *ex cap.omnes qui*, *de pœnit. diſt.*1. & ex Concilio Triden. *ſeſſ.* 13. *cap.*7. ut videre licet apud Dianam *par.*8.*tract.*1.*reſ.*51.qui pluresConcordantes adducit; Sed ad recipienda alia Sacramenta non tenemur præmittere confeſſionem, quià nec Eccleſia hoc determinavit, nec de Jure divino habetur: ergo non eſt neceſſaria confeſſio, ſed

ſed ſufficit præmittere contritionis actum, ut docet idem P. Campionus *loco cit. cap. 30. num. 23.* Vide Chaves *in Summ. Sacramentorum tit. de Confeſſione num.* 123. 124. & 125. eſtque communis ſententia. Vide etiam. Emman. Sà *verb. Confeſſio ſub num. 5. in additione, & verb. Sacramentum num.* 1. & Authorem Cautelæ *Confeſ. lib. 1. c. 28. num. 2.*

Quær. 4. An Diaconus, ex officio, aut ex commiſſione poſſit Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare, & quanta requiratur neceſsitas, ut ex commiſſione Sacerdotis valeat illud adminiſtrare?

Reſp. Propria auctoritate, & tanquàm ex officio principali, & ſecundũ diſtributionem primam, & poteſtativam; ad ſolum Sacerdotem ſpectat Euchariſtiam miniſtrare; ut habetur *in cap. pervenit de conſecr. diſt.* 2. Tempore verò quò Populus communicabat ſub utraque ſpecie: Diaconus miniſtrabat Sanguinem, non tamen Corpus Chriſti, unde Sanguinem ex officio miniſteriali, & ſecundum diſpenſationem ſecundariam, & ordinarie miniſtrabat; & nunc in neceſſitate, ſcilicet abſente, vel ægrotante Presbytero Euchariſtiam miniſtrare poteſt. Vide s. Thomam *in 4. diſt. 13. qu. 1. art. 3.* & ibi Sotum, & Paludanum, Vivaldum *de Euchar. n. 90.* Em. Sà *verb. Euchariſtia propè finem*; Nàm etiàm ſine commiſſione expreſſa, & tanquàm principalis miniſter Sacerdotis, & ex præſumpta voluntate ſaltem Eccleſiæ, poteſt Diaconus in neceſsitate Euchariſtiam miniſtrare, habetur *ex cap. Diaconos diſt. 93.* & docent s. Thomas, Chaves, *in Summ. Sac. qu. 80.* Sylveſter *verb. Diaconus ſub n. 4.* Em. Sà *verb. Ordo n. 8.* & alii communiter. Quòd eſt verum ſi loquamur de neceſſitate extrema, ſeu articulo mortis, pro dando Viatico infirmo, etſi juſſus expectari non poſſit. Immò Nugnus *in 3. par. tom. 2. qu. 82. art. 3. concluſ. 2.* dicit quòd ſi Parochus, vel Epiſcopus, aut etiàm Summus Pontifex nollet concedere facultatem Diacono, ut in articulo mortis communicet ægrotum, poſſet in tali caſu Diaconus deſferre Sacramentum moribundo ex voluntate, & commiſſione Chriſti, licèt hoc verius, ac tutius non concedat Sylveſter *loco cit.* quià ait ipſe, ſi ſecundum Jura præſente Presbytero, non poteſt Diaconus hoc facere niſi juſſus, multò minus poteſt prohibitus, nec debet ipſe diſcutere an rectè prohibeatur, nec ne: ſed obedire tenetur, maximè cum hoc Sacramentum non ſit neceſſitatis. Ità Sylveſter. Quanta autem neceſſitas requiratur, ut Diaconus, ex commiſſione, poſſit Euchariſtiam miniſtrare, reſpondent Doctores, teſte Diana *par. 9. to. 5. reſ. 39.* Sufficere cauſam, quæ prudenti judicio videtur juſta, ut quòd Sacerdos aliis gravibus functionibus ſit occupatus, v. g. ſtudiis, Concioni, Confeſſionibus excipiendis, Infidelium converſioni, his, & ſimilibus caſibus, ſi non poſſet alius Sacerdos facile haberi, adminiſtratio hujus Sacramenti poſſet Diacono committi. Video tamen, quod præſens Eccleſiæ conſuetudo non permittit, ut ob leves cauſas, & præſertim ſtudii &c. Diaconus miniſtret Euchariſtiam: Neque videtur requiri extrema neceſſitas, ſeù impotentia ex parte Sacerdotis, nàm ut docet Sylveſter *ubi ſuprà*, ſufficit quod Presbyter in feſſus, vel aliàs ad hoc impotens moraliter; immò nec videtur requiri extrema neceſſitas ex parte communicantium, ſed ſufficit juſta cauſa, ut adimpletio præcepti Communionis annuæ, Jubilæum promerendum, &c. Ità docet Præpoſitus *in 3. par. quæſt. 82. art. 3. dub. 1. num. 10.* apud Dianam *loco ſupracit.* Sed vide Lezanam *tom. 3. verb. Euchariſtia nu. 14.* Toletum *lib. 6. cap. 17. num. 1.* Em. Sà *verb. Euchariſt. n. 4. & 35. in Additione Victorelli*, & præſertim Rotar. *in Appar. pro exam. Cler. cap. 9. ſect. 10. num. 6.* qui, & benè, id non admittit, niſi exiſtente graviſſima cauſa, & interveniente urgente neceſſitate, ut eſt mi-

niſtra-

niſtrare Viaticum in articulo mortis, Sacerdote aliquo non exiſtente, & rectè dicit.

Quæſ. 5. An, deficiente miniſtro idoneo, poſſit laicus ſeipſum communicare, ſaltem in caſu extremæ neceſſitatis, vel maximæ utilitatis, ac etiàm aliis Sacram Euchariſtiam adminiſtrare? Et an in dicto caſu poſſit Sacerdos ſibi ipſi illam miniſtrare?

Reſp. Eſt quæſtio valdè gravis inter Theologos: an in caſu extremæ neceſſitatis, puta in articulo mortis, poſſit laicus ſe ipſum, aut alios communicare. Partem negativam ſuſtinent multi graves Authores, ut Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *qu.* 1. *art.* 3. *ad finem*. Sylveſter *verb. Diaconus num.* 4. *propè finem*, Marcus Serra *in* 3. *part. D. Thomæ quæſt.* 82. *art.* 3. Card. de Lugo *de Sac. Euchar. diſp.* 18. *ſect.* 1. *num.* 25. Zambranus *de caſ. temp. mortis cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 6. Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *qu.* 5. *punct.* 1. *num.* 6. & alii penes ipſos, qui validis rationibus hanc ſententiam confirmant, & præſertim, quià hoc Sacramentum non eſt neceſſarium ſimpliciter ad ſalutē; & quidèm minus eſt, quòd Sacerdos celebret abſque planeta ad dandū Viaticum moribundo: & tamèn Eccleſia id non permittit, ergò multò minus quòd laicus deferat, & miniſtret hoc venerabile Sacramentum concedere debemus: Nec obſtat exemplum Reginæ Scotiæ, quæ in Anglia martyrium ſubitura, Euchariſtiam, quam apud ſe ſervabat, ſumpſit propriis manibus, *ſi verum narret Hiſtoria*, quià eam non tàm ſumpſit, ut ſe ipſam communicaret, quàm ut illam ab Hæreticorum injuriis eriperet. Aut dici poteſt, quod per invincibilem ignorantiam ſit excuſanda, ſi eam ſolùm ſumpſit, ut ſeipsā communicaret, vel id feciſſet ex peculiari Summi Pontificis diſpenſatione, aut ſaltèm bona fide, & aliquorum conſilio. Verùm partem affirmativam tuentur Suarez, Layman, Filliucius, Reginaldus, Præpoſitus, Palaus, Granadus, Valentia, Coninchius, Eſcobar, Quintanadvenas, & Amicus, omnes præſtantiſſimi Theologi, ex inclyta Societate Jeſu, cum quibus ſentit Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 47. *part.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 47. *part.* 8. *tract.* 1. *reſ.* 48. & *part.* 9. *tract.* 6. *reſ.* 39. §. *Sed quid dicendum*, & *part.* 11. *tract.* 7. *reſ.* 43. qui multos alios Concordantes refert. Immò putar hanc ſententiam non ſolum eſſe probabilē, ſed etiàm ferè probabiliorem: ſed penes ipſum ſit auctoritas, an ſit probabilior: Fateor quidem eſſe probabilem, & eam libenter amplector quando quis reperitur in mortis articulo, & exiſtens in peccato mortali non habet copiam Confeſſarii, nàm in tali caſu ſi non adeſt Sacerdos, vel ſaltèm Diaconus, poſſe licitè laicum ſeipſum, vel alium communicare exiſtimo, quià eſt ſententia probabiliſſima, quòd hoc Sacramentum poſſit conferre primam gratiam, & cauſare remiſſionem peccati mortalis, ut docet D. Thomas 3. *par. qu.* 79. *art.* 3. & ſequitur inter alios Cornexo *ibidem diſp. unic.* Nec diſſentit Lezana *tom.* 3. *verb. Euchariſtia ſub nu.* 15. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 31. & plures alii. Quare rectè, ac prudenter docet Amicus *in curſu Theol. tom.* 7. *diſp.* 31. *ſect.* 2. *nu.* 26. quòd aliàs eſſet exponere æternæ damnationis periculo non cōmunicando in articulo mortis conſtitutum. Nàm cum hoc Sacramentum interdùm faciat de attrito contritum, conferendo primam gratiam, & cauſando remiſſionem, poſſet tunc cum ſola contritione tantùm putata, hoc Sacramentum ſumens juſtificari, ſine quo in dicto caſu ſi decederet ex hac vita cum peccato mortali, damnaretur; Nec obſtat quòd poſſit ſalvari cū ſola contritione: quià cùm hæc difficile eliciatur, poterit àd majorem ſalutis ſecuritatem, uti medio faciliori, ac tutiori. Neque relevat, ſi dicatur non eſſe certum, quòd Euchariſtia in tali caſu collata, conferat primam gratiam, quià ſufficit eſſe tantùm probabile hoc aſſertum, cum in extremo vitæ licitū ſit, & interdum teneamur adhibere media

media, etiàm probabiliter ad ſalutem neceſſaria. Ità optimè concludit Amicus *loco cit.* cui ego libenter adhæreo: ſecluſo tamèn ſcandalo, ut inquit Lezana *ubi ſuprà*, & in praxi non ità facilè faciendum puto, propter ſcandalū, & contrariam conſuetudinem, ut docet Buſemb. *lib.6. tract.3.cap.2. dub.1. art.1. ſub num.3.* & alii. Sed Lector nō deferat recognoſcere Dianam *locis citatis*, ſiquidem fortioribus terminis, aliis relatis, hanc ſententiam defendit: quam tamèn non admitto extrà caſum extremæ neceſſitatis, qualis ſolùm cōtingere poteſt, quando quis eſt in articulo, vel periculo mortis, & exiſtens in peccato mortali, oportunitatem cōfitendi non habet; & tantum ſe eſſe attritum exiſtimat, nec Sacerdotem, aut ſaltèm Diaconum invenire poſſit, ut ei Sacram Synaxim præbeat, quamvis etiam tunc debeat eniti quantum poteſt, ad eliciendum actum contritionis, ad finem ſumendi Euchariſtiā. Sed vide, quæſo, D. meum Dandinum *de Suſpec. de Hæreſ. cap.3. ſect.4. num.13. & ſeqq.* qui egregiè noſtram ſententiam confirmat. Ex hac ſententia tandèm ſequitur à fortiori, Sacerdotem in dicto caſu articuli mortis, poſſe id facere ſe communicando, præſertim ſi non ſe agnoſcat contritum, ſed ſolum attritū. Sed ſi Diaconus adeſt, potius debet ab eo accipere Euchariſtiam, quàm ſibi ipſi miniſtrare; quià in tali caſu Diaconus ex licentia Sacerdotis, hoc poteſt facere; & Sacerdos non habet juſtam cauſam ad id faciendum. Ità Lezana *loco cit. in fine, & alii.* Oppoſitum tamèn docet Diana *par.2. tr.14. reſ.53.* ſed *par.5. tr.3. reſ.45.* nobiſcum ſentit. Vide *in hoc tit. ad quæſ.4.* & Emm. Sà *verb. Euchar. ſub num.35.*

Quær. 6. An laici tangentes Sacram Euchariſtiam, peccent mortaliter, & an aliis in caſu neceſſitatis hoc Sacramentum adminiſtrando cum cōſcientia peccati mortalis, mortaliter peccent; & tandem an Sacerdos ſine cotta, & ſtola, transferendo Pyxidem, in qua ſunt formæ conſecratæ, ad aliud Altare, peccet mortaliter, aut venialiter tantum?

Reſp. In neceſſitate Corpus Chriſti tangere, licitum eſt etiam laicis. Habetur ex D. Thoma *in 3. par. quæſt.83. art.3. & in 4. diſt.13. quæſt.1. art.3. quæſtiun.1. ad 3.* ergò non peccant laici tangendo Corpus Chriſti, in caſu neceſſitatis; maximè ſi in aliquo loco immūdo jaceret, aut ſaltèm ſi in terram caderet, & non ſit præſens; vel proximè adſit Sacerdos, Diaconus, vel alius Clericus. Em. Sà *verb. Euchariſtia num.26.* Peccarent tamèn venialiter illud tangentes in peccato mortali; ut dixit Paludanus cum Suarez *locis mox citandis.* Sed vide Rotarium *par.3. c.6. ſect.1. num.11.* Immò Leſſius *in 3. part. qu.82. art.3. num.8.* ait laicum exiſtentem in peccato mortali, cum deferat ad Infirmum in articulo mortis Euchariſtiam, (*ut dixi in præced. reſpon.*) minimè peccare mortaliter, quia non eſt Miniſter conſecratus ad hoc. Idem docet Diana *part.9. tract.7. reſol.58. §. ex his etiam.* Quòd autem tàm Subdiaconus, quàm laicus, in neceſſitate poſſint aliis Euchariſtiam exibere: præter Doctores cit. in præfata mea Reſponſione, docent etiam Victorellus *in Addit. ad Em. Sà ubi ſupra ſub num. 32.* Uviggeres *in 3. part. qu.82. art.3. concl.3.* Leander *de Sac. tom. 2. tract.7. diſp.4. quæſt.13.* Averſa *de Sac. Euchar. qu.10. ſect.4.* & alii. Conſequenter, eſt ſatis probabilis hæc opinio. Tandèm invenio Bordonum *in Conſ. Regul. to.2. reſ.64. num.20.* docentem: non peccare mortaliter Sacerdotem, ſed ſolùm venialiter, transferendo ſine cotta, & ſtola Pyxidem, in quà cuſtoditur Euchariſtiæ Sacramentum, ad aliud Altare, etiam ſi hoc faciat aliquibus videntibus; quia per hoc non conficit hoc Sacramentum, neque ad id munus deferendi præcisè requiritur deputatio. Ex quò laicus etiam in peccato mortali exiſtens, illud tangens, vel etiam in caſu neceſſitatis deferens ad Infir-

mum, non peccat mortaliter;ex Paludano *in* 4.*diſt*.5.*qu*.2.*concluſ*.3. & Suarez *par*.3. *tom*. 3. *diſput*. 72. *ſect*. 4. Ità Bordonus. Verùm hoc intelligendum eſt ſecluſo ſcandalo; nam cum ſcandalo nihil licet, & quod ſcandalum non contingat, difficilè puto. Præterquam quod: hæc Bordoni opinio videtur nimis laxa; quia Sacerdos eſt miniſter conſecratus. Quare, ſi fungitur officio ſuo irreverenter, transferendo Sacram Euchariſtiam contra Ritum Eccleſiæ univerſalis: puto certò, mortaliter peccare contra reverentiam debitam tàm Venerabili, & Auguſtiſſimo Sacramento, & contra Eccleſiam, quæ præcipit, ut omni cum reverentia, ut par eſt, Sacerdos in dicto caſu ſemper cotta, & ſtola utatur, & ità omninò fieri debet: aliàs, ut dixi, peccatum lethale committit Sacerdos.

TITULUS CXCV.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Vide tit. de Monial. Inter. ult. tit. de Moribun. &c. Int. 10. *tit. de Paroch. Int.* 22. *tit. de Regul. &c. Int.* 81. 93. *tit. de Sacram. Int.* 7.

1876 INter. 1. Quandonam debet hoc Sacramentum miniſtrari, & quibus perſonis?

Reſp. Ad validitatem hujus Sacramenti, requiritur, quod Infirmus ſit in articulo, ſeu periculo mortis, & ſufficit periculum eſſe probabile, ſeu præſumptum; ut docet Paſqualigus *in Theorica, & praxi quæſt.*384. *& ſeqq.* ibique congerit Doctores ad ſatietatem. Item, hoc Sacramentum miniſtrari poteſt in principio cujuſcunque periculoſæ infirmitatis, ut aſſerit idem Paſqualig. *ibidem quæſt.*391. Præterea, dari poteſt etiam infirmo ſenſibus diſtituto, quamquam expectandum non ſit, ut in talem ſtatum deveniat: & hoc ſub culpa gravi, ut habet Diana *par*.3. *tract*.4. *reſol*. 173. Si dubitatur, an infirmus ſit vivus: debet inungi ſub conditione. Ita Buſenbaum *de extrem. unction. tract*.5. *cap*.1. *num*.4. Chaves *in Summ. & ibi, de Extrem. unct. ſub num*.204. Euſebius Jordanus apud Pacem Jordanum *in ſchedula Sacramentorum de extrem. unction.* In diuturnis morbis poteſt dari, quoties redit periculum. Emm. Sà *itidem de extre. unct. num*. 4. Diana *par*.5. *tract*.3. *reſol*. 69. *& par*. 10. *tract*.11. *reſol*. 11. *verſ. Dicendum eſt igitur*: Chaves *ubi ſupra num*.207. & alii. Si capite plectendus, navigaturus, bellum iturus inungatur, non perficitur Sacramentum: quia Infirmorum Sacramentum eſt. Victorellus *in Addit. ad* Emm. Sà *ſub nu*.26. docet: quod feminæ, propter honeſtatem nec in renibus, nec in ventre ſunt ungendæ, & eſt communis ſententia. Ad hoc Sacramentum in pueris ſufficit ætas, qua poſſunt peccare, nec poteſt dari perpetuo dementibus, nec damnatis ad mortem, ut jam dixi, quia non ſunt capaces ſalutis corporalis, qui eſt unus effectus hujus Sacramenti; nec phræneticis, qui in phrænesim inciderunt, habentes peccatum mortale, & non oſtenderunt ſignum contritionis. Vide Barboſam *in Collect. DD. in Trid. ſeſs*.13. *cap*.8. *num*. 10. *&* 11. Alii verò, qui in amentiam inciderunt, ſi vel ante ſigna contritionis oſtenderunt, vel credatur petituros fore, inungi poſſunt, & debent: ſed ſi infirmus, inquit Rituale Romanum, dum phreneſi, aut amentia laborat, veriſimiliter poſſet quicquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, niſi periculum tollatur omninò. Demum communiter debet dari poſt Viaticum: ſed neceſſitate urgente, etiam antè, dari poteſt hoc Sacramentum ſine peccato. Vide citatos Auctores.

1877 Inter. 2. Poteſtnè licitè Parochus pro adminiſtratione Extremæ Unctionis oleum non conſecratum miſcere conſecrato, ſi timet fore, ut totum oleum conſecratum non ſufficiat pro toto anno? *Reſp.*

Reſp. Doctores communiter docent: quod Parochus id licitè facere queat; quia utrumque in tali caſu cenſetur conſecratum per admixtionem: dummodò tamen illud oleum, quod additur, ſit minoris quantitatis, quàm conſecratum; nam dignum trahit ad ſe minùs dignum, cum ſit eadem ratio additionis ad aquam benedictam. Ita tradunt Joan. de la Crux *in direct. conſcien. de extre. unct. dub.6. concluſ.*1.Petrus de Ledeſma *in Summ. tom.* 1. *tract. de extrem. unct. cap.* 2. *concluſ.* 4. *diffic.* 3. Henriquez *lib.* 3. *cap.*8. *num.* 2. Dicaſtillus *de Sac. to.* 1. *tract.*7. *diſp.*1. *dub.*7. *num.* 74. Præpoſitus *in* 3. *par.* D. Thom. *quæſt. unic. dub.*3. *num.*19. Trullench. *de Sac. li.*5. *cap. unic. dub.*2. *nu.*3. Leſſius *in* 3. *par. de Sac. extrem. unct. cap.*1. *dub.*5. *n.* 11. quos refert, & ſequitur Diana *par.* 11. *tract.*3. *reſol.*14. Vide etiam Emm. Sà *in verb. Oleum num.*1. & Armill. *verb. aqua, ſub num.*2. *& verb. Oleum, in fine.*

Quær. An Sacramentum Extremæ Unctionis, non ſolum per accidens, ut alia Sacramenta vivorum, ſed etiàm per ſe, & propriè, deleat peccata mortalia?

Reſp. Affirmativæ ſententiæ videtur adhærere quidam Author meus Dominus, & Amicus cum Merbeſio, & aliis. Sed contra talem ſententiam ſic argumentor. Si extrema unctio primo, & per ſe, ac proprie deleret peccata mortalia, & hominem adultum juſtificaret, non eſſet ſimpliciter neceſſaria confeſſio, ſed hoc eſt falſum, ergo, & id unde ſequitur. Probatur ſequela; Tunc aliquid non eſt neceſſariũ ſimpliciter, quando ſine illo poteſt per aliud haberi ejus effectus proprius, ſed juxtà dictam ſententiam, poteſt haberi juſtificatio in adultis ſine confeſſione: ergò non erit per ſe, & ſimpliciter neceſſaria confeſſio in adultis: Si verò dicatur, quod habetur tali caſu Confeſſio in voto. *Reſp.* ergo ex vi Confeſſionis in voto, & non ex vi extremæ unctionis per ſe, & primò juſtificatur adultus, Nec relevat, ſi dicatur: quod extrema unctio remittat per ſe peccata mortalia, ex eo quia ità colligitur ex verbis Divi Jacobi. Nam ſequeretur, quod eo magis hoc dici deberet de Sacramento Euchariſtiæ, cum Chriſtus Dominus dicat. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Unde ſicut ante Euchariſtiæ ſumptionem, eſt neceſſaria peccatorum mortalium confeſſio, aut ſaltem contritio, quæ eſt actus pœnitentiæ neceſſarius ad juſtificationem, ità pariter dicendum eſt de Extrema Unctione quæ quidem non alitèr poteſt delere peccata mortalia, niſi per accidens, ut Euchariſtia, & alia Sacramenta vivorum, ut dixi in titulo 191. *de Sacramentis ad Int.*6. Sacramenta enim vivorum poſſunt aliquando conferre primam gratiam, ſed per accidens, & id contingit: quando quis illa recipit cum attritione, exiſtimans bona fide ſe eſſe in ſtatu gratiæ, abſque culpa lethali. Nec aliter dici poteſt: quià ſequeretur, quod extrema unctio, vel non eſſet Sacramentum vivorum, aut majorem vim haberet, quàm Sacr. Euchariſtiæ. Quapropter dicendum eſt quod per ſe, & primò: competat confeſſioni, aut contritioni juſtificatio in adultis, per accidens verò extremæ unctioni. Vide in *tit. anteced. ad Quæſ.*1. Siquidem omnia Sacramenta præter Baptiſmũ, & Pœnitentiam ſupponunt primam gratiam, conſequenter non ſunt inſtituta ad producendam primam gratiam, aliàs ſupponerent ſuum effectum. Et ſic dicendum eſt Sacramenta vivorum inſtituta fuiſſe per ſe, & primariò ad conferendam ſecundam gratiam, ſecundariò verò èx accidenti inſtituta etiam fuiſſe ad conferendam primam gratiam, ut rectè docet inter alios Bonac. *de Sacr. diſp.*1. *qu.*4. *punct.*2. *nu.*2. Et hæc eſt communis Theologorum ſententia à qua diſcedere minimè poſſum. Ad verba autem D. Jacobi: *Et ſi in peccatis ſit remittuntur ei.* Reſpondetur: quod hoc modo loquendi innuit Apoſtolus, re-

miſſionem peccatorum non eſſe effectû per ſe, ſed tantum per accidens hujus Sacramenti, ut optimè docet Joannes Baptiſta Gonet *tom.* 5. *diſp.* 2. *de effect. extr. unctionis*, §. 2. *num.* 13. & alii communiter. Denique quinam ſint effectus principales Sacramenti Extremæ Unctionis jam breviter dixi in *titulo* 191. *de Sacramentis Interr.* 7. ad quam Lectorem remitto. Vide Rev. P. Franc. à Jeſu Maria in Colleg. Salmat. *tom.* 1. *tr.* 7. *cap.* 3. *pun.* 1. *num.* 1. *&* 3. qui plures refert Auctores in confirmationem hujus noſtræ ſententiæ.

TITULUS CXCVI.

De Sacramento Matrimonij.

Vide tit. de Adulter. tit. de Ætat. &c. Int. 9. 10. *tit. de Affin. Int.* 5. 13. *tit. de Benedict. Nupt. tit. de Beneficiar. &c.* Int. 3. 4. 5. *tit. de Bigam. tit. de celebr. Miſſæ Int. ult. tit. de Cognat. Matrim. dirim. tit. de Cohabit. conjug. tit. de Concubinar. &c. Int.* 7. *tit. de Deb. conjug. tit. de Defid. Int.* 4. *tit. de Divort. tit. de Epiſcopo. &c.* Inter. 39. *tit. de excom. ob Cler. percuſ. Int.* 2. 3. 22. *tit. de Ignor. Int.* 15. *tit. de Impedim. dir. &c. tit. de Impedim. non dir. &c. tit. de Imped. pub. hon. tit. de Impot. coeun. tit. de Infam. Inter.* 2. *tit. de Ingr. in Relig. Int.* 10. 11. 12. *tit. de legat. Int.* 1. 2. 3. 8. 9. *tit. de Mel. Int.* 1. *tit. de Ordin. Sac. Int.* 2. *tit. de Papa, &c. Int.* 7. *tit. de Paroch. Int.* 35. 36. *tit. de Patrin. Int.* 3. *tit. de Penſionar. &c. Inter.* 2. *tit. de Pœn. Int.* 7. *tit. de Privil. &c. Inter.* 4. 5. 6. 7. *tit. de Puer. Int. ult. tit. de Regul. &c. Int.* 26 94. 95. *tit. de Sacerd. Int. ult. tit. de Sacram. Int.* 9. *tit. de Simul.* Int. 6. 7. *tit. de Sponſal. tit. de Val. Sacr. Matr. tit. de Verb.* Int. 4. *& ſeqq. tit. de Virgin.* Int. 1. *tit. de Vot. Inter.* 7. 9. 10. 14. 15. 16.

1878 INter. 1. Quid eſt Matrimonium, prout eſt contractus, & quatenus eſt Sacramentum?

Reſp. Optima definitio traditur à Tolet. *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 1. ubi ſic ait: Matrimonium eſt contractus viri, & fœminæ legitimus, quo mutua corporum traditur poteſtas, gratiæ ſpiritualis collativus: Hæc definitio non ſolum convenit Matrimonio, ut eſt contractus, verum etiam, ut eſt Sacramentum. Ita Bonac. *de Matrim. quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 2. Matrimonium enim Fidelium, non ſolum eſt contractus, ſed etiam Sacramentum, propriiſſimè dictum, & eſt de fide definitum in Concil. Florent. *in decr. Eugen. ver.* 5. & in Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 1.

1879 Inter. 2. Ad quem finem fuit inſtitutum Matrimonium?

Reſp. Primò, & præcipuè, in bonum prolis, ut Filii procreentur, educentur, & inſtruantur. Secundò in remedium concupiſcentiæ: quia homo, poſt peccatum originale multum proclivis remanſit in actum carnis: & ideò inquit Apoſtolus Paulus, melius eſt nubere, quam uri. Tertiò denique in mutuam Viri, & Uxoris ſocietatem: & hæc dicuntur tria bona Matrimonii, ut docent communiter Doctores. Vide Tolet. *ubi ſuprà cap.* 2. *nu.* 1. *& ſeq.* Bonac. *loco ſupracit. qu.* 2. *punct.* 10. *ſub num.* 9. & alios id aſſerentes de communi.

1880 Inter. 3. Quodnam peccatum committit, qui matrimonium contrahit principaliter propter pulchritudinem, vel divitias, vel cauſa vitandæ fornicationis?

Reſp. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 216. *in fine*, aſſerit cum Sanchez, Pontio, Soto, & Majore, neque eſſe peccatum veniale contrahere matrimonium ob pulchritudinem, vel divitias. Sed mihi videtur peccatum eſſe veniale, ſi principaliter id fiat ob pulchritudinem, aut divitias; nam omnis actus directus in finem malum, vel principaliter in finem ineptum, eſt ſaltem venialis, ut docet Paludanus *in* 4. *diſt.* 31. *qu.* 3. Sylveſter *in Sum. verb. Ma-*

trimonium 4. *quæſt.* 4. Navar. *in man. cap.*22. *num.*79. Emm. Sà *ver. Matrimon. num.* 25. Præterea Diana *ubi ſup. reſ.*219. *in fine*, dicit etiam quod, qui matrimonium contrahunt cauſa vitandæ fornicationis, ſivè ſint ſenes, ſive juvenes; nullo modo peccent. Tamèn dico contrahentes principaliter propter vitationem fornicationis, peccare venialiter, quià eſt quædam deordinatio, cum finis matrimonii primus, & per ſe, ſit propagatio naturæ humanæ, & intentio generandi: & ſic ſolum excuſandi ſunt ſenes à peccato, ſi vitandæ fornicationis cauſa matrimonium contrahunt, cum finis principalis factus ſit eis impoſſibilis, ut ſuppono, aliàs ſenes, vel ſteriles non poſſent contrahere matrimonium ſine peccato: quod nemo dicit. Vide Paludanum, & Sylv. *locis cit.*

1881 Inter. 4. Quænam eſt materia, & forma Sacramenti Matrimonii.

Reſp. Multi multa dicunt: tamen mihi videtur probabilius, quod materia ſint corpora conjugum mutuo tradenda: forma verò verba conjugum contrahentium, nam ita docet Paludanus, Covarruvias, D. Antonius, & Alii, quos citat, & ſequitur Layman. *lib.*5. *tr.*10. *cap.*2. *par.*1. *nu.*3. & refert etiam Dian. *par.*3. *tr.*4. *reſ.*251.

1882 Inter. 5. Quiſnam eſt miniſter Sacramenti Matrimonii?

Reſp. Communis ſententia docet: miniſtrum hujus Sacramenti eſſe Sacerdotem, ut quidam putant. Vide Dianam *par.*3. *tr.*4. *reſ.*254.

1883 Inter. 6. Poteſtnè in aliquo caſu urgente neceſſitate, matrimonium celebrari abſque Parochi præſentia?

Reſp. Non eſt recedendum à negativa ſententia, ſcilicèt Matrimonium abſque Parochi præſentia, vel aliàs non ſervata forma Concilii, minimè poſſe celebrari, data etiam urgente neceſſitate, ut firmavi *in tit.* 160. *de Paroch. ad Inter.* 32. nàm abſolutè Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.*1. irritat matrimonium, abſque Parocho celebratum. Vide DD. apud Barboſ. *in Collect. ad Trident. loco cit. num.*140. & Dianam *par.* 3. *tr.*4. *reſ.* 234.

1884 Inter. 7. Quam pœnam incurrunt Sacerdotes ſeculares, vel Regulares, qui præſumunt aliquos in matrimonium conjugere, vel benedicere, ſine expreſſa Parochi, vel Ordinarii licentia?

Reſp. In *Clem.*1. *Religioſi, de privileg.* prohibetur Religioſis, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne præſumant ſine licentia matrimonii aſſiſtere: Contra verò, Sacerdotibus ſecularibus eſt impoſita pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, à qua non poſſunt abſolvi, niſi ab Ordinario Parochi, ut patet ex Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.*1. *de Reform. Matrim.* Quam ſuſpenſionem incurrunt etiam Religioſi, qui præſumunt matrimoniis aſſiſtere ſine expreſſa Ordinarii, vel Parochi licentia. Verùm eſt tamen, quod poſt Concil. Trid. æquum non videtur incurrere etiam excommunicationem à præfata Clementina impoſitam, ne duplex pœna incurratur pro eodem delicto, & ità à Sac. Congr. fuiſſe deciſum, plures teſtantur Auctores. Et benè quidem; nàm pœna ſuſpenſionis pro eodem delicto impoſita à Trident. cenſetur corrigere eam excommunicationem Juris antiqui. Ita docent Henriquez *lib.* 2. *cap.* 38. §.2. *in Com. lit. E.* Suarez *de Cenſ. diſp.* 12. *cap.* 4. *num.*13. Sayrus *de Cenſ. lib.*4. *cap.* 15. *num.*9. Baſilius Pontius *de impedit. Matrim. c.*26. §.2. *verſ. ex quibus.* Tambur. *de jure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 8. quos refert, & ſequitur Diana *par.* 10. *tract.* 13 *reſ.*14. *verſ. ex his infertur*, quibus addo Bonac. *de Matrim. qu.* 2. *punct.* 8. *num.*12. *&* *qu.*4. *punct.*6. *num.*5. Bord. *to.* 2. *var. reſol. par.*1. *reſ.*7. *ſub n.*50. Alloza *in Summ. ver. Epiſcopus diſp.*1. *ſect.*1. *num.* 22. & tenent plures penes ipſos.

1885 Inter. 8. Matrimonium poteſtnè ruri licitè contrahi à Sponſis ibi commorantibus recreationis cauſa?

Reſp.

Reſp. Nec validè, nec licitè hoc facere poſſunt: quià matrimonium contrahi debet coram Parocho Sponſi, vel Sponſæ, aut de ejus licentia coram alio Sacerdote: ergo matrimonium à Sponſis cauſa recreationis rus profectis, non animo ibi domicilium conſtituendi, aut habitandi majorem anni partem, non ſolùm illicitè, ſed etiam invalidè contrahitur: nam matrimonium celebratum coram alio Sacerdote, quàm coram proprio Parocho, ſine ejus licentia invalidum eſt, & nullum. Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi par.* 2. *alleg.* 32. *nu.* 66. Riccius *in praxi to.* 1. *reſ.* 214. *num.* 2. & alii apud Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 231. Et aliis relatis tenet etiam Bonac. *de Matrim. quæſt.* 2. *pun.* 8. *ſub num.* 3. Et hoc ego puto omninò verum, quidquid alii citati à Diana *ubi ſup.* in contrarium dicant: ſiquidem matrimonium non valere refert deciſum Garzias *de Benefic. par.* 6. *cap.* 7. *n.* 11. *ad* 4. teſte Barb. *citat. in Collect.* DD. in Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 1. *num.* 9. & 16.

1886 Inter. 9. Poteſtnè Epiſcopus prohibere, ne matrimonia domi contrahantur.

Reſp. Quando nullum adeſt impedimentum, debet Pàrochus, volentes contrahere matrimonium, in facie Eccleſiæ conjungere: ut patet ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *de matrimon. cap.* 1. ut autem dicatur matrimonium in facie Eccleſiæ celebrari, non eſt opus, ut in ipſa Eccleſia materiali celebretur: ſed ſatis eſt ſi coram Parocho, & duplici teſte, denunciationibus præmiſſis, matrimonium celebretur. Vide Sanchez *tom.* 1. *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 15. *n.* 20. & alios apud Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 279. qui ex Barboſa, & Rebellio aſſerit, Sacr. Congregationem decidiſſe, non poſſe Epiſcopum, ſeù Ordinarium prohibere, quin matrimonia domi celebrentur, ſervata Concilii forma; ſed cum maximè deceat, ut in Eccleſia celebrentur, id hortari debent non præcipere. Verùm in praxi video ſervari oppoſitum; nam in pluribus Diœceſibus prohibentur Parochi, ne in alio loco, quam in Eccleſia, quæ propria Sacramentorum domus eſt, ſponſos in matrimonium jungant, niſi juſtam ob cauſam ab Ordinario approbatam: & ità refert etiam ipſe Diana *loco citato*. Immò dicit, quod caveant Medici, ne facili negotio fidem faciant ipſos, aut propter ægritudinem, aut corporis imbecillitatem Eccleſiam adire non poſſint. Tamen Barb. *in Collect. ad Trident. loc. ſupracit. num.* 35. aſſerit: matrimonium domi celebrari poſſe, neque Ordinarium poſſe hoc prohibere, ſed ſolum hortari, & non præcipere, & ità cenſuiſſe Sacr. Congregationem teſtantur plurimi, quos ipſe refert *ibidem*. Idcircò tale dubium Doctioribus decidendum relinquo. Vide eumdem Barboſam *de officio Parochi cap.* 21. *num.* 29.

1887 Inter. 10. Matrimonium contractum per Procuratorem, vel per litteras coram Parocho, & teſtibus, eſtnè Sacramentum?

Reſp. Nonnulli dicunt, non eſſe Sacramentum: quia omnis collatio, & receptio cujuſvis Sacramenti exigit præſentiam conferentis, ac recipientis. Vide Sylvium *in* 3. *parte*. D. Thom. *qu.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 3. *concl.* 2. qui citat Cajet. Victoriam, & Canum. Verùm his non obſtantibus communis ſententia docet eſſe Sacramentum. Et ita tenendum eſt, quoties intendunt, quod Eccleſia intendit in conjugandis fidelibus: & omnes ſaltem implicitè hoc facere minimè eſt dubitandum; idcircò curare tenentur contrahentes in dicto caſu, ut ſint in gratia illo tempore, quo eorum procuratores pro ipſis contrahunt matrimonium, aliàs mortaliter peccant recipiendo Sacramentū Matrimonii in peccato. Sanchez *de Matrim. to.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 11. *qu.* 2. *num.* 20. Villalobos, Joannes de la Crux, Baſilius, Pontius, & Valentia, quos dat, & ſequitur Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 250. & hæc eſt ſententia

S,Th.

S.Th. Covar. Cather. & aliorum teſte Em. Sà *verb. Matrim. ſub num.* 12. Vide Bonac. *de Matrim. qu.* 2. *pun.* 5. *num.*3. *& ſeqq.* & præcipuè *nu.*12.

1888 Inter. 11. Quæ, & quot conditiones requiruntur in Procuratore, ut validè Matrimonium nomine alieno contrahere valeat; & quæ verba tunc adhibere debet ipſe Procurator?

Reſp. Supponendum eſt primò: matrimonium validè celebrari poſſe per Procuratorem, immò; & eſſe Sacramentum, juxtà communiorem ſententiam, ut pluribus relatis firmavi in *Reſp. ad Inter. antecedentem*. Dico igitur cum Andrea Victorello *in notis ad Poſſevinum cap.*10. quem refert Barboſ. *in collect. ad Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 1. *ſub num.* 139. quatuor requiri conditiones, ut Procurator validum matrimonium alieno nonſine contrahat. Primam, ut ſpeciale mandatum habeat ad matrimonium contrahendum. Secundam, ut mandatū ſit ad ineundum matrimonium cum certa perſona. Tertiā ut Procurator id muneris per ſe obeat; nam non poteſt aliū ſubſtituere, niſi mandatum expreſsè hoc explicet. Quartā ut dum conſenſum præbet, facultas revocata non ſit. Ità Victorellus. Quæ autem verba adhibere debeat Procurator in tali caſu *dixi in tit.* 235. *de Verbis ad Int.* 4. ad quem te remitto.

1889 Inter. 12. Peccatnè mortalitèr Procurator contrahendo matrimoniū nomine alterius in peccato mortali?

Reſp. Dico: quod non, quia Procurator alieno nomine agit, nec ullum Sacramentum tunc recipit, ſicut qui principaliter matrimonium contrahunt: ideòque non Procurator, ſed ipſi contrahentes tenentur ſub mortali eſſe in gratia tunc temporis, quo Procurator contracturus eſt matrimoniū. Bonac. *de Matrim. qu.*2. *punct.*5. *n.*12. Diana, & alii plures, quos allegat Bonac. *ibidem*, & eſt communis ſententia.

1890 Inter. 13. Qui vivente propria Uxore, ei cum qua adulteratur, fidem præbet, quod mortua Uxore, ipſam ducet; poſſuntnè iſti adulteri matrimonialiter invicem copulari?

Reſp. Minimè, imò ſi matrimonium contrahatur eſt invalidum, & nullum, nam inter eos adeſt impedimentum dirimens. *Cap. Relatum* 31. *qu.*1. Tolet. *eodem lib.* 6. *cap.*10. *nu.*2. Navar. *cap.* 22. *nu.* 46. *& alii communiter*.

1891 Inter. 14. Cajus promiſit Bertæ cum juramento, quod poſt mortem ejus Uxoris, vult ipſam accipere: deindè tractu temporis eam carnalitèr cognovit, poteſtnè ipſam in Uxorem ducere?

Reſp. Dico: quod non, quia dum Adulterium de facto perpetratur, ſive ante, ſive poſt fidem datam, parum refert. Tolet. *eo lib.*7. *cap.*10. *ſub n.* 2. *& alii communiter*.

1892 Inter. 15. Berta habet filiam, quam vult deſpondere Titio, & verè, ac de facto ſpondet; poſt ſponſalia Titius habet rem cum Matre, vel cum Sorore Sponſæ, poteſtnè Titius contrahere matrimonium cum Sponſa per verba de præſenti?

Reſp. Non: quia peccando cum Matre, vel Sorore Sponſæ, mediante copula carnali, contraxit affinitatem cum Sponſa; Immò ratione publicæ honeſtatis, nec Matrem, nec Sororem Sponſæ ducere valet, niſi mediante diſpenſatione. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 15. *num.*2. *in fin.* eſtque communis ſententia. *Vide ad Inter. ſeqq.*

1893 Inter. 16. Titius deſponſavit ſibi Cajam, deinde carnaliter cognovit Bertam ſororem: Cajæ, poteſtne Titius matrimonialiter copulari cum Caja, vel debet ducere in uxorem Bertam, ab eo carnaliter cognitam?

Reſp. Neutram in uxorem accipere poteſt. Et ratio eſt, quia ſibi deſponſando Cajam ratione publicæ honeſtatis non poteſt ejus Sororem ducere: & quia copulam habuit cum Berta contraxit affinitatem cum ejus Soro-

Sorore Caja: ergo neque ipſam in uxorem ducere poteſt. Layman. *lib.* 5. *tr.* 10. *par.* 4. *cap.* 9. *ſub num.* 6. & alii communiter. Alon. *par.* 92. *n.* 313.

1894 Inter. 17. Cajus fornicatus eſt cum Berta, poſteà contraxit ſponſalia cum ipſius Bertæ ſorore: poteſtnè Cajus ducere in Uxorem Bertam, vel tenetur accipere ejus ſororem, cum qua ſponſalia contraxit?

Reſp. Neutram in uxorem ducere poteſt. Et ratio eſt evidens: Non enim poteſt Bertam ducere, quia impedit publica honeſtas, quæ orta eſt ex ſponſalibus contractis cum ejus Sorore: Non autem Sororem Bertæ, propter affinitatem contractam cum ea, ex eo quià carnaliter cognovit Bertam ejus Sororem. Layman *loc. cit.* & eſt communis ſententia: Vide id, quod dixi ad *Inter.* 15. cum Tolet. *lib.* 7. *cap.* 15. *n.* 2. *in fine.*

1895 Inter. 18. Titius poſt mortem ſuæ Uxoris, poteſtnè ſine diſpenſatione ducere in Uxorem Bertam, quæ fuit Uxor fratris Uxoris ſuæ quàm vulgò cognatam vocant?

Reſp. Ità aſſerendum eſt: nam affinitas nō parit affinitatem; Titio enim ſolum impedimenta ſunt omnes conſanguinei Uxoris ſuæ uſque ad quartum gradum; ſed uxor fratris Uxoris ſuæ, non eſt Conſanguinea ſuæ Uxoris: ergo inter eos nullum oritur impedimentum DD. communiter ita docent. *Vide in tit.* 112. *de Inceſtu ad Int.* 2.

1896 Inter. 19. Si fornicarius filium ſuum baptizat, poteſtne fornicariam in Uxorem ducere?

Reſp. Minime: quia impedimentum cognationis Spiritualis contraxit. Eſt communis ſententia, teſte Bonac. *de Matrim. qu.* 3. *pun.* 5. §. 2. *ſub num.* 11. *Vide in tit.* 41. *de Concubinariis, & Concubinatu ad Inter.* 7.

1897 Inter. 20. Excommunicatus majori, vel minori excommunicatione poteſtne ſine gravi peccato matrimonium contrahere?

Reſp. Non poteſt ſine peccato mortali matrimonium inire: quia omnis excommunicatus majori, vel minori excommunicatione à percipiendis Sacramentis prohibetur. Navar. *cap.* 22. *num.* 81. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 23. *in fine*, & alii communiter: Vide ea, quæ dixi *in tit.* 87. *de Excommunicationem, & excommunicantis, ad Int.* 1. & *in tit.* 88. *de Excommunicatione minori, ad Int.* 3. Unde qui credit, aut dubitat ſe eſſe aliqua excommunicatione irretitum: antequam matrimonium contrahat, abſolutionem quærat. Vide Cajet. *in Summ verb. Matrimon. n.* 36. ubi ſic habet; Contrahens cum altera excommunicatus ſcienter, aut cum peccato mortali ſcienter, peccat mortaliter peccato ſacrilegii, notabilem exhibens Sacramento irreverentiam. Vide Dian. *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 85.

1898 Inter. 21. Quodnam peccatum committit Berta contrahens matrimonium cum Titio excommunicato?

Reſp. Si Titius erat publice, & nominatim denunciatus, aut ſaltem notorius, & publicus Clerici percuſſor: peccavit mortaliter Berta peccato ſacrilegii, contrahendo cum eo, quia non licet in Sacramentis communicare cum excommunicato vitando. Si vero Titius neutro dictorum modorum erat excommunicatus: nullam culpam committit Berta, quia per Concil. Conſtantienſe conceſſum eſt fidelibus communicare cum excommunicato tolerato, ſeù non vitando. Ita docet Sanchez *tom.* 2. *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 11. *nu.* 8. Guttierez *de Matrim. cap.* 83. *num.* 7. quibus ſubſcribit Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 268. *circa fin.* His tamen non obſtantibus, puto etiā in ſecundo caſu peccare mortaliter, quia cooperatur peccato alterius contrahentis, cum ambo ſint miniſtri Sac. Matrimonii: & non licet ſine gravi peccato illud cum peccato mortali adminiſtrare. Quare D. Tho. *in* 4. *diſt.* 39. *qu. unic. ar.* 1. *ad* 5. *inquit*: Si aliquis fidelis cum hæretica baptizata Ma-

Matrimonium contrahit, verum eſt matrimonium, quamvis peccet contrahendo, ſi ſciat eam hæreticam: ſicut peccat, ſi cum excommunicata contraheret; non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur. Benè tamen verum, eſt hujuſmodi contrahentes non incurrere minorem excommunicationem, à qua ſolum diſpenſat Concilium Conſtantienſe: non verò diſpenſat, nec diſpenſare poteſt à jure naturali, & divino, vetante, ne quis cooperatur peccato alterius, ut rectè advertit Suarez.

1899 Inter. 22. Incurruntne excommunicationem Parentes, ſi filios, vel filias ad matrimonium ineundum, cogunt?

Reſp. Licet in Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 9. imponatur pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, cogentibus ad matrimonium celebrandum; quià matrimonii jugum eſt grave, & diuturnum, ideòque par eſt, ut ſponte, & liberè ſuſcipiatur, & contra ad illud directè, vel indirectè cogentes ineundum pœna excommunicationis ſit impoſita; tamen hujuſmodi excommunicatio non afficit parentes filium, vel filiam ad matrimonium cogentes, quamquam mortaliter peccent, quià ut docent communiter Doctores iſta excommunicatio eos ſolum afficit, qui temporale dominium, & juriſdictionem in foro externo habent; ut patet ex verbis Concilii *locò ſupracit.*, prout melius in reſponſione videmus. Dicendum eſt igitur in caſu propoſito, Parentes nullam excommunicationem incurrere, & ità tradunt Bonac. *tom.* 3. *de cenſu. in particulari diſput.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 6. *ſub num.* 5. Diana *par.* 4. *tract. reſol.* 132. *verſ. Non deſinam*, qui citat Sanchez *tom.* 1. *lib.* 4. *diſput.* 22. & Coninchium *de Sac. diſp.* 28. *num.* 5. Vide Barboſ. *in collect. Trident. loco ſupracit. num.* 6.

1900 Inter. 23. Epiſcopus, Parochus, Reges, Reginæ, aut Imperator afficiunturne excommunicatione cogendo aliquem ad matrimonium celebrandum?

Reſp. De Parocho non eſt dubium, nequaquam in dictam excommunicationem incurrere, quià juriſdictione caret in foro externo. De Epiſcopo autem eſt problema, ut videre licet apud Bonacinam *loco proximè cit. n.* 6. ſicut etiam de Rege, Regina, & Imperatore. Tamen eſt valde probabile. Epiſcopum in iſtam excommunicationem non incidere, quià Tridentinum loquitur tantum de Dominis temporalibus, & Magiſtratibus habentibus juriſdictionem in foro exteriori ſæculari; unde Epiſcopus, qui non habet juriſdictionem in foro externo ſæculari, tali excommunicatione non afficitur; Immò neque Reges, Reginæ, vel Imperator hanc excommunicationem incurrunt, licet habeant juriſdictionem in foro externo ſæculari. Et ratio eſt, quia iſtæ perſonæ ſunt ſpeciali nota dignæ, & non veniunt in generali locutione, & ideò quando Summus Pontifex intelligit eas ligare, ſolet exprimere; & exprimi debent, ut exprimuntur in eodem Tridentino *ſeſſ.* 22. *de refor. c.* 11. Vide Bonac. *ibidem*, & Dianam *loco proximè cit.* & alios pœnès ipſos, & apud Barboſ. *in Collect. ad Trid. ubi ſupra num.* 3. 4. & 5.

1901 Inter. 24. Tempore ab Eccleſia interdicto, poteſtnè licitè contrahi matrimonium; & licetnè traducere ſponſam in domum Viri, ac matrimonium conſummare?

Reſp. Ab Adventu, uſque ad Epiphaniam incluſivè, & à die Cinerum, uſque ad Octavam Paſchæ prohibitæ ſunt ſolemnitates nuptiarum: quæ ſolemnitates ſunt benedictio nuptialis, ſolemnis Sponſæ traductio in domum Sponſi, convivia nuptialia, tripudia, & hujuſmodi. Vide Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 10. *de reform.* his ergo prænotatis dico primo, matrimonium licitè contrahi poſſe dictis temporibus abſque ſolemnitate. Hæc aſſertio patet ex Gloſ. *in cap. Cappellanus*, *de feriis*, &

ex una declaratione Sac. Congregationis *ſub die* 31. *Maii* 1590. quam refert Fagnanus *in dict. capite Cappellanus num.* 11. habetur etiam ex Rituali Romano *tit. de Sacram. Matrimonii verſ. Poſtremò*, ubi ſic inquit *matrimonium verò omni tempore contrahi poteſt*. Et ita docent Sylveſter *verb. Matrimonium* 7. *ſub num.* 2. Goffredus *in Summ. tit. de Matrim. contracto contra interdictum Eccleſiæ num.* 2. propè finem, Cajet. *in Sum. verb. nuptiarum peccata*, Navar. *in man. cap.* 22. *nu.* 71. Emm. Sà verb. *Matrimonii impedim. non dirimen. num.* 2. Sanchez *de Matrimonio lib.* 7. *diſp.* 7. *num.* 12. Bonacina *de Matrim. qu.* 3. *pun.* 14. *num.* 4. Diana *in Summ. verb. Matrim. num.* 44. Buſembaum *lib.* 6. *tract.* 6. *cap.* 6. *dub.* 1. Nicolius *in Floſc. verb. Matrimonium num.* 6. & alii. Sed hoc intelligendum eſt, niſi alicubi contraria vigeat conſuetudo. Immò neceſſariam eſſe puto Ordinarii licentiam; ut reſolvunt, deciſumque referunt Gallettus, Franc. Leo, Sanchez, Coninchius, Riccius, teſte Barboſa *in Collect. in Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 10. *de reform. num.* 6. Vide ipſum Barboſam *par.* 2. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 32. *num.* 194. Dico ſecundo: magnam eſſe controverſiam inter Doctores, an liceat traducere ſponſam in domum Viri, & matrimonium conſummare: Quidam enim aſſerunt: omnem traductionem Sponſæ in Domum Sponſi, etiam abſque ſolemnitate interdictam eſſe tempore feriarum; & hi ſunt Sylveſter, & Emm. Sà *locis ſupra citatis*, Veracrux, Barthol. Ledeſma, & Cucus, quos refert Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 266. quibus addo Faganum in *dict. cap. Capellanus de feriis*, & plures alios per ipſum allegatos: qui verius exiſtimat traductionem Sponſæ, etiam privatam vetito tempore, abſolutè, & indiſtinctè prohiberi, & multo magis copulam carnalem tunc interdictam eſſe, ſcilicet matrimonii conſummationem, & hoc probat egregiè tum Sacrorum Canonum, tum Doctorum auctoritate: ac tandem *ex Conc. Toletano de anno* 1473. ſub Syxto IV. celebrato: Et quod non liceat tempore feriarum matrimonium conſummare; tradunt Paludanus *in* 4. *diſt.* 32. *quæſt.* 1. *art.* 4. D. Antoninus 3. *par. tit.* 1. *cap.* 17. *in fine*, Roſella, Angelus, Tabiena, Cajet. & Armilla, quos citat, ſed non ſequitur Diana *loc. cit.* qui aliis allegatis, putat, licere traductionem Sponſæ, & matrimonium conſummare. Idem tenet Bonacina *loco ſupracit.* & alii penès ipſum: quod ego affirmare non audeo; nam Sacr. Congregatio apud Fagnanum *ubi ſupra* interrogata, an matrimonium quocumque tempore contrahi poſſit? Reſpondit, poſſe contrahi quocumque tempore, ſed temporibus à Sac. Concil. Trident. *cap.* 10. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* nuptiarum ſolemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi. Verum, puto, poſſe Epiſcopum diſpenſare, quoad privatam Sponſæ traductionem, & etiam ſuper matrimonii conſummatione: quam diſpenſationem facile concedere debet, ob humana pericula, ſcilicet incontinentiæ; ut optimè reſolvitur *in Synodo Lycienſi pag.* 198. Vide Sylveſtrum *loco ſupracit.*, & nota id, quod docet Em. Sà *verb. matrim. impedim. non dirimentia ſub num.* 11. ubi ſic inquit: *Non debet autem Epiſcopus concedere tempore prohibito; nuptiarum celebrationem; nec tunc etiam cum populi frequentia.*

1902 Inter. 25. Si unius conjugum infidelium convertatur ad fidem, poteſtne novum matrimonium inire cum fideli, & alterum in ſua infidelitate relinquere?

Reſp. Dico: quod debet prius requirere conjugem infidelem, & monere, an velit converti, ſeù cohabitare ſine ſcandalo, & injuria Creatoris cum ipſo. Quod ſi hoc facere recuſet, tunc converſus ad fidem poteſt liberè aliud inire matrimonium; ſi verò conjux infidelis vellet cohabitare, relinquendo con-

converſum in ſua libera voluntate ſerviendi Creatori, non poteſt aliud matrimonium contrahere, ſed poteſt cum conjuge infideli permanere. Ità docent Navar. *in man. cap.*22. *num.*49. Tolet. *lib.*7. *cap.*11. *num.*2. D.Thom. *in* 4. *diſt.*39. *art.*5. *qu. unica*. D.Bonaventura, aliique plures apud Dian. *par.*3. *tract.* 4. *reſ.* 252. licet alii apud ipſum contrarium ſentiant in caſu, quod conjux infidelis nollet converti. Si autem conjux infidelis petat certum tempus ad deliberandū de converſione, juſtum eſt, ut concedatur, nec ante conſtare poteſt eum eſſe pertinacem. In caſu tamen, quo conjux infidelis multum diſtaret, ut commodè requiri nequeat, dicit Sanchez *de Matrimonio tom.* 2. *lib.*7. *diſp.*74. *num.* 12. neceſſariam non eſſe admonitionem, quia moraliter cenſetur nolle converti, & relinquere ſuos, ut legitime cohabitet cum conjuge fideli, ultra quod requiſitio judicatur moraliter impoſſibilis, ſi facile reperiri non poſſit, vel ob difficultatem viæ, & itineris, & id cōmode fieri nequeat. Ita tenent etiam Filliucius, Riccius, Coninchius, quidquid in contrariū dicat Baſilius Pontius, *de Matrim. lib.*7. *cap.*48. *nu.* 12. Vide Dianam *loc. cit. reſ.*264. Ceterum ſtante iſta opinionum diverſitate, conſultius, ac tutius puto Summum Pontificem conſulendum eſſe, atque diſpenſationem petere. Vide etiam Bonac. *de Matrim. qu.* 3. *pun.*6. *nu.*4. *& ſeqq.* Em. Sà *ver. Imped. dirim. n.*8 & præſertim Layman. *lib.*5. *tract.* 10. *par.*2. *cap.* 3. *num.* 4. Sylv. *verb. Matrimonium* 8. *ſub num.*10.

1903 Inter. 26. Summus Pontifex poteſtne diſpenſare, ut Sacris Ordinibus initiatus matrimonium contrahere valeat, & ut Religioſus profeſſus Uxorem ducat?

Reſp. Quid circà tale dubium dicant Auctores videndū relinquo apud Dianam *par.* 8. *tract.* 1. *reſ.* 72. *&* 73. qui ex profeſſo de hac tractat materia, & congerit pro utraque parte opiniones ſingulorum: & tandem pro affirmativa ſententia concludit, poſſe Papam in utroque dubio diſpenſare, nempè ut ordinati in Sacris matrimonium licitè contrahere poſſint, ex eo quia continentia Clericorum, an nexa Sacris Ordinibus, ex conſtitutione Eccleſiæ dimanat. Et teſtatur ſuis temporibus à Summo Pontifice in Hiſpania diſpenſatum fuiſſe, ut quidam Subdiaconus matrimonium iniret. Item poſſe Papam in voto ſolemni caſtitatis Religioſæ diſpenſare, ſaltem ex cauſa publicum, & commune bonum Eccleſiæ concernente. Et pluries id de facto feciſſe fatetur ſe legiſſe. Et præter alias rationes, quas adducit, dicit, quod eadem eſt ratio voti ſimplicis, & ſolemnis quoad valorem diſpenſationis Eccleſiaſticæ; unde ſi Papa poteſt in voto ſimplici diſpenſare, poterit etiam in ſolemni: nam votum ſolemne non differt ſpecie à voto ſimplici, & votum ſolemne caſtitatis annexum Ordinibus Sacris, eſt ejuſdem rationis cum voto emiſſo in profeſſione Religioſa; ut ego etiam firmavi *in tit. de Circumſtantiis Peccatorum ad Inter.*16. *& iterum firmabo in tit.*199. *de Sacrilegio ad Interr.* 6. ergò ſequitur, quod ſicut Papa poteſt diſpenſare, ut Sacris Ordinibus initiatus matrimonium contrahat, ità ut Religioſus profeſſus uxorem ducat. Qui plura ſcire deſiderat, legat ipſum Dianam *locis cit.* nam reverà fuit caſuum moralium, & practicabilium diligens ſcrutator, ut afferit Franciſcus Bardi *in Bullam Cruciatæ par.*2. *tract.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 2. *num.* 12. Vide etiam Lezanam *tom.* 4. *conſ.* 11. *per totum*, ubi plura ad intentum, & Em. Sà *verb. Votum num.* 13.

Quær. An unquam liceat Matrimonium abſque denunciationibus cōtrahere, & ſine Epiſcopi licentia expreſſa? & an Parochus, & teſtes tali Matrimonio aſſiſtendo mortaliter peccent?

Reſp. Generaliter loquendo, nunquàm contrahere licet Matrimonium non

non præmiſſis denunciationibus, ſine Epiſcopi, vel ejus Vicarii Generalis licentia expreſſa; ut docent Doctores apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 237. & 238. & Barboſam *in Collect. DD. in Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 1. *num.* 49. & 50. Vide etiam Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 11. & Bonac. *de Matrimon. quæſt.* 2. *punct.* 6. *num.* 6. & *ſeqq.* Nàm ſolus Ordinarius, ex cauſa ſibi bene viſa, poteſt diſpenſare, ut omittantur denunciationes, vel omnes, aut aliqua illarum. Peccat tamen mortaliter remittendo denunciationes ſine juſta, & rationabili cauſa. Quænam verò ſint juſtæ cauſæ ad diſpenſandum, videri poteſt apud eumdem Barb. *loco cit. à num.* 64. *uſque ad num.* 71. Verum tamen eſt, quod ſi adſit aliquod periculum in mora, & non pateat aditus ad Epiſcopum utique poteſt Parochus denunciationes poſtponere ex præſumpta Epiſcopi licentia, & ex quadam tacita ipſius commiſſione, ut docet Em. Sà *verb. Matrimonium num.* 5. & ego jàm obiter dixi *ti.* 160. *de Parochis ad Int.* 32. & pluribus relatis docent etiam Diana, & Barb. *locis mox adducendis*; Sed cōtracto Matrimonio non poteſt Parochus abſque Epiſcopi licentia eas prætermittere, neque contrahentibus licet antè denunciationes Matrimonium conſummare: ſiquidèm nonnulli docent, eos peccare mortaliter, quamvis alii dicant ſolùm eſſe veniale peccatum, præſertim, ſi certi ſint inter eos nullum ſubeſſe impedimentum. Doctores prò utraque parte ſentientes refert Diana *par.* 9. *tr.* 8. *reſol.* 19. Qui tandem ibidem §. *Notandum*, aliis allegatis firmat, quòd quandò aliqua urgens neceſſitas contrahendi matrimonium præmat, nec facilis ſit ad Ordinarium recurſus, poſſit Parochus, abſque alia expreſſa facultate, omiſſis denunciationibus, matrimonium celebrare, quia leges Eccleſiaſticæ non cenſentur eo rigore obligare: conſequenter in tali caſu, non peccat Parochus, nec teſtes, neque ipſi contrahentes. Hoc idem tenet Barboſa *loco ſupra cit. n.* 44. qui pro hac ſententia plures Doctores refert. Vide Layman *ubi ſuprà n.* 10 & Caſtropalaum *tom.* 5. *diſp.* 2. *pun.* 13. §. 3. *num.* 5. ac etiam, quæ dixi in *tit.* 108. *ad quæſ.* & *in tit.* 160. *de Parochis ad Inter.* 37.

TITULUS CXCVII.

De Sacramento Ordinis.

Vide tit. de Ætat. &c. Inter. 12. *tit. de Bigam. Int.* 6. *tit. de Cler. &c. tit. de Concubinar. &c. Inter.* 4. *tit. de Diaconti. de Diſpenſ. Int.* 4. *tit. de Hæreſ. &c. ad quæſ. tit. de Ignor. Int.* 14. *tit. de Illegit. ad quæſ.* 1. *tit. de Intent. Int.* 2. *tit. de Irregul. Int.* 23. 24. *tit. de Ord. min. tit. de Ordin. Sac. tit. de Parv. matr. Int. ult. tit. de Regul. &c. Int.* 32. 45. 58. 96. 97. & *ad quæſ.* 7. *tit. de Sacerd. tit. de Simon. Int.* 25. 26. *tit. de Subdiac. tit. de Suſpenſ. Inter.* 1. 2. 3. 4. *tit. de Tonſ.*

1904 INter. 1. Abſtemius poteſtne promoveri ad Ordines?

Reſp. Nequaquam: quià Abſtemius, eo quod vinum non bibat, vel illud evomat, vel alio modo patiatur vomitum, non poteſt ad Sacerdotium admitti; quià Sacrificium Miſſæ, ſub utraque ſpecie peragi debet. Bonac. *de Irreg. diſp.* 7. *qu.* 2. *punct.* 2. *num.* 26. Immò addo: Conſecrationem utriuſq; ſpeciei, eſſe de eſſentia Sacrificii, & hanc ſententiam tuetur D. Thomas *in* 3. *par. quæſt.* 76. *art.* 2. *ad* 1. & *quæſt.* 8. *art.* 12. *ad* 3. & alii multi, quos allegat, & ſequitur Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 63. *verſ. Verum, his non obſtantibus*. Neque Summus Pontifex poteſt diſpenſare cum Abſtemio, ut promoveatur ad Sacerdotium: quia præceptum conſecrandi ſub utraque ſpe-

ſpecie, ſecundum probabiliorem ſententiam, eſt divinum. Vide Dicaſtillum *de Sacr. tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 13. *num.* 238. & huic ſententiæ fatetur ſe adhærere Diana *loco cit.* Vide Sylveſtrum *verb. Corpore vitiatus, ſub num.* 5. ubi ſic habet: Nec promoveri poteſt, qui vinum non bibit, quià celebrantem oportet Sanguinem ſub vini ſpecie ſumere. Vide Dianam *par.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 23.

1905 Inter. 2. Calix, qui porrigitur in ordinatione Subiacono, & Presbytero, debetne eſſe neceſſariò Conſecratus?

Reſp. Non eſſe neceſſe Calicem eſſe conſecratum, docet Henriquez, quem citat, & ſequitur Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 189. *in fine*. Tamen ſententia oppoſita, eſt tutior, & tenenda; ſcilicet, debere eſſe conſecratum, quià ſic eſt in uſu, ut docet Fornarius *de Ordine cap.* 2. *ſub num.* 7. & pro hac ſententja ſunt Paludanus, & alii plures. Vide Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 9. qui alios id aſſerantes, refert, & ſe retractat.

1906 Inter. 3. Qui habet corporis defectum impedientem uſum Sacerdotii, poteſtne ab Epiſcopo ad reliquos Ordines promoveri?

Reſp. Communis ſententia docet: non poſſe. Et ratio eſt: quià habens hujuſmodi defectum, eſt irregularis; & conſequentèr, nequit promoveri ad Ordines, cum irregularitas impediat ſuſceptionem omnium Ordinum. Navar *in Man. cap.* 27. *num.* 20. & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Irregul. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *pun. num.* 28.

1907 Inter. 4. Epiſcopus poteſtne ordinare familiarem ſuum, & cum illo in interſtitiis diſpenſare?

Reſp. Dico primo, quod Epiſcopus ordinare poteſt familiarem ſuum non ſubditum: dummodò per triennium ſecum commoratus fuerit, & beneficium, quacunque fraude ceſſante, ſtatim re ipſâ illi conferat. Ità ex Triden. *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. Dico ſecundò poſſe etiam cum illo diſpenſare ſuper interſtitiis; ut ex Sac. Cong. refert deciſum Joannes della Crux *in Direct. Conſcien. par.* 2. *de Sac. Ordinis dub.* 43. *concl.* 2. & ratio eſt prout docet Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 190. quia eo ipſo, quod Concilium dat Epiſcopo poteſtatem concurrentibus illis conditionibus, familiares ſuos ordinandi, conſequentèr concedit illis neceſſaria ad talem ordinationem faciendam, ut eſt diſpenſatio in interſtitiis. Et hæc ſententia mihi valdè probatur: nam cui finis eſt permiſſus, etiam media neceſſaria permiſſa cenſentur, *cap. Præterea, de offic. deleg. & l.* 2. *ff. de juriſdict. omn. Judicum*. Miſſas facio concordantes authoritates, quas recenſere magis laborioſum, quàm neceſſarium, agnoſco. Quamquam plures Auctores, cum quibus tenet Barb. *in Collect. DD. in Triden. ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *num.* 16. dicant non poſſe Epiſcopum ſuper interſtitiis, & ſeù illegittimitate diſpenſare cum familiari ſuo triennali. Ubi etiam notat: quod quando familiari jàm ordinato, collatum eſt ſtatim Beneficium: poterit poſteà Epiſcopus quoad interſtitia diſpenſare. His tamen non obſtantibus, dicendum eſt non poſſe ſuper interſtitiis diſpenſare, niſi pro Eccleſiæ ſuæ utilitate; prout cenſuit Sac. Congreg. quam refert Garcia apud Dianam *par.* 8. *tr.* 2. *reſ.* 35. ad quem lectorem remitto.

1908 Inter. 5. Quiſnam eſt Miniſter Sacramenti Ordinis?

Reſp. Dico cum communi, ſolum Epiſcopum conſecratum, eſſe ordinarium miniſtrum illius. Ità enim habetur ex Concil. Toletano 8. *cap.* 7. Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. Florentinò in Decreto Eugenii *ver.* 6. & docent S. Thomas *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. Sylveſter *verb. Ordo* 3. *per totum*; & alii apud Lezanam *tom.* 3. *verb. Ordines Sacri num.* 5. Vide Concil. Triden. *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *& can.* 7. *de Sac. Ord.* Verùm Papa poteſt committere ſimplici Sacerdoti facultatem conferendi primâ

tonſuram, & Ordines minores, *ut dixi ſuprà in tit.* 159. *de Papa, ſeù ſummo Pontifice, ad Inter.* 4. Vide Bonacinam *de Sac. Ordinis diſp.* 8. *quæſt. ult pun.* 4. *num.* 1. *& ſeqq.*

1909 Inter. 6. Ordinatus extra tempora, vel ante ætatem legitimam, aut cum falſis Dimiſſoriis, quam pœnam incurris.

Reſp. Incurrit ipſo facto ſuſpenſionem, ut habetur *in Extravg. Pii II.* quæ Incipit *Cum ex Sacrorum*: quæ videnda eſt apud Navar. *in man. c.* 26. *num.* 69. Et hæc ſuſpenſio eſt perpetua, à ſolo Papa diſpenſablis: ſed ſi eſt occulta: Epiſcopi; vigore Triden. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de refor.* ab ea abſolvere poſſunt: Ità Baſſæus *in floribus verb. Ordo* 4. *n.* 4. Prætereà ſi ordinem ſic ſuſceptum, ſolemniter exercuerit: fit etiam irregularis. Verum eſt tamen, quod bona fides, aut ignorantia invincibilis facti facit illum excuſatum iri à dictis pœnis, aut etiam ſi Ordines tantum minores, contra hunc Canonem ſuſceperit, quià non habet locum in minoribus, cum exprimat majores dumtaxat. Verum, licet non incurrat ſuſpenſionem ordinatus minoribus Ordinibus, adhuc tamen, qui illos ſuſcipit ab alieno Epiſcopo, ſine licentia proprii: mortalitèr peccat, quià id eſt contra Sacros Canones, & contra debitam juriſdictionem proprii Epiſcopi, & materia non eſt levis, cum ſit ſuſceptio graviſſimi Sacramenti, & ſtatus Clericalis. Quo fit, poſtea non poſſet licitè tali Ordine uti, niſi prius proprius Epiſcopus talem ordinationem ratam habeat, & facultatem concedat, ut rectè docet Suarez *de cenſu diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 18. Vide Fornarium *de Sac. Ordinis cap.* 8. *num.* 2. Bonac. *de Sac. diſp.* 8. *quæſt. unica pun.* 5. *num.* 13. & eaqnæ dixi *ſupra in tit.* 11. *de Ætatibus ad diverſa munera requiſitis, ad Inter.* 12. & tandem Lezanam *par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. *&* 4. & Dianam *par.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 30. *&* 31.

1910 Inter. 7. Titius dedit Mulieri venenum ſterilitatis, ut privaretur potentia generandi: poteſtne dictus Titius promoveri ab Epiſcopo ad Ordines?

Reſp. Utique promoveri poteſt: quia Titius in dicto caſu, de Jure non eſt irregularis; licet gravitèr peccaverit, & tanquàm homicida eſſet puniendus, nam reverà ad effectum contrahendi irregularitatem, non fuit occiſor, aut mutilator. Habetur ex Gloſſa *in cap. Si aliquis, de homicidio.* Toletus *lib.* 1. *cap.* 76. *ſub num.* 5. & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 7. *tract.* 5. *reſ.* 8. & Bordonus *in Conſ. Regul. reſ.* 45. *num.* 11. Nam Gregor. XIV. in *conſt.* 8. *edita anno* 1591. quæ incipit, *Sedes Apoſtolica*, moderavit Bullam Sixti V. Vide Dianam *loco cit. reſ.* 5. *&* 12. ubi probat nequè excommunicationem incurrere.

1911 Inter. 8. Quænam ſcientia requiritur pro recipiendo primam Clericalem tonſuram, & tam Ordines minores, quam Sacros?

Reſp. Ad primam tonſuram ſufficit, quod eam, recipiens ſciat legere, & ſcribere ſaltem italice, aut vernacula lingua, & fidei rudimenta edoctus ſit. Ad Ordines verò minores requiritur intelligentia linguæ latinæ. Pro ſubdiaconatu, prætèr linguam latinam, oportet eſſe inſtructum in iis, quæ ad talem Ordinem exercendum pertinent. Quod idem dicendum eſt pro Ordine Diaconatus. Tandem pro Presbyteratu, non ſolum prædicta ſcientia requiritur, verùm neceſſarium eſt etiam, ut ſciat docere Populum ea, quæ omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem, nec non idoneus ſit Sacramenta adminiſtrare. Colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 14. & docent Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 233. *& ſeqq.* Bordonus *tom.* 3. *reſ.* 67. *quæſt.* 18. & alii communitèr.

1912 Inter. 9. Quodnam eſt ſubjectum capax Ordinis?

Reſp. Eſt homo baptizatus, nempè maſculus, non autem fœmina: ſed

hoc intelligendum eſt quoad validitatem Sacramenti · Cœterum, de neceſſitate præcepti. Inſuper debet eſſe confirmatus, prima tonſura initiatus, legitimæ ætatis præditus, ſufficienter litteratus, ſine peccato mortali, & tandem intentionem ſuſcipiendi ordinem debet habere: & hoc de neceſſitate Sacramenti, ſi ordinandus ſit adultus, ut docent DD. communiter. Alia plura vide apud Rotarium *in Appar. pro exam. Cleric. c.3. ſect. 2. n. 11. & 16.*

1913 Inter. 10. Ordinandus debetne de neceſſitate Sacramenti tangere materiam, quæ tangenda traditur ab Epiſcopo dum confert Ordines?

Reſp. Quidam putant, non eſſe de eſſentia Sacramenti materię contactus: & hos Doctores refert, & ſequitur Diana *par. 3. tr. 4. reſ.* 185. ſed eſſe de eſſentia, communis ſententia tenet. Ità S. Thomas *in 4. diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 1. *& 3. par. quæſt.* 38. *artic.* 5. Sylveſt. *verb. Ordo* 2. *quæſt.* 4. S. Antoninus 3. *par. tit.* 16. *c.* 4. Paludanus *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. Sotus etiam *in eodem loco diſt.* 24. *quæſt. art.* 2. Cajet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 26. *quæſt. unica.* Em. Sà *verb. Ordo num.* 3. Fornarius *in tract. de Sac. Ordinis cap.* 2. *num.* 4. Bonac. *de Sac. diſp.* 8. *quæſt. unica pun.* 3. *num.* 11. & alii plures apud ipſos. Dico igitur, contactum materiæ eſſe de eſſentia, & de neceſſitate Sacramenti, ac etiam præcepti. Vide Pontificale Romanum. Et ratio noſtra eſt, quia in quolibet Sacramento habente materiam, neceſsè eſt, ut ſuſcipiens contingat illam, ſicut patet in Baptiſmo, Confirmatione, & aliis. Et quamvis aliqui putent non eſſe de eſſentia, ut dixi *ſupra*, tamen noſtra ſententia ſervanda omninò eſt in praxi, ut benè notat Victorellus in *Addit.* ad Emm. Sà *loco citato*, ultra quod Eccleſ. ità præcipit. Verum eſt tamen, quòd neceſſarius non eſt in Sacerdotio contactus immediatus vini, ſed ſufficit attingere calicem; quia, qui calicem attingit moraliter cenſetur attingere vinum in eo contentum. Ità Rotarius *in Appar. pro exam. Cleric. c.* 3. *n.* 19. & Campionus *Inſtr. pro Ordin. cap.* 39. *num.* 14. & alii. Sed non placet id, quod docet Diana *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 3. nempè, ſufficere tangere patenam & non hoſtiam, quia tutius eſſe, & omninò præſtandum, ſcilicet attingere ipſam patenam, & hoſtiam immediatè, juxtà ritum Eccleſiæ, nè ordinandus periculo ſe exponat non recipiendi Ordinem, optimè obſervat Bonac. *ubi ſupra in fine*, & ante ipſum Fornarius *loco ſupracit.* & alii.

1914 Inter. 11. Tangere materiam, dum Epiſcopus verba profert in ordinatione, eſtne hoc neceſſe?

Reſp. Sufficit tangere paulò ante, aut poſt verba Ordinantis: nam neceſſe non eſt ut mathematicè ſint ſimul contactus, & prolatio formæ, ſed ſufficit, ut ſint ſimul moraliter, ideſt ſine mora interpoſita, quià cum ſimultate morali ſubſiſtit ſignificatio Sacramentorum. Ità docent Em: Sà *verb. Ordo num.* 5. Fornarius *de ordine cap.* 2. *num.* 4. Bonac. *de Sac. diſp.* 8. *quæſt. unica pun.* 3. *num.* 12. & alii penes ipſos. Vide Dianam *par.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 48. qui alios Concordantes adducit pro hac noſtra ſententia, quam ſequimur. Sed omninò requiritur tactus phyſicus, & realis, nec ſufficit tactus moralis, ut optimè docent Campion. *Inſtr. pro ordin. cap.* 19. *num.* 14. Rotarius *in Appar. pro exam. Cler. c.* 3. *num.* 17. & alii.

1915 Inter. 12. Quotuplex eſt titulus, ad quem aliquis ordinari poteſt?

Reſp. Jam ſupponimus certum eſſe, neminem poſſe Sacros Ordines ſuſcipere, niſi habeat titulum; aliàs ultra peccatum mortale remanere, ſuſpenſum ab executione Ordinum. Vide Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *de reform.* & Bonac. *de Sac. diſp. unica, punct.* 5. *num. & ſeq.* Dicò igitur triplicem eſſe titulum, ad quem aliquis promoveri poteſt ad Sacros Ordines, ne ſuſpenſionis pœnam incurrat. Primus

mus eſt Beneficii Eccleſiaſtici; ità ut quilibet ad titulum Parochialis Eccleſiæ, Canonicatus, aut Cappellaniæ, auctoritate Epiſcopi fundatæ, atque in titulum perpetuum collatæ, licite ordinari poſſit. Sed circa Beneficium, vide quæ dixi *ex nova conſt. Innocentii XII. in tit.* 83. *de Epiſcopatu, & Epiſcopis, ad Inter.* 09. Secundus titulus eſt Patrimonii, ſeù penſionis, licet Epiſcopus non poſſit pro ſuo libitu, ad hunc titulum Patrimonii, ſeù penſionis ordinare: quià ex Concil. Triden. requiritur Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas, ut dicam *in tit.* 213. *de Subdiaconis, ad Inter.* 1. Tertius titulus eſt profeſſionis ſolemnis in Religione approbata, ad quam reducitur titulus Societatis Jeſus nam qui in ea poſt biennium probationis, emittunt tria vota ſimplicia: poſſunt ex privilegio ordinari. Ita docent Fornarius *in tr. de Ordine cap.* 8. *ſub num.* 9. Bonac. *loc. proximè cit. num.* 31. & 35. Emm. Sà *verb. Ordo num.* 2. & alii penes ipſos. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 14. *n.* 10. & Barboſ. *in collect. ad Triden. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *num.* 6. idem docentes.

Quær. 1. An Diaconi, & Subdiaconi canendo Epiſtolam, & Evangelium in ſtatu peccati mortalis: peccent mortaliter, aut venialter tantum? & quid dicendum ſit de Clericis in minoribus conſtitutis, ſi ſuum exerceant officium in peccato mortali?

Reſp. Vaſquez apud Dianam *loco mox citando* docet: nec venialitèr peccare Diaconos, & Subdiaconos in dicto caſu. Sed Coninchus, & alii, quibus ſubſcribit Diana *par.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 58. *verſ. Nota hic obiter*, peccare venialiter tantùm, inquiunt: & hanc eſſe communem ſententiam, aſſerit idē Diana: immò probabiliorem: dixit *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 195. Sed an, verum ſit, judicent alii, nam ego plures Doctores graves video docere, illos mortaliter peccare. Ità S. Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *art.* 3. Angelus *verb. Cleric.* 8. Sylveſter *eodem verb. Clericus* 2. Cajet. 2. 2. *quæſt.* 6. *ar.* 2. Navar. *in man. cap.* 25. *num.* 72. Emm. Sà *verb. Ordo num.* 31. Cabrera *de Sac. diſp.* 64. *ar.* 6. §. 7. *num.* 48. Sylvius *in* 3. *par. quæſt.* 64. *art. ver.* 6. *quær.* 1. *concluſ.* 5. iterum Cajet. 3. *par. quæſt.* 64. *art.* 3. *ad* 1. Tolet. Victoria, Molanus, quos refert, & ſequitur Sylvius; Chaves *in ſum. Sacramen.* & ibi *de Baptiſ. num.* 25. Uviggeres *in* 3. *par.* D. Thomæ *q.* 64. *art.* 6. *concluſ.* 5. *num.* 30. & alii, & colligitur etiam ex *cap. quæſitum de temp. ordin.* Immò de Diaconis, inquit S. Paulus *ad Tim.* 1. *cap.* 1. Hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent nullum crimen habentes. Et hoc videtur quoque dicendum de Subdiaconis: quià exercent actus peculiares, maximè ad Euchariſtiam accedentes, ad quos ſunt conſecrati. Dicendum eſt igitur: peccare mortaliter Diaconos, & Subdiaconos ſua munera exercentes in peccato mortali, & committere Sacrilegium: quia operantur contra Religionem, & cultum Deo debitum, in exercitio ſuorum Ordinum. Et ità cōmunius decent Doctores ut teſtatur doctus P. Campionus *in ſua prò ordinandis Inſtruct. cap.* 30. *num.* 21. Unde hanc ſententiam, puto, ſequendam eſſe in praxi: quidquid in contrarium dicat Diana *loc. cit.* cum aliis ab eo relatis; quibus addo Bonac. *de Sac. diſp.* 8. *quæſt. unic. punc.* 2. *propè finem*, qui prò noſtra ſententia citat, etiam Reginaldum. Verum, quoad Clericos in minoribus dumtaxat conſtitutos Ordinibus, item eſt diſſenſio inter Doctores: ut videre licet apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 196. Philippus Faber, Angelus, Sylveſter, & Navar. docent, eſſe mortale exercere functiones minorum Ordinum in peccato mortali: Gabrera verò, & alii, cum quibus ſentit Diana, oppoſitum ſuſtinent, & dicunt, quod ſaltèm, proptèr levitatem materiæ non ſit culpa mortalis, quià eorum officia, non ſunt perfecta in genere ſacri myſterii: Utraque Sententia eſt probabilis: Tamen ego

ego primæ adhæreo ſententiæ, ac puto eos peccare mortaliter, quià illa actio procedit à Sac. Ordinis, & tendit, atque ordinatur ad Euchariſtiam. Unde eſt quædam irreverentia, quæ ex genere ſuo eſt culpa mortalis, præſertim ſi loquamur de Acolytis exercentibus ſuum officium in peccato mortali. Vide Armillam *verb. Cler. num.* 17. ubi ſic inquit. Clericus in mortali exercens officium exhibendo ſe Miniſtrum Eccleſiæ, mortaliter peccat, & pro ſe citat D. Th. 4. *Sent. diſt.* 5. *quæſt.* 2. *art.* 2. & *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 3. qui quidem in ſecundo loco citato, ſatis apertè loquitur.

Quær. 2. Quibus diebus Ordines minores, & extrà tempora majores, licitè conferri poſſint?

Reſp. Quod Ordines minores conferri poſſint ab Epiſcopo in qualibet Dominica, aut feſtivo die: dummodo non videatur facere ordinationem generalem, jàm pluribus relatis aſſervi *in tit.* 83. *de Epiſcopatu.*, & *Epiſcopis, ad Inter.* 67. & licèt dixi, tales dies feſtivos debere eſſe de præcepto, quod docent Doctores communiter, ut videre eſt apud Dianam *par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 97. Tamèn non deſunt plures Doctores, quos refert, & ſequitur idem Diana *loco cit.* qui ſatis quidem probabiliter docent, dictos dies feſtivos, tàm in Ordinibus minoribus, quàm in majoribus, ex privilegio Apoſtolico, extrà tempora ſumendis ſufficere ut ſint de feſto duplici, licèt non ſervetur à Populo de præcepto, neque in illis abſtineatur ab operibus ſervilibus. Et prò hac ſententia ſunt Io: Præpoſitus, Facundez, Rodriquez, Homobonus, Gavantus, Tannerus, & Hallier penès Dianam. Immò hanc ſententiam docere Pontificale Romanum, aſſerunt Gavantus *in Man. Epiſcoporum, verb. Ordines Minores num.* 15. & Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *dub.* 2. *num.* 44. nàm in Pontificali Romano, ut dicunt præfati Doctores teſte eodem Diana *ubi ſuprà*, habetur: minores ordines poſſe dari ſingulis Dominicis, & eſtivis diebus duplicibus: ergò ſecundum hanc ſententiam, ſufficit, quòd ſint duplices, & feſti in ordine ad officia divina, licèt non ſint à laboribus feriatis, & de præcepto. Verùm, licèt hæc opinio ſit ſatis probabilis, ut dixi: tamèn non eſſe diſcedendum, reor, à communi ſententia, quam de facto in praxi ubique ſervare vidi. Lege Barb. *in Triden. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 8. *num.* 10. & Lezanam *tom.* 3. *verb. Ordines Sacri ſub num.* 9. alios penes ipſos.

Quær. 3. An Ordines recipiens, non ſervatis temporum interſtitiis, abſque diſpenſatione, incidat in ſuſpenſionem, aut irregularitatem, & quænam ſit cauſa ſufficiens, ut Epiſcopus poſſit licitè diſpenſare in interſtitio requiſito ad aſcendendum à Diaconatu ad Presbyteratum?

Reſp. Multi quidèm dicunt: ordinatum, non ſervatis interſtitiis, nullam ipſo jure incurrere ſuſpenſionem, vel irregularitatem, quià nullibi talis pœna reperitur expreſſa; ſed poſſe ab Epiſcopo ſuſpendi, & puniri proptèr talem Canonis tranſgeſſionem. Ita Doctores, quos dat, & ſequitur Barboſa *in Trident. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 13. *n.* 11. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 209. *verſ.* & *tandem nota.* Verùm, licèt non incurrat irregularitatem, ut docent Barboſa, & Diana *locis cit.* & *par.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 55. *ſub ver. Nota etiàm hic*, & alii, quibus concordat Navar. *tom.* 1. *conſul.* 4. *tit. de tempor. ordinat.* attamen, quià in fine præfati conſilii addita ſunt hæc verba. *Advertendum eſt, quòd poſt hæc ſcripta lata fuit à Syxto V. quædam Extravag. per quam ſic ordinatus, ſuſpenſus ſit*: ergò ſequitur in tali caſu ſuſpenſionem incurrere. Sed quià Diana *par.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 42. aſſerit ex Filliucio per Clem. VIII. dictam ſuſpenſionem ſublatam fuiſſe, per conſequens, illam non incurrit. Epiſcopum verò non ſervatis interſtitiis Ordinantem ſubditum, nul-

ſam pœnam incurrere, aſſerunt præcitati Doctores *ubi ſupra*, & præſertim Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 18. *num.*11. & alii penes ipſum, tamèn mortalitèr peccat. Ad ſecundam difficultatem dico: quòd in Trident. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 14. relinquitur ad arbitrium Epiſcopi, quandò verè adeſſe dicatur Eccleſiæ neceſſitas, & utilitas, ut dixi *in hoc titulo ad Interrog.* 4. *& in titulo* 71. *ad Inter.* 4. ſed nunc addo cum Hieronymo Roderico *in compend.qq.Regu. reſ.* 106.*num.*22. tunc eſſe judicandam utilitatem Eccleſiæ ſufficientem ad diſpenſandum, quandò pauci miniſtri exiſtunt, & tunc adeſſe neceſſitatem, quandò non ſolùm habentur pauci Eccleſiæ miniſtri, ſed etiam quandò non ſolùm habentur pauci Eccleſiæ miniſtri, ſed etiam quando deficiunt idonei, & non idonei. Immò Gaſpar Hurtado *de Sac. in tract. de Ordine difficul.* 23. ſic inquit. Judicio Epiſcopi relinquitur, ut in interſtitiis diſpenſet, prout neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ poſtulaverit, quæ verè poſtulat, ut ordinetur, qui habet beneficium, aut capellaniam, cum obligatione celebrandi Sacrum, & etiam, ut Sac. Card. Congreg. declaravit, ut ordinetur, qui in litteris, aut in virtute magnos fecit profectus, quià is ordinatus erit utilis Eccleſiæ. Ceterum utilitatem adeſſe credo, quandò, licèt Eccleſia habeat Mininiſtros, utilius tamèn erit, ut habeat in majori numero magis idoneos ad inſerviendum Populis, ad divina perſolvenda: Neceſſitas verò nedum quando Eccleſia non habet Miniſtros idoneos, & non idoneos, ſed quandò habet Eccleſia paucos Miniſtros, & aliis indiget, ut injunctis oneribus occurrere poſſit: Confect. *ti.* 5. *cap.* 5. Sorb. *verb. Ordines ſacri*. Roder. *par.* 3. *quæſt.*24. *art.* 7. Portell. *verb. Ordines ſacri n.* 3. Bord. *reſ.* 67. *num.* 13. & alii. Vide Dianam *par.*4. *tract.*4.*reſ.* 209. *& par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 10. *verſ. & quid*, ubi cum Leandro *de Sac. tom.* 2. *tract.* 6. *diſp.*11.*quæſt.* 21. præter dictas cauſas, docet ætatem provectam ordinandi cum gravitate, & integritate conjunctam, vel ſtudium in aliqua Univerſitate, ut ſcilicet media Miſſarum celebratione, ſe poſſit in ſtudiis ſuſtentare, eſſe ſufficientem cauſam diſpenſandi ab interſtitiis cum aliquo. Et tandem idem Diana *ea reſ.* 209. ex Roderico, & Barb. *locis cit.* concludit, hanc neceſſitatem, & utilitatem moraliter debere penſari: non enim in puncto indiviſibili conſiſtunt, ſed recipere debent eam latitudinem, quæ in aliis rebus moralibus, ad arbitrium boni viri attendi ſolet. Undè ego hanc reſponſionem puto conſolatoriam fore multis Epiſcopis, & ordinandis, cum ſæpè interrogatus fuerim, quænam eſſet cauſa ſufficiens ad diſpenſandum in caſu propoſito. Ideò nota, tene menti, nàm facilè in praxi accidere ſolet hæc non levis difficultas.

Quær. 4. An promittens Epiſcopo, ab eo alimenta non petiturus, ſi ordinetur abſque titulo: incurrat ſuſpenſionem, & quid ſi neſciret id eſſe illicitum? Itèm, quam pœnam incurreret Epiſcopus ordinans aliquem cū dicta promiſſione? & tandem quæritur an Epiſcopus poſſit ſine titulo aliquē graduatum in Sac. Theologia, aut in Jure Canonico ordinare?

Reſp. In primis peccaret mortaliter tam Epiſcopus, quàm qui cum tali promiſſione ei ad Ordinem aliquē, præſentaret, ac etiam ipſe ſe præſentans, & prætereà Epiſcopus per triennium à collatione Ordinum, & præſentans ad Ordinem ab executione Ordinum, ſuſpenſionem incurrerent. Habetur *ex cap. pen. de ſim.* Ordinatus verò ab ordine ſic ſuſcepto ſuſpenſus exiſteret, donec à Papa abſolveretur: & hanc ſuſpenſionem incurreret, quamvis id eſſe illicitum ignoraret, ut videre licèt *in cap. per tuas nobis*, *de ſim.* Attamen, ſecundum ſententiam Suarez, Coninchj, Hurtadi, & Cordoni.

doni, quos dat, & ſequitur Diana *par* 5. *tract.* 10. *reſ.* 54. hoc intelligendum eſt, quoàd forum externum in quo præſumitur deliquiſſe, non autèm in foro interno, nàm, ſi reverà, qui ſic Subdiaconatus Ordinem ſuſciperet, dictum jus ignorans, coram Deo, nec peccaret, nec ſuſpenſionem incurreret, quià ignorantia non craſſa, & ſupina, à cenſuris excuſat. At Epiſcopus nullatenus excuſaretur, quià omninò ſcire debet ea, quæ ad proprium munus pertinent, ut docent Doctores communiter. Denique quoad ultimum dubium dico, quod licèt non infinæ notæ Doctores doceant, poſſe Epiſcopum in aliquo caſu raro aliquē in Sac. Theologia, vel in Jure Canonico graduatum abſq; titulo ordinare, quià de hoc certum eſt, quòd conſequetur Cathedram, vel Præbendam, aut Beneficium, ac per conſequens, ceſſat ſuſpicio, quod mendicabit: Doctores id aſſerentes ſunt Corduba, Heriquez, Avila, Gonzales, Salzedo, Moſcoſus, & alii relati à Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 52. *verſ. Nota etiàm,* & *par.* 5. *tract.* 10. *reſ.* 50. *verſ. An verò* Nihilominus nou eſt diſcedendum à contraria ſententia, quam docent Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 35. *n.* 10. Barboſa *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 19. *num.* 72. Emm. Sà *verb. Ordo num.* 27. Campanili, Garzias, & alii, præſertim cum dicant ità declaratum fuiſſe à Sacra Cardin. Congreg., cui nos omninò ſtare, & obedire tenemur. Vide Barboſ. *in Vrid. ſeſſ.* 2. *de reform. cap.* 2. *num.* 50. Ac denique nota Ordinum collationem non poſſe denegare Epiſcopum exiſtenti in Dignitate, & Beneficio, alio non exiſtente impedimentò *cap. ex tuarum tenore de tempor. ordin.* Sicut poteſt denegare ſæcularibus, & Regularibus, quibus non tenetur, ſi tamen adeſt juſta cauſa denegandi Regularibus. *cap. ad Aures eodem tit.* Vide Sylveſtrū *verb. ordo* 3. *num.* 9. & Armill. *eodem verb. n.* 20.

TITULUS CXCVIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Vide tit. de Abſol. à Pecc. tit. de Attrit. tit. de Confeſ. Sacr. tit. de Paroch. Int. ult. tit. de Sacram. Int. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 12. *tit. de Satisfact. pœnit. tit. de Val. Sacr. Pœn.*

1916 INter. 1. Quid eſt pœnitentia? *Reſp.* Pœnitentia poteſt conſiderari dupliciter, ſcilicèt prout eſt Virtus, & quatenus eſt Sacramentum: Ut virtus, generaliter eſt nolle facere, vel nolle feciſſe peccatum, ut eſt offenſa Dei; & poteſt eſſe ſine dolore, ut eſt in Beatis, & cum dolore, ut in viatoribus. Ut Sacramentum verò, eſt Sacramentum abſolutionis, quo Sacerdos ritè, & legitimè, ſibi confitentem abſolvit.

1917 Inter. 2. Quænam eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ?

Reſp. Ego te abſolvo: nam formæ eſſentia ſtat in illis ſolis verbis: reliqua verò, quæ antecedunt, & ſubſequuntur, ſunt ad majorem congruitatem. Victoria in *Sum. de pœnit. ſub num.* 95. ex D.Thom. 3. *par. qu.* 84. *art.* 3. Tamen grave peccatum eſſet relinquere *A peccatis tuis*. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 1. Vide Bonacinam *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 4. *pun.* 1. *num.* 1. & *ſeqq.*

1918 Inter. 3. Tempore Interdicti, poteſtne miniſtrari Sacramentum pœnitentiæ?

Reſp. Licitè miniſtrari poteſt, etiam in loco interdicto, exceptis tamen excommunicatis, & iis, qui fuerunt aliquo modo in cauſa culpabiles, ob quam latum eſt Interdictum, & ſpecialitèr interdictis; nam excommunicati non admittuntur ad Sacramentum pœnitentiæ, niſi priùs à legitimo Superiore, ab excommunicatione, cui reſervata eſt excommunicatio, fuerint abſoluti. Item neque ſpecialiter interdicti, aut hi, qui aliquo modo ſunt in cau-

cauſa culpabiles, ad hoc Sacramentum poſſu nt admitti, niſi præmiſſa debita ſatisfactione, aut dederint idoneam cauti onem ſatisfaciendi, vel ſaltem in defectum cautionis juraverint ſe ſatisfacturos, & ut ab aliis ſatisfiat curaturos. Bonac. *de Cenſur. diſp.* 5. *punct.* 3. §. 3. *num.* 1. & alii ab ipſo relati; Tolet. *lib.* 1. *cap.* 53. *num.* 5. Em. Sà *ver. Interdictum num.* 15. & 16. & alii communiter. Vide Zeccum *de Interdicto pag.* 79. *verſ. Tertio.* Sylveſt. *verb. Interdictum* 5. *ſub num.* 9. *exceptione* 3.

1919 Inter. 4. Ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, cum fructu, ſufficitnè dolere de peccato, quatenus eſt contra rationem, vel quatenus eſt offenſa Dei, conſiderati, non ut finis ſupernaturalis, ſed ut finis naturalis?

Reſp. Non ſufficit: quia attritio ob motivum, & finem naturalem eſt actus naturalis; actus autem naturalis non poteſt eſſe diſpoſitio ad formam ſupernaturalem, qualis eſt gratia, idcircò requiritur attritio ſupernaturalis, efficax, & univerſalis, ut docent communiter Doctores contra nonnullos, quos refert Suarez *de pœnit. diſp.* 5. *ſect.* 1. *num.* 4. aſſerentes ſufficere attritionem naturalem modò honeſtam. Quorum opinio jam poſtremò fuit damnata ab Inn. XI. tamquàm improbabilis, & eſt 57. propoſitio ab eodem Pontifice reprobata. Vide ea quæ dixi *in tit.* 17. *de Attritione ad Inter.* 1.

TITULUS CXCIX.

De Sacrilegio.

Vide tit. de Circumſt. pecc. Int. 6. 8. 22. 23. 24. 26. *tit. de Conſcient. Int.* 6 *tit. de Eccleſ. Immun. ad quæſ.* 1. *tit. de Peccat. Int.* 23. *tit. de Vot. Int.* 5.

1920 INter. 1. Quotupliciter poteſt committi ſacrilegium?

Reſp. Tripliciter, ſcilicèt violando Perſonam Sacram, vel rem ſacram, vel locum ſacrum: Sed ſacrilegium non eſt, ubi non eſt propriè locus Sacer, etiamſi ibi Altare ſit. Emm. Sà *verb. luxuria nu.* 4.

1921 Inter. 2. Quotupliciter poteſt committi ſacrilegium in materia furti?

Reſp. Tripliciter, ſcilicèt auferendo ſacrum de ſacro, non ſacrum de ſacro, aut ſacrum de non ſacro. Habetur *in cap. Quiſquis* 17. *qu.* 4.

1922 Inter. 3. Qui è burſa alicujus exiſtentis in Eccleſia clam ſurriperet aliquid: committeretnè ſacrilegium?

Reſp. In hoc caſu eſt diverſitas opinionum. Diana *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 27. & alii ab ipſo relati. Mendo *Epit. Opin. moral. verb. Sacrilegium ſub n.* 20. & alii plures apud Lezanam *tom.* 3. *verb. Sacrilegium ſub num.* 5. dicunt, quod non ſit ſacrilegium. Et ratio horum eſt, quia res eſt ibi per accidens, & conſequenter nulla ſpecialis injuria ſit Eccleſiæ: Sed oppoſitum ſuſtinet Lezana *loc. cit.* plures allegans, & hoc aſſerit eſſe probabilius, & communius receptum. Tamen opinio Dianæ cum ſuis, probabilitate non caret.

1923 Inter. 4. Committitne ſacrilegium, qui habet copulam in loco Sacro, etiamſi ſit copula conjugalis.

Reſp. Habere copulam, etiam occultam, in loco Sacro, ſine dubio eſt ſacrilegium, quia ſit ſpecialis injuria Eccleſiæ, ſeù loco ſacro: & Eccleſia remanet polluta, niſi copula occulta ſit, ut docet Sylv. *in Summ. verb. Debitum num.* 5. Navar. *in Man. cap.* 16. *num.* 32. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 12. & alii plures, quos dat, & ſequitur Bonac. *de Matrim. qu.* 4. *pun. ult. num.* 6. Vide Dian. *par.* 7. *tract.* 11. *reſ.* 31. qui hanc ſententiam probabiliorem vocat; Si verò ſit copula conjugalis habita ex legitima cauſa, putà, quia eſt periculum incontinentiæ in altero Conjuge, nec alibi adeſt opportunitas coeundi, nullum peccatum committitur, nec Eccleſia polluitur. Ita, pluribus relatis, firmat Bonac. ubi ſuprà. Em. Sà *verb.* Eccle-

Eccleſia ſub num. 14. & alii, contra Navar. Vide me ipſum *in tit.* 143. *ad Int.*3. Polluitur tamen Eccleſia,ſi in caſu neceſſitatis ad vitandam incontinentiam publicè habeatur copula, ut benè oſtendit Paſqualigus *de Sacrific. Miſ. qu.*573. *n.*4.

1924 Inter. 5. Qui delectatur, vel concupiſcit fœminam exiſtentem in Eccleſia, committitnè ſpeciale Sacrilegium?

Reſp. Non fit ſacrilegium, quia non violatur directè locus Sacer, nec Eccleſia polluitur: modò non ſequatur pollutio ex illa delectatione: Si verò habet deſiderium habendi copulam in Eccleſia,& non extra eam,utique ſpeciale ſacrilegium committeret: quia actus internus eſt ejuſdem ſpeciei cum actu externo. Bonac. *loc.proximè cit. num.*7. & alii plures penès ipſum.

1925 Inter. 6. Committitur nè duplex ſacrilegium ab eo, qui cum ſit ſimul Sacerdos,& Religioſus,committit aliquod luxuriæ peccatum?

Reſp. Unum tantummodò ſacrilegii peccatum ab eo committi, eſt ſententia valdè probabilis;primò,quia votum ſolemne caſtitatis annexum Ordinibus Sacris, eſt ejuſdem rationis cum voto emiſſo in profeſſione Religioſa; ſecundò, quia diverſitas peccatorum non deſumitur ex diverſitate præceptorum, ſed ex virtutibus, aut motivis,ſpecie diſtinctis. Bonacina *de Matrim. qu.*4. *pun.ult. num.*28. Diana *par.*1. *tract.* 7. *reſ.*4. Idem dici poteſt de fœmina copulam habente cum Sacerdote Religioſo Profeſſo, ut ait Bonac. *loco cit.* ideò vide quæ dixi *in tit.* 36. *de Circumſt. Pecc. ad Int.*6.

1926 Inter. 7. Peccatnè peccato ſacrilegii, qui percutit Laicum putans eſſe Clericum?

Reſp. Ità certè tenendum eſt, ſi percuſſio fuerit cum peccato mortali, Et ratio eſt,quia peccavit ex conſcientia erronea, & ex prava intentione, nam putabat illum eſſe Clericum, & tamen à percuſſione non ſe abſtinuit. Ideòque omninò hanc circumſtantiam in Confeſſione explicare tenetur, ſed excommunicationem uon incurrit, ut dixi *in tit.*89. *ad Int.*9.

1927 Inter. 8. Poteſtne Confeſſarius ſine gravi peccato ſacrilegii abſolvere Pœnitentem indignum, mortem ſibi comminantem, niſi abſolvat; vel proferre formam ſine intentione abſolvendi, vel fingere eum abſolvere non proferendo formam?

Reſp. Nullo modo poteſt Confeſſarius,ſine peccato ſacrilegii abſolvere Pœnitentem indignum, quia hoc eſt intrinſecè malum:& ſi proferat formam ſine intentione, nequaquam a Sacrilegio excuſatur, ut mortem evitet: ſed ſi fingat abſolvere, & non abſolvat, excuſatur à peccato, inquit Bordonus *tom.*3. *var.reſ. reſ.*56. *qu.*4. quia fingere ex rationabili cauſa, nullum eſt peccatum, ait ipſe.Quam ſententiam docuit etiam Sancius *in Select. diſp.*35. *num.* 6. teſte Dian. *par.* 3. *tr.*6. *reſ.*83. §. *notandum;* Undè juxtà hanc opinionem, non peccavit quidã Confeſſarius, qui, (prout olim accepi in ſimili caſu) ità ſuum Pœnitentem abſolvit. Miſereatur tui omnipotens Deus: ſi vult, & dimiſſis peccatis tuis, quod non credo, perducat te ad vitam æternam, quod eſt impoſſibile; & ſic Pœnitens placatus,vitam Confeſſario non abſtulit.Tamen ſic abſolvere nullatenùs licet, nam in adminiſtratione Sacramentorum, nunquam poteſt ſine graviſſimo peccato Sacerdos fingere, vel ſimulare, etiamſi metus gravis ipſum urgeret,quia urgens metus gravis, non eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi, & oppoſitũ fuit reprobatum ab Innoc. XI. anno 1679. & eſt propoſitio 29. damnata. Verùm,poteſt dicere ſine mendacio tamen, ſe velle videre in Bibliotheca, vel in cubiculo,aliquem authorem de hac re tractantem, & ſic, non amplius revertendo ad illum, periculum evadere quit. *Vide in tit.* 206. *de ſimulatione, ad Int.*4.

TITULUS CC.

De ſatisfactione Pœnitentiali.

Vide tit. de Pracep. aud. Sac. Int.6.

1928 INter. 1. Eſtnè abſolvendus ille Pœnitens, qui medicinalem pœnitentiam acceptare recuſat, nec ullam vult admittere ſatisfactionem in hac vita?

Reſp. Non debet abſolvi, quia cenſetur indiſpoſitus. Ità Magiſter ſent. D. Thomas, Paludanus, Major, & alii, quos dat, & ſequitur Victoria *in Sum. de Satisfact. num.*192. Alios citat Diana *par.*2. *tr.*15. *reſ.*52. *& par.*3. *tr.*4. *reſ.*51. & Tolet. idem docet *lib.*3. *c.*9. *num.*3. contra Cajetanum.

1929 Inter. 2. Qui differt adimplere pœnitentiam ex negligentia, quale peccatum committit?

Reſp. Peccatum veniale. Quod ſi ex juſta aliqua cauſa hoc faciat, nullum erit peccatum. Thomas à Jeſu apud Dianam *par.*3. *tr.*4. *reſ.*92. quod intellige de parva dilatione.

1930 Inter. 3. Si Confeſſarius præſcribat pœnitentiam eſſe faciendam tali tempore, poteſtne pœnitens illam differre ſine peccato?

Reſp. Poteſt differre ſine peccato gravi uſque ad octavum diem, ſi prius commodè implere non poſſit, nam etiam in hoc datur parvitas materiæ ſecundum aliquos Authores. Sed vide Bonacin. mox citandum *num.* 5. ubi docet: quod pœnitens graviter peccat, ſi valdè diù eam adimplere differat.

1931 Inter. 4. Si Confeſſarius non præſcribat tempus; poteſtne pœnitentia differri ad beneplacitum pœnitentis?

Reſp. Dicunt quidam, poſſe differri uſque ad annum. Tamen hoc minimè fieri debet, quia tutius eſt quamprimum illam peragere. Et ita eſt omninò tenendum cum Bonac. *de Sacr. diſput.*5. *qu.*5. *ſect.*3. *pun.*4. *num.*6.

1932 Inter. 5. Si pœnitens adimpleat pœnitentiam in peccato mortali, peccatnè mortaliter?

Reſp. Non peccat mortaliter, quia non ponit obicem effectui eſſentiali Sacramentali, ſed ejus tantum integritati: peccat tamen venialiter. Diana *par.*3. *tr.*4. *reſol.*70. *& par.*4. *tract.*4. *reſol.*241. & alii apud ipſum. Idem docet Bonac. *de Sac. diſp.*5. *qu.* 5. *ſect.* 3. *pun.*4. *nu.*15.

1933 Inter. 6. Qui pœnitentiam impoſitam implet, dum eſt in peccato mortali, teneturne Confeſſionem, vel pœnitentiam reiterare?

Reſp. Minime, quia licet non ſatisfecerit Deo, niſi gratia accedente ſatisfacit tamen Confeſſario, & ſic non tenetur, nec Confeſſionem, nec pœnitentiam reiterare. Tolet. *lib.*3. *cap.*11. *ſub num.*3. & alii plures apud Bonac. *loc. prox. cit. eod. num.*15.

1934 Inter. 7. Pœnitentia Sacramentatis adimpleta in peccato mortali, reviviſcitnè, quando pœnitens redit ad gratiam?

Reſp. Pœnitentia, ſeù ſatisfactio, quæ fit in peccato mortali, adveniente charitate vivificatur, & acceptatur à Deo. Licet tutiùs ſit pœnitentiam à Confeſſario impoſitam implere in gratia. Victoria *in Summ. de ſatisfact. num.* 184. Diana *par.*3. *tract.*4. *reſ.*85. vide etiam Toletum *loco proximè cit.* Bonac. *ubi ſup. num.* 17. *& eaſquæ dicam ad Int. ſeqq.*

1935 Inter. 8. Quare Pœnitentia Sacramētalis, adimpleta in peccato mortali reviviſcit, quando pœnitens redit ad gratiam, & non ità pariter opera bona, quæ fiunt in peccato mortali.

Reſp. Quamvis opera mortua privativè non reviviſcant, nec fiant meritoria vitæ æternæ per ſubſequentem pœnitentiam, ut docet S. Tho. 3. *par. qu.*89. *art.*6. & alii plures, quos allegat, & ſequitur Bonac. *de Sacr. diſp.*5. *qu.*6. *ſect.*4. *pun.*1. *num.*2. & ego breviter dixi *in tit.* 70. *de Differentiis, ad Inter.* 4. *& in tit.* 154. *de Operibus ad In-*

Digitized by Google

*Inter.*1. Tamen pœnitentia adimpleta in peccato mortali, reviviſcit adveniente gratia ſicut dixi ad Inter. antecedentem quia prout inter alios docet Bonac. *loc. cit. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 3. *pun.* 4. *num.* 18. eſt differentia inter pœnitentiam Sacramentalem, & reliqua bona opera in ſtatu peccati mortalis facta, nam iſta ſunt mortua, & non reviviſcunt: pœnitentia verò, cum ſit opus Sacramentale, eſt opus ex ſe vivum, licèt quodam modo mortificatum, ob indiſpoſitionem, & ſtatum peccatoris. Undè, ſicut opera mortificata adveniente gratia, reviviſcunt, ita ſatisfactio, ſcilicet pœnitentia Sacramentalis [ſublato obice] reviviſcit ad ſuum effectum. Ita Bonac. *ubi ſuprà*, Cajet. *in Summ. verſ. ſatisfactio*, Tol. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 3. Suarez *to.* 4. *diſp.* 36. *ſect.* 8. *num.* 5. Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 15. *nu.* 15. & alii, quos citat, & ſequitur Diana *par.* 3. *tra.* 4. *reſ.* 85. Reginaldus *in praxi tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 7. *qu.* 4. qui luculenter ſuſtinet ſententiã hanc, quam ſequimur; Quæ omnia intelligenda ſunt, non tantum, quoad effectum gratiæ; ſed etiam quoad effectum remiſſionis pœnæ, ut docent præcitati Doctores.

1936 Inter. 9. Qui habuit pœnitentiam dicendi Litanias de Sanctis, tenetur nè ad preces, & orationes ſubſequentes, aut tenetur adire Confeſſarium, ut ſe magis explicet?

Reſp. Bordonus in Conſ. Regul. *to.* 2. *reſ.* 45. *num.* 30. & Dian. *par.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 46. dicunt, non teneri adire Confeſſarium pro explicatione, nec progredi ad preces, & orationes ſubſequentes, quia Litanias abſolvit Oratio Dominica, cum ſub nomine Litaniarum non includantur preces, & orationes ſubſequentes: & verba accipienda ſunt in ſignificatione uſitatiori, & hoc mihi valdè probatur, cum non debeat imponi obligatio, ubi expreſse non habetur ex verbis Confeſſarii.

1937 Inter. 10. Poteſtnè licitè Confeſſarius in pœnitentiam privare pœnitentem facta Communione, quando hoc ſibi videatur expediens?

Reſp. Quidam aſſerunt, non poſſe Confeſſarium imponere pœnitentiam de non ſuſcipienda Euchariſtia tali, vel tali die, & pœnitentem non teneri obedire, quia hujuſmodi pœnitentia videtur excedere juriſdictionem Confeſſarii; Tamen oppoſitum à Viris doctis practicatur, non ſolùm cum perſonis Spiritualibus, ſed etiam cum aliis multis. Et huic ſententiæ magis adhæret Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 115. & fortius id probat *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 47. §. *Sed ego*, cum Card. de Lugo *de pœnit. diſp.* 25. *ſect.* 5. *num.* 65. & aliis.

1938 Inter. 11. Poteſtnè Confeſſarius imponere pœnitentiam applicandam pro animabus Purgatorii, ut Officium mortuorum, Coronam B. Virginis, vel aliud ſimile opus pœnale?

Reſp. Magna quippè eſt inter Doctores controverſia. Bordonus *tom.* 2. *var. reſol.* 70. *qu.* 4. *num.* 16. mordicus ſuſtinet non poſſe. Et idem docet Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 54. & alii, quos ipſe citat, & ſequitur: Tamen injungi poſſe puto cum Turriano *de pœnit. diſp.* 37. *dub.* 4. & aliis. Et ita ſæpè practicatur à Viris doctis.

1939 Inter. 12. Quænam pœnitentia poteſt imponi ei, qui ſe accuſat in Cõfeſſione commiſiſſe homicidium voluntarium?

Reſp. Si Sacerdos habet facultatem abſolvendi, poteſt imponere, quod accedat ad interfecti propinquos, veniam poſtulet, illata damna ei reſtituat, pro ſalute occiſi ſingulis hebdomadis unum ſaltem ſacrificium per unum annum fieri curet, ſi poſſit, & per idem tempus eleemoſynas largiatur & Lytanias, aut Virginis coronam quotidie flexis genibus recitet, & unã ſaltem Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam flexis, & nudis genibus per totam vitam pronunciet, ac per annum, octavo quoque die confiteatur, & ſingulis menſibus communicet. Ita docet Diana *par.* 5. *tract.* 4. *reſ.*

reſ.43. ex Comitolo, & Homobono: Tamen dico, quod ſi tutè accedere nequeat ad interfecti propinquos, & niſi cum periculo vitæ; vel alterius gravis damni, non tenetur accedere; quia propriam vitam tueri eſt de jure naturali, &c. *cap. jus naturale diſt.1.cap.3. de ſent. excom.* & etiam de jure poſitivo, ut habetur *ex cap. 2. de Homicidio volunt.* ubi Panormitanus, & alii.

1940 Inter. 13. Pœnitentiam ſemel impoſitam, poteſtnè idem Confeſſarius, qui eam impoſuit, in aliam commutare?

Reſp. Si adſit juſta cauſa, utique poteſt: licèt quidam velint, quod etiā ſine cauſa id facere poſſit, & non ſolùm infra mediam horam poſt confeſſionem, ſed infra hebdomadam, & ultrà, & hoc procedat etiamſi pœnitentia fuerit præſervativa, quia in aliam præſervativam commutari poteſt. Eſt communis ſententia.

1941 Inter. 14. Pœnitentiam impoſitam ab uno Confeſſario, poteſtne licitè alius Confeſſarius commutare?

Reſp. Certò poteſt: ſed cum hoc ſcilicèt, quod omninò juſtam habeat cauſam, neque id faciat extra confeſſionem, quamvis probabile ſit, opus non eſſe, ut pœnitens repetat peccata, pro quibus talem pœnitentiam accepit. Tolet. *lib.3. cap.11.num.5.* Itaque quando Confeſſarius videt pœnitentem non impleviſſe pœnitentiam, & timet eam non impleturum, aut videt pœnitenti illam non eſſe aptam, vel alia juſta de cauſa, poteſt illam tollere totam, vel minuere, vel etiam commutare. Tolet. ubi ſupra, Victoria in *Summ. de ſatisfact. num.* 194. Diana *par.2. tr.15. reſ.53.per tot.* ubi fusè de hac tractat materia.

1942 Inter. 15. Poteſtne Confeſſarius commutare pœnitentiam, quæ ab alio fuit impoſita pro reſervatis, ſi ipſe non habeat facultatem abſolvendi à reſervatis?

Reſp. Utique poteſt, quia ſicut per abſolutionem peccata non remanent amplius reſervata, ita nec pœnitentia pro illis impoſita. Et hæc ſententia ait Diana *loco proxime cit.* §. *Sed grave, in fine*, eſt probabilis, & tuta in praxi.

TITULUS CCI.

De Scandalo.

Vide tit. de Abor. Inter. 5. 6. tit. de Circumſt. pec. Inter. 13. 14. tit. de Confeſſ. Sacr. Int.35. tit. de Peccat. Int.25. 26. tit. de Regul.&c. Int.22.80. tit. de Reſtit. dam. ad quæſ.2. tit. de Sacr. Euch. Int.6. 7.

1943 Inter. 1. Quid eſt ſcandalum?

Reſp. Scandalum eſt dictum, vel factum minus rectum, occaſionem ſpiritualis ruinæ præbens. Cajet. *in Sum. verb. Scandalum*, Sylveſt. *eodem verb. nu.* 1. & Em. Sà *eodem num.*1. & alii infra citandi.

1944 Inter. 2. Scandalum quotuplex eſt?

Reſp. Eſt duplex ſcilicet activum, & paſſivum. Activum eſt ut dictum eſt ſupra in præcedenti reſponſione. Paſſivum vero eſt ipſa proximi ſpiritualis ruina, ſeù peccatum illud in quod, occaſione accepta ab alterius dicto, vel facto, labitur. Rurſus Scandalum paſſivum eſt duplex, quoddam datum, quod ſolet dici puſillorum, & Infirmorum, & eſt illud, quod ex vero alterius activo ſcandalo oritur. Aliud dicitur acceptum, quod ſcandalum Phariſæorum appellatur: & eſt illud quod ſolum ex accipientis malitia naſcitur: Illud dicitur ſcandalum per ſe, hoc autem ſcandalum per accidens, ut benè obſervat D. Th. 2. 2. *qu.*43. *art.*1. *ad* 4. Vide S. Magiſtrum *ibidem art.* 1. 2.3.&4. Sylv. *verb. Scandalum* Sanchez *in Sum. lib.*1. *cap.* 6. *nu.*1. Bonac. *to.*2. *de Peccatis diſp.* 2. *qu.* 4. *pun.*2. §. *unico num.*2. *& ſeq.* Dian. *par.*5. *tr.* 7. *reſ.*1. & alios apud ipſos.

Inter.

1945 Inter. 3. Quotuplicitèr poteſt quis ſuo malo exemplo alterum ad peccatum inducere?

Reſp. Tripliciter. Primò directè, & formalitèr, ſcilicet intendendo ruinam ſpiritualem proximi, hoc eſt, ex deſiderio, ut proximus patiatur damnum illud ſpirituale. Secundo directè, ſed non formalitèr, ut quando vult, quòd alter v. g. violet caſtitatem, non quia malum ejus eſt, ſed quia inde lucrum aliquod ſperat. Tertiò, indirectè: & hoc accidit quando prævidet, quod ex ſua mala actione, proximus facilè occaſionem accipiet committendi peccatum, ſed hoc ipſe non intendit. Vide Dian. *par.* 5. *tract.* 7. *reſ.* 2. *&* *par.* 10. *tr.* 12. *reſ.* 29. *in princip.*

1946 Inter. 4. Qui ſuo pravo exemplo eſt occaſio alterius peccati: peccatne eadem ſpecie peccati; & tenetturne hanc circumſtantiam neceſſariò in Confeſſione aperire?

Reſp. Communis ſententia docet: omnem inducentem alterum ad peccandum directè formaliter, & directè non formaliter, aut indirectè: peccare eadem ſpecie peccati; tenerique hoc, expreſse, & diſtinctè confiteri. Ità Cajet. 2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 1. Sanch. *in decal. c.* 6. *num.* 2. *lib.* 1. Baſilius Pontius *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 21. Caſtropal. *tom.* 1. *tr.* 6. *diſp.* 6. *pun.* 3. *num.* 1. *&* 2. alii plures apud Dianam *par.* 10. *tr.* 12. *reſ.* 29. licèt aliqui ſuſtinere conentur oppoſitum, docentes, quòd quando quis ſuo pravo exemplo non intendit ruinam proximi, etſi prævideat peccaturum, ſatisfacere in Confeſſione, dicendo, & explicando malitiam ſcandali, licèt non explicet ſpecies peccati, ad quod proximus induci poterat. Sed prima ſententia eſt magis communis, probabilior, & tenenda. Vide Bonac. *de Peccatis diſp.* 2. *qu.* 4. *pun.* 2. §. *ult. n.* 12. 13. *&* 44. Imò Lorca 2. 2. *qu.* 43. *art.* 8. *diſp.* 56. *nu.* 6. aſſerit non poſſe contrarium ſine temeritate affirmari.

TITULUS CCII.

De Sepultura Eccleſiaſtica.

Vide tit. de Decim. Inter. 2. *tit. de Duel. Inter.* 6. 7. *tit. de Eccleſ. Pollut. Int.* 13. *tit. de Hæreſ. &c. Inter.* 15. *tit. de Laic. Inter.* 2. *tit. de Pec. mor. Inter. ult. tit. de Regul. &c. Inter.* 98.

1947 INter. 1. Quando dubitatur, an infans ſit baptizatus, vel non, ex eo quia fuit baptizatus v. g. in pede, vel cum materia, ſive forma dubia: ſi ab hac vita decedat, eſtne ſepeliendus in loco Sacro?

Reſp. In loco Sacro utique ſepeliendum eſſe, affirmat Homobonus, & ex eo Diana *par.* 4. *tract.* 3. *reſ.* 69. Et hujus rei rationem aſſignat Bonac. *de Contract. diſp.* 3. *quæſt.* 21. *punt.* 1. *ſub num.* 2. ubi ſic habet: Par non eſt, ut in dubio valoris Baptiſmi, puniatur privatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ: Eccleſia enim hac pœna punit Paganos, non illos, quibus collatus fuit Baptiſmus, ſed de ipſius valore ob aliquā circumſtantiam dubitatur, tum quia conſtat de collatione Baptiſmi: In dubio autem præſumendum eſt in favorem actus, ut magis valeat, quàm pereat. Tum quia in odioſis benignior pars amplectenda eſt, & in dubiis benigna interpretatio fieri debet, &c. & pro hac ſententia alios refert, & ità tenendum eſſe puto. Vide quoque Dianam *par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 15. & P. noſtrum Remigium *in Extracto morali tract.* 8. *de Sepul. Eccleſ. nu.* 70. hoc idem docentem.

1948 nter. 2. Repertus mortuus in puteo, vel laqueo ſuſpenſus eſtne privandus Eccleſiaſtica ſepultura?

Reſp. Emm. Sà *verb. Sepultura*, dicit, quod non, ità etiam docet Trulench. *tract. de jure Parochi cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 10. Et ratio eſt, quia ubi non conſtat, quòd ſe ipſum interfecerit, vel præcipitaverit, non eſt id præſu-

mendum, cum potuerit per inſidias, aut vim in puteum proiici, vel ſuſpendi, aut ex furore, ſeu mentis alienatione id facere. Ità Trullench. quem ſequitur Diana *par 9. tract. 8. reſ. 1. in fine*. Idem docet Rotarius *de exam. Cler. cap. 9. ſect. 14. num. 13.* Ceterum, occidentes ſe ipſos non ſunt in Eccleſia ſepeliendi. *ex cap. Quibus 13. quæſt. 2. cap. Placuit 22. quæſt. 5. cap. ex parte 2. de ſepulturis*. Et hoc provenit, quia Sacri Canones ſupponunt tales decedere in peccato mortali, ob deſperationem, vel iracundiam. Vide Cutillum *in addit. ad Jacob. Mancinum in tract. de Sepul. dub. 34. verſ. Decimo*.

1949 Inter. 3. Qui in actuali peccato, ut in actu venereo, morbo correptus, & ex improviſo ſenſibus deſtitutus eſt: poteſtne licitè donari Eccleſiaſtica ſepoltura?

Reſp. Non poteſt, licèt in ſententia Tambur. ſicut poteſt ſub conditione absolvi, ita quoque Eccleſiaſtica ſepultura non privari. Ita etiam tenet Hurtado de Mendoza *in 2. 2. diſp. 76. ſect. 1. §. 21.* quem citat Caſſianus à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Articulus mortis §. 9. num. 162.* & quamvis Sacramentaliter abſolutus nō fuerit, & exterius ſigna doloris non dederit, ait Caſſianus *loco cit.* Tamen negativa ſententia eſt probabilior, & magis tuta in praxi: de facto ita ſervari vidi multis in locis: & eam docet Marchantius apud Dianam *par. 5. tr. 3. reſ. 99.*

TITULUS CCIII.

De Sepultura Particulari.

Vide tit. de Laic. Inter. 3. tit. de Monial. Inter. ult. tit. Paroch. Inter. 29. tit. de Regul. &c. Inter. 100.

1950 INter. 1. Poteſtne Pater pro Filio minori, ſcilicet quatuordecim annis, ſeputuram eligere, & an Dominus itidem poſſit pro ſervo impuberi?

Reſp. Sac. Congreg. Epiſcoporū decrevit: poſſe Patrem ſepulturam pro Filio minori, antequam moriatur eligere, non verò poſteà. Ita teſtatur Diana *par. 5. tract. 3. reſol. 107.* & hoc etiam aſſerit Laurentius Cutillus *in Addit. ad Jacob. Mancinum tract. de Sepult. dub. 16.* & Patre abſente, id præſtare poteſt ejus Mater, nam eadem Sac. Congreg. *die 20. Januarii 1640.* decrevit poſſe Parentes pro filiis minoribus, ſeù impuberibus eligere ſepulturam in quacumque Eccleſia etiā Regularium, nec in hoc à Parochis impediri poſſe. Ita quoque poſſe Dominum pro ſervo impubere, pluribus relatis reſolvunt Diana, & Cutillus *dub 17. locis citatis.* Adverte tamen id, quod diximus, ſcilicet Patrem poſſe pro filio impubere ſepulturam eligere, limitari à Mathæuccio *in Officiali Curiæ Regularis inſtructo cap. 30. num. 10.* cum reſtrictione, quòd in loco vigeat conſuetudo eligendi ſepulturam filiis impuberibus, legitimè introducta ſpatio 40. annorum.

1951 Inter. 2. Filii impuberes, qui ſepulturam ſibi eligere minimè poſſunt, & puberes non eligentes ſepulturam, ubi ſepeliri debent.

Reſp. Filii impuberes ſepeliri debent in ſepultura majorum ſuorum, prout declaravit Sac. Congreg. *in una Aſculana 21. Octobris 1616.* nimirum majorum ex parte Patris. Quod ſi Pater propriam ſepulturam non habet, ſepeliri debent in ſepulchro Avi: & hac deficiente, in ſepultura aliorum aſcendentium; ſed non ex parte Matris, niſi fortè in hac nulli eſſent agnati ex linea Materna, ex qua Mater originem trahit. Vide Bonac. *de Contr. diſp. 3. quæſt. 21. pun. 3. ſub num. 6. verſ. ſextò,* & Cutillum *loco ſup. cit. dub. 18.* Sed hoc intellige, dummodò majores viventes velint, quòd dicti minores in ſepultura majorum ſepeliantur. Quod ſi majores nolint, ſepeliendi ſunt in

in ſepultura parvulorum, juxtà diſpoſitionem Ritualis Romani. Et hoc quod dictum eſt de filiis impuberibus, dicendum eſt de puberibus, qui etiam in ſepultura majorum ſepeliendi ſunt, ut aliis relatis firmat Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 108. Verùm quarta funeralis, Eccleſiæ Parochiali, ſemper de jure debetur. Tandem, ſi filii familias, majorum ſuorum ſepulturam non habent: in Eccleſia Parochiali omnino ſepeliri debent, modò ſepultura electa non fuerit, ut dixi in *præcedenti Reſp.*

1952 Inter. 3. Si Uxor moriatur, nõ electa ſepultura, ubi ſepeliri debet, & poteſtne unus pro alio eligere ſepulturam?

Reſp. Sepelienda eſt in ſepulchro Viri, etiamſi tale ſepulchrum exiſtat extrà Parochiam, ubi ipſa mortua eſt. Et ita deciſiſſe Sac. Congreg. *in una Seuogallien.* 15. *Januarii* 1633. teſtatur Cutillus *ubi ſuprà dub.* 21. At ſi datur caſus, ut mulier duos, vel plures habuerit viros, ſepelienda eſt in ſepultura ultimi viri *ex cap.* 15. *qui* §. *Mulier, de ſepult. in* 6. Ita pluribus relatis, firmat Diana *loco proximè cit.* & concordat Cutill. *ubi ſuprà dub.* 21. & 22. Ceterùm, nec Frater fratri, nec Pater filio puberi, nec Mater filiis, nec tutor pupillo, nec Avus nepoti, nec amicus amico ſepulturam eligere poteſt. Diana *ibidem*, niſi tamen adſit conſuetudo in contrarium. Vide etiam Bonac. *de contr. diſp.* 3. *quæſt.* 21. *pun.* 3. *num.* 8. & 9. Verùm, quoad Matrem, vide quod dixi *ſupra ad Int.* 1.

1953 Inter. 4. Canonicus non electa ſepultura, ubi debet ſepeliri in Parochia, vel in Cathedrali Eccleſia?

Reſp. Bonac. *de contr. diſp.* 3. *q.* 21. *pun.* 3. *num.* 6. §. 10. vult Canonicum Eccleſię Cathedralis, ſepeliendum eſſe in Cathedrali, quià hæc eſt ipſius Parochia. Sed cum Eccleſiæ Tiburtinæ Cathedralis inſimul, & Parochialis Canonicus obiiſſet in domo ſuæ ſolitæ habitationis ſitæ extrà limites dictæ Eccleſiæ, Sac. Congreg. Concilii in una Tyburtina juris Tumulandi, requiſita reſpondit die 12. Maii 1685. *Canonicum decedentem non electa ſibi ſepultura ſepeliendum eſſe in Cathedrali, ſi adſit Sepulchrũ proprium Canonicorum, ſin minus in Sepulchro Majorum. His verò non exiſtentibus. An Cadaver Canonici ſit ſepeliendum in Cathedrali, vel Parochiali? in alia Congregatione videndum.* Vide Dianam *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 111.

1954 Inter. 5. Si aliquis teſtatur, infirmum dixiſſe, ſe velle in tali Eccleſia ſepeliri, eſtne in illa ſepeliendus, & electio ſepulturæ quomodo probatur?

Reſp. Dico: quod nõ. Nam electio ſepulturæ probatur per teſtamentum, aut ſaltem per duos teſtes, licet ſingulares: probatur etiam per codicillum, quamvis invalidum, aut per ſcripturam manu propria ſubſcriptam. Sed non ſufficit unus teſtis, cum ſit ſpecies ultimæ voluntatis, & agatur de præjudicio Eccleſiæ Parochialis, ideoque requiruntur duo teſtes conteſtes, vel ſaltem ſingulares, ut dixi, & eſt quando deponunt audiviſſe electam ſepulturam à Sempronio in tali Eccleſia, ſed diverſis temporibus. Hi enim dicuntur teſtes ſingulares, & ſufficiunt, prout docent communiter Doctores. Verùm ſi Confeſſarius aſſerat infirmũ ſibi elegiſſe ſepulturam in tali loco, credendum eſt illi, quia dictum Confeſſarii magnam fidem facit, & ita practicatur in Curia Archipiſcop. Neapolitana teſte Lavorio apud Dianam *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 106. Vide Bonac. *loco proximè citat. num.* 10. qui docet, quod dictum fuit.

1955 Inter. 6. Quam pœnam incurrit, qui inducit alium ad eligendam ſepulturam, vel ad non mutandam electam:

Reſp. In Clement. *Cupientes de pœnis*, eſt impoſita excommunicationis pœna, & Papæ reſervata contra Religioſos, vel Clericos Sæculares, qui inducunt ad jurandum, vel vo-

vovendum, vel promittendum, ut ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel jam electam non immutent. Verùm ſi dumtaxat inducunt aliquem ut eligat, dictam excommunicationem non incurrunt: ſicuti ſi inducant aliquem ad vovendum eligere ſepulturam alterius Eccleſiæ, nec is, qui non eſt Religioſus, aut Clericus, quavis inducat ad vovendum, & jurandum, vel promittendum. Ità rectè docet Toletus *lib.* 1. *cap.* 36. *ſub n.* 3. & concordat Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 9. *num.* 25. *&* *tom.* 2. *verb. Sepultura n.* 7. qui plures Doctores allegat idafferentes. Vide Bonac. *de cenſur. extrà Bull. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 4.

1956 Inter. 7. Exenterantes mortuos, ut alibi ſepeliant, quam pœnam incurrunt?

Reſp. In Extravag. *Deteſtandæ de ſepultur.* eſt impoſita pœna excommunicationis SummoPontifici reſevatæ. Sed hoc intelligendum eſt, niſi fiat juſta de cauſa; ut docet Em. Sà *verb. Excommunicationes Papæ reſervatæ num.* 11. Nec poſſunt exhumari corpora defunctorum, & transferri de loco in locum ſine Epiſcopi licentia; patet *ex cap. Corpora Sanctorum, de conſecr. diſt.* 1. & ex aliis juribus citatis per Dianam *par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 120. Rodericus *in Compendio qq. Regul. reſol.* 127. *num.* 25. dicit, hoc eſſe verum de corporibus perpetuæ ſepulturæ traditis, & de tranſlatione ad aliam Eccleſiam: ſecus quando ſunt depoſita, ſeù ad tempus ſervata in una, ut poſteà transferantur ad aliam: ſeù quando transferuntur de uno loco in alium ejuſdem Eccleſiæ. Vide etiam Lezanam *tom.* 2. *verb. Sepultura n.* 21. & Dianam *loco cit.* Qui addit prætereà, quod Prælati Regulares ex Privilegio Leonis X. conceſſo Minoribus, poſſunt exhumare cadavera in ſuis Eccleſiis ſepulta, & in alia loca earundem Eccleſiarum, de conſenſu tamen illorum, quorum intereſt, transferre. Diana *in Sum. verb. Prælati Regulares n.* 15. *&* *verb. Regularium Privilegia n.* 14. ait: quòd ſi non ſunt ſepulta in Cappella propria, etiam ſine conſenſu partium valeant illa transferre: Tamen idem Lezana docet, dictum privilegium, niſi fuerit confirmatum, nihil valere, quia fuit vivæ vocis oraculum: Itaque, ſine rationabili cauſa, corpora defunctorum minimè exhumari debent. Nam, ut notat Lezana ibidem, Sac. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium ordinavit Epiſcopo Placentino, ut repræhenderet quoſdã Regulares, qui permiſerant exhumari cadaver unius defuncti, ut recognoſceretur à Curia Sæculari ſine conſenſu Epiſcopi. Vide Lezanam ubi plura ad intentum.

1957 Inter. 8. Licetne corpora defunctorum propè Altare ſub pedulo Altaris, quod prædellam vocant, ſepelire?

Reſp. Non licèt, immò ſi ibi ſepultura ſit, celebrari non debet, donec corpora aliò transferantur ex deciſione Sac. Congr. Quæ pariter præſcripſit, quòd ſi Altaria eſſent, quæ, vel ſuperius, vel in medio continerent cadavera ſive laicorum, ſive Prælatorum, non eſſet in ipſis celebrandum, & tandem mandavit Epiſcopo Ternenſi, ut amoveri faceret ſepulchra, quæ extarent ſubtus Altaria, vel pedulis. Vide Cutillum *in Addit. ad Jacobum Mancunum tract. de ſepult. dub.* 30. & Lezanam *tom.* 2. *verb. Altare num.* 17.

TITULUS CCIV.

De ſigillo Confeſſionis.

Vide tit. de Accuſ. &c. Int. 9. *tit. de Confeſſar. Inter.* 21. 22. *tit. de Defenſ. vit. propr. Int.* 3. 4. *tit. de Differ. Int.* 18. *tit. de Judicib. Int.* 3. *tit. de Paru. mat. Int. ult. tit. de Peccat. Int.* 23.

1958 INter. 1. Quo Jure Confeſſarius ad ſigillum Confeſſionis tenetur? *Reſp.*

Reſp. Ad ſigillum Confeſſionis omni jure tenetur; ſcilicet jure Naturali, Divino, & Eccleſiaſtico. Bonac. *de Sac. diſp.*5. *qu.*6. *ſect.*5. *pun.*1. *n.*1.2. *& 3.* & alii communiter.

1959 Inter. 2. Si Papa præciperet Confeſſario, ut ſibi revelet peccata audita in Confeſſione, & hoc ſub pęna excommunicationis, teneturne Confeſſarius obedire?

Reſp. Dico, quod etiam Papa jubente, & præcipiente, ut revelet, obedire non teneatur, nec incidit in pœnam excommunicationis. Ità S. Tho. *in 4.diſt.*21.quia, ut inquit S. Doctor, hoc ſigillum eſt de jure Divino, ſicut eſt Confeſſio: Præterea Papa eſt Vicarius Generalis Chriſti, Sacerdos verò in actu Confeſſionis eſt Vicarius ſpecialis; Specialis autem, quoad illam ſpeciem eſt major Vicario Generali, ut habetur *in cap. ſtuduiſti, de offic. deleg.* & docet ex Panormitano Sylv. *verb. confeſſio* 3. *num.*2 ergò &c. Vide etiam Bonac. *loc. cit. pun.*4. *num.*20.

1960 Inter. 3. Sub ſigillo Confeſſionis cadunt ne ſolum peccata mortalia, vel etiam venialia?

Reſp. Dicunt communiter Doctores: cadere ſub ſigillo tam mortalia, quam venialia: ſed cum hac differentia, quòd mortalia, nec in genere, nec in particulari poſſunt manifeſtari; unde dici non poteſt, ille confeſſus eſt mihi mortalia: Venialia verò, licèt manifeſtari non poſſint in ſpecie, & in particulari, tamen in genere revelare, non eſt contra ſigillum. Tolet. *lib.* 3. *cap.*16. *num.* 2. Em. Sà *verb. Confeſſor, ſub num.* 19. Bonacin. *de Sac. diſp.* 5. *qu.*6. *ſect.*5. *pun.*2. *num.*9. Diana *par.*5. *tract.*11. *reſ.*49. & ratio eſt, ut ait Tolet. *ibidem*, quia, qui confitetur, manifeſtè oſtendit, ſe habere ſaltem venialia, aliter non eſſet confeſſio. Verùm Confeſſarius non poteſt dicere, talem pœnitentem confeſſum fuiſſe plura venialia, quia revelat, quod eſt occultum, ſecus ſi diceret *Confeſſus eſt peccata venialia*, non addendo plura: Ita etiam non excuſaretur à fractione ſigilli, ſi dixerit, Titium, v.g. gravia venialia ſibi eſſe confeſſum. Ita ex aliis docet Diana *loc. cit.* & rectè quidem. Vide Sà *ubi ſup. n.*25.

1961 Inter. 4. Eſtne fractor ſigilli Confeſſionis, qui dicit, eo nunc ad audiendam reconciliationem Socratis; qui ſuis minutiſſimis peccatis, ut ſolet, caput mihi obtundit?

Reſp. Quidam dicunt, in tali caſu frangere ſigillum, quia quidquid pœnitenti eſt aliquo modo ignominioſum, & gignit erubeſcentiam, non poteſt manifeſtari, niſi violato ſigillo. Vide Dianam *par.* 5. *tr.*11. *reſ.*50. qui tamen contrariam ſententiam communem eſſe dicit, quia in tali caſu non manifeſtatur aliquod peccatum in particulari, & denotat eſſe hominem ſcrupuloſum, & conſequenter timoratum. Favet huic reſpõſioni. Navar. *in Man. cap.*8. *num.* 12. Verum Coninchius *de Sacr. diſp.*9. *dub.*1. *num.*9. aſſerit, quòd licèt iſte talis directè non frangat ſigillum, malè tamen, & periculosè hoc diceret; nam videtur innuere eſſe ſcrupuloſum, aut ſaltem facilè poſſet audientibus talem ingerere opinionem: atque ita indirectè ſigillum frangere, ideò Confeſſarii, etiam ab his locutionibus omninò ſe abſtinere debent, ut optimè firmat ipſe Diana *ubi ſupra, & par.*10. *tr.*12. *reſ.*34. alii que ab ipſo relati.

1962 Inter. 5. Frangitnè ſigillum Cõfeſſionis qui dicit audivi Caii Confeſſionem, vel ejus peccata?

Reſp. Generaliter loquendo, non violatur Confeſſionis ſigillum, quia nulla fit injuria pœnitenti, cum confiteri peccata omnibus Chriſtifidelibus ſit commune, Em. Sà *verb. Confeſſor num.* 25. *& alii locis proximè cit.* Tamen aliquando non poteſt Confeſſarius ſine ſigilli fractione dicere ſe audiviſſe alicujus pœnitentis confeſſionem maximè ſi expreſsè ſit rogatus à

poe

pœnitente, ne mentionem de ea re faceret, aut ita ſecreto ei confeſſus eſt, ut nolit id ſciri ab aliquo, ſe illi eſſe confeſſum, quia ſcilicet confitendo extraordinario, veniret in cognitionem majoris peccati, quod ſuo ordinario Confeſſario celare voluiſſet. Diana *par.*5. *tr.*11. *reſ.* 47. & alii ab ipſo relati. Verum eſt tamen, quod potius eſſet in tali caſu, fractor ſigilli naturalis, quàm Confeſſionis: nihilominus peccatum mortale committeret: & ideò cautè procedendum eſt.

1963 Inter. 6. Confeſſarius interrogatus an talem pœnitentem abſolverit, quid reſpondere debet?

Reſp. Si pœnitentem non potuit abſolvere, reſpondere debet Functus ſum officio meo, quid ad te? Navar. *in Man. cap.* 8. *num.* 14. & alii communiter. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.*6. *ſect.* 5. *pun.*4. *num.* 6. ubi plures refert id aſſerentes, Dianam *par.*5. *tr.*11. *reſ.*43. §. *non deſinam*. Si autem diceret ſe abſolviſſe pœnitentem, quem reverà abſolvit non revelat confeſſionem. Tolet. *lib.*3. *cap.*16. *ſub num.* 2. *in fine.* Bonac. *ubi ſupra num.*4. Cajet. *in Sum. ver. Confeſſori neceſſaria*, dum loquitur de ſigillo confeſſionis, & alii plures.

1964 Inter. 7. Confeſſarius teneturne dare ſchedulam pœnitenti, quem non abſolvit ex aliqua juſta cauſa?

Reſp. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.*6. *ſect.* 5. *pun.* 4. *num.*7. docet Confeſſarium non teneri. Sed hæc opinio diſplicet aliis, nam oppoſitum docet ex Coninchio, Dian. *par.*5. *tr.*11. *reſ.* 22. & alii apud ipſum. Et hoc mihi valdè probatur. Si enim Confeſſarius negat ſchedulam, clarum manet uti ſcientia Confeſſionis, & hujuſmodi pœnitens veniet in ſuſpicionem apud alios, quòd ſit in ſtatu peccati mortalis, ut filia apud matrem, ſodalis apud conſodales, & famulus apud Dominum, &c. Ergo Confeſſarius tenetur dare ſchedulam, ad hoc ut non prodat ſigillum, & peccatorem. Nec mentitur, quia tantum teſtatur, eum eſſe confeſſum, quod verum eſt omninò. Vide Coninch. *de Sac. diſp.*6. *dub.*1. *num.*14.

1965 Inter. 8. Si Confeſſarius commiſit aliquem defectum in abſolvendo pœnitentem, poteſtnè licitè illi hoc manifeſtare extrà Confeſſionem, etiam ſi pœnitens non dederit licentiam manifeſtandi?

Reſp. Si Confeſſarius v. g. abſolvit non ſubditum, vel excommunicatum, vel à caſu reſervato, vel non injunxit obligationem reſtitutionis: nullo modo poteſt loqui cum pœnitente de tali errore, ſine expreſſa ipſius pœnitentis licentia. Quam ſi pœnitens dare nolit, Confeſſarius agat pœnitentiam ſui errati, nam culpa quæ fuerat Confeſſarii, eo ipſo in pœnitentem transfertur, & Confeſſarius liber manet ab omni obligatione. Aliud tamen eſſet, ſi Confeſſarius diceret obligato reſtituere, ut non reſtituat, aut reſtituere faciat, cum non teneatur, quia tunc certò ipſe de proprio ad reſtituendum teneretur. Ideoque videas, quæ dixi *in tit.* 42. *de Confeſſarii ad Int.*12. *&* 13. *& præcipuè in tit.*185. *de Reſtitut. accepti, ad Int.* 5. Ceterùm numquam licet Confeſſario loqui cum pœnitente extra Confeſſionem de rebus Confeſſionis ſine licentia ipſius, & oppoſitum eſt contra torrentem Doctorum. Vide Bonac. *de Sacr. diſp.* 5. *qu.*5. *ſect.* 5. *pun.*4. *num.*8. Victoriam *in Summ. ubi de confeſſione num.*168. & alios, quos refert, & ſequitur Diana *par.*2. *tract.*15. *reſ.* 12. *& reſol.*60. *& par.*3. *tr.*4. *reſ.*87.

1966 Inter. 9. Poteſtnè licitè Confeſſarius loqui cum pœnitente extrà Cõfeſſionem de auditis in Confeſſione, de quibus ipſe pœnitens Confeſſarium alloqui cœpit?

Reſp. Bonac. *loco prox. cit. num.* 11. affirmativè reſpondet, & benè quidem, nam pœnitens in tali caſu ſufficientèr indicat, ſe Confeſſario facultatem dare loquendi de auditis in ejus Confeſſione, quia animus non ſolum ver-

verbis, ſed etiam factis oſtenditur:imò magis facto, quàm verbis indicatur,& talis præſumitur qualem facta demonſtrat. Lege 1. §. *fin. ff. de dolo*. Maſcardus *de probat. concluſ.*95. *num*.1. *& ſeq. & concl.* 1304. *num.* 24. *& ſeq.* Farin. *in prax. crim. qu.* 89. *num*.76.ergo,&c.

1967 Inter. 10. Qui confitetur habere propoſitum committendi aliquod peccatum, teneturne Confeſſarius illud ſub ſigillo celare?

Reſp. Si pœnitens animo ſe accuſandi, & cum aliquali deteſtatione ſui peccati confiteatur pravum propoſitum præſens peccandi, vel ſuper aliquo tentari, & conſentire,& aliquando diſſentire: Confeſſarius tunc certò non poteſt peccatum futurum revelare,quia illud manifeſtavit Confeſſario per modum accuſationis coram Deo, & ut Confeſſarius ei conſulat, & pro eo exoret, &c. Si verò pœnitens confitetur tale propoſitum, non animo ſe accuſandi, ſed potius pervertendi Cōfeſſarium, illumque incitandi ad malum, vel animo illudendi illum,non eſt Confeſſio, & conſequenter nec Sacerdos illud celare tenetur; ſed ante debet proteſtari, quòd tale quid nec recipit, nec recipere tenetur ſub ſigillo Confeſſionis,ad ſcandalum vitandū. Quod intellige,niſi ex tali proteſtatione ſequeretur malum majus ſcandalo confitentis, putà homicidium. Sylv. *verb. Confeſſio* 3. *qu*.5. Emm. Sà *verb. Confeſſor num*.17. Bonac. *de Sacr. diſp*. 5. *qu*.6. *ſect*.5. *pun*.2. *num*.3.*&* 7. Diana *par*.5. *tract*.11. *reſol*.25. Imò ſi illud propoſitum committendi peccatum urgeret in periculum, vel damnum Communitatis,vel etiam privatæ perſonæ, non ſolum Confeſſarius non teneretur celare, ſed manifeſtare deberet, ſi id poteſt commode ſine damno ſuo,& cum proximi utilitate,etiam peccantis, ut idem Sylveſter docet egregiè.

1968 Inter. 11. Quando aliquis extra Confeſſionem dicit, hoc tibi dico ſub ſigillo Confeſſionis, obligatnè, ac ſi fuiſſet dictum in Confeſſione?

Reſp. Dico quod non, ſed ſolum obligat ſub ſecreto naturali, ut de communi docet Tolet. *lib*. 3. *cap*. 16. *num*.7. *in fine*, Diana *ubi ſupra reſ*.54. & alii communiter. Vide Cajet. *in Summ. verb. Confeſſoris neces prope finem* idem docentem.

1969 Inter. 12. Confeſſarius,qui dicit in illa Civitate, vel alio loco, ubi Confeſſiones audit, committi peccatū ſodomiæ, vel aliud, &c. frangitnè ſigillum Confeſſionis?

Reſp. Affirmat Hurtadus *diſp*. 12. *de Pœnit. diffic*. 4. maximè quando Civitas non eſt ampla, & pœnitentes ſunt aliquo modo ſuſpecti, quia tunc ex revelatione illa, evenit pœnitentibus aliqualis infamia, ob quam Confeſſio fit illis odioſa,& ab ea retrahuntur. Et hoc multo magis dicendum eſt de locis non ità amplis, ut de Villis,& Caſtris,vel ſi confeſſus eſt Religioſus. nominaret Religionem; ad quam pertinet vel Monaſterium talis Civitatis, dicens gravia ſcelera in eo committi, Bonac. *de Sacr. diſp*. 5. *quæſt*. 6. *ſect*.5. *pun*.4. *n*.3. & alii apud Dianam *par*.5. *tr*.11. *reſ*. 35. *& par*.2. *tr*.15. *reſ*. 13. ubi tamen ſuſtinet: Confeſſarium in dicto caſu peccare mortaliter, non autem frangere ſigillum, quod ultimum ego approbare non audeo, niſi illud alia via jam publicum eſſet, atq; Confeſſario notum, & ut tale, Sacerdos referret. Vide Dianam locis citatis,qui pro utraque parte Doctores refert. Ceterum,nunquam tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum, ideòque cautè eſt procedendum in dicto caſu.

1970 Inter. 13. Poteſtne Confeſſarius manifeſtare proditionem Civitatis,aut alterius necem,quam in Confeſſione cognovit?

Reſp. Quoties periculum eſt, ut auctor detegatur,& Rei deprehendantur, non poteſt, quia numquam licet uti ſcientia Confeſſionis, cum revelatione, ſeu periculo revelationis alicujus pœnitentis, ad tuendum bonum tem-

temporale, non ſolùm alicujus particularis hominis, verùm etiam totius mundi, ut omnes Doctores fatentur. Tolet. *lib.3. cap.16. num.3. & 6.* Vide Bonac. *loc. ſup. cit. num.* 18. *& ſeqq.* Dianam *par.5. tract.11. reſol.* 25. *verſ. dico ſecundò*: Poſito verò, quòd dictum periculum non adſit, poteſt generaliter monere, ut caveatur, ſicut, & is, cui parata eſt nex, moneri, ut caveat tali loco, & tempore. Emm. Sà *verb. Confeſſor. num.*18. Bonac. ibidem, & alii plures penès ipſum, imò teſtatur de communi: Sed ſi Confeſſarius poteſt pœnitentem à peccato retrahere; non erit neceſſaria dicta admonitio, cui malum impendet, nam ſupponitur ceſſare periculum, ut benè advertit Bonacina. Nota tamen reſponſionem, *ad Int.*18. & Vide ea, quæ dixi *in tit.* 70. *de Differentiis ad Int.* 18.

1971 Inter. 14. Poteſtne Confeſſarius dicere Prætoribus Urbis, aut Inquiſitoribus, ut diligentius invigilent?

Reſp. Minimè; quia ipſi ſtatim conjicient id ex Confeſſione Confeſſarium ſcire, quod quidem redundat in detrimentum ſigilli, & multo magis non debet ipſos monere, nec eis dicere, periculum imminens ſe ſcire in Confeſſione, cum ejuſmodi forma odioſam reddat Confeſſionem. Diana *par.3. tract.4. reſ. 76. §. ex quibus*, & alii ab ipſo relati. Nam forus Confeſſionis nullum habet commercium cũ his admonitionibus externis.

1972 Inter. 15. Poteſtne Confeſſarius negare ſuffragium illi, cujus defectum ſcit ſolum per Confeſſionem, vel monere in communi Superiorem de peccato, quod ſcit in Confeſſione ſolere committi, ut provideat, vel, ut ſolito diligentius invigilet?

Reſp. Quidquid alii in contrarium dicant: non eſt recedendum à ſententia, quæ docet non licere uti ſcientia Confeſſionis in electione, & in omnibus, quæ pœnitentem gravant, & Confeſſionem reddunt odioſam. Et quia in hoc plurimi decipiuntur miſerrimè, ideòque jure meritò Clem. VIII. Anno 1594. 26. menſis Maii, Regularibus præcepit, ne notitia Confeſſionis ad externam gubernationem utantur. Em. Sà *verb. Confeſſor in fin.* Bonac. *de Sac. diſp.5. qu.6 ſect. 5. pun.4. num.*14. 16. *&* 22. & præcipuè Diana *loc. ſup. cit.* ubi fusè de hac tractat materia, & ad objecta luculenter reſpondet, *& par.5. tract. 11. reſ.3. &* 4. idem fortioribus terminis probat. Ideò ſigillum Confeſſionis debet ſtrictiſſimè ſervari, etiam in caſibus prædictis.

1973 Inter. 16. Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius, qui in Confeſſione novit ſibi inſidias ab alio parari? vel ſi in Confeſſione novit, aliquem non eſſe Sacerdotem, poteſtne abſtinere à Confeſſione illi facienda?

Reſp. Ad primum dubium, dico: poſſe ſe domi continere, aut ſi exeat intus armis ad defenſionem ſolam inſtrui. Ad ſecundum dico, poſſe quæſito bono titulo, non illi deinceps, ſed alteri confiteri. Et ratio eſt, quia in his caſibus, & ſimilibus injuſtè aliquis, & irrationabiliter retraheretur à Confeſſione, cum nullus pudor, nulla confuſio, aut nullum damnum ſequatur pœnitenti: Imò potius ſcientiæ, & prudentiæ Confeſſarii adſcribi debet. Sanchez *de Matrim. to.1. lib.3. diſp.16. n.3.* Sylv. *verb. Confeſſarius3. quæſt.*19. Bonac. *loc. ſup. cit. num.* 17. *&* 28. Diana *par.5. tr.11. reſ.* 3. §. *notandum eſt tamen*, & alii plures penes ipſos.

1974 Inter. 17. Sacerdos, qui ex Confeſſione cognoſcit, in vino, in quo facturus eſt Sacrum, eſſe immixtum venenum, poteſtne cum periculo revelandæ Confeſſionis, petere aliud vinum, vel Sacrum omittere?

Reſp. Sotus, Suarez, & alii, quos dat, & ſequitur Diana *par.5. tract.11. reſ.* 46. §. Secundo infertur, dicunt, quòd ſi adſit ſuſpicio revelandæ Confeſſionis, teneatur vinum ſic mixtum ſumere, & Deo ſe commendare. Et ratio eſt, quia revelatio Confeſſionis etiã indirecta eſt per ſe mala, & peccatum

catum mortale: Verùm ſi poſſit aliquo honeſto titulo operari, ut nulla indè poſſit oriri ſuſpicio revelatæ Confeſſionis, nullum eſſe peccatum, Sacrum omittere, vel aliud vinum petere, aſſerunt Viri docti.

1975 Inter. 18. Si Sacerdos, qui iter habet cum latronibus, audiat Confeſſionem unius revelantis, in animo eos habere ipſum occidere intra ſylvam: teneturnè talis Confeſſarius ſylvam intrare, & mori, vel potius iter declinare, ſi adſit periculum revelationis confeſſionis?

Reſp. Multi probabiliter dicunt, quod non teneatur intrare, nec per hoc reputari debeat confeſſionis revelator: quia ex ſui natura, peccatum non prodit confeſſum, qui aliò divertit, & recedit à Sylva, eſt enim ſignum indifferens ad ſignificandum, tale peccatum fuiſſe confeſſum, vel non; unde poteſt Confeſſarius aliquo prætextu, ſine mendacio tamen, aliò divertere. Ità docet Sylv. *verb. Confeſſio* 3. *n.* 12. Corradus *in Reſp. quæſ.* 336. *in princ. addit.* Peyrinus *tom.* 2. *de Prælato q.* 3. *cap.* 2. §. 2. *num.* 65. & alii plures. Oppoſitum tamen, & verius docet Diana *par.* 5. *tr.* 11. *reſol.* 45. §. Ex quibus, & alii ab ipſo relati.

1976 Inter. 19. Eſtne Hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus Confeſſarius, qui confeſſionem Sacramentalem revelat?

Reſp. Si non habet errorem in intellectu, defendendo licitam eſſe revelationem hujus ſigilli, vel alitèr non malè ſentiat de Sacramentis Eccleſiæ, non eſt hæreticus, neque de hæreſi ſuſpectus. Ideòque præter dictos caſus in S. Officio non recipitur denunciatio contra talem Confeſſarium, ſed remittitur ad Judicem Eccleſiaſticum, ſcilicèt ad Ordinarium. Diana *par.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 95. & eſt communis ſententia.

1977 Inter. 20. Epiſcopus, vel alius Superior, à quò petitur facultas abſolvendi à reſervatis, teneturnè ad ſigillum?

Reſp. De hoc ego non dubito; quia Superior intelligitur intervenire in ipſa confeſſione Sacramentali, ergo ligabitur ſigillo eodem modo, quo Confeſſarius, aliàs Confeſſio redderetur valdè odioſa: Imo notandum eſt, quod inferior petens veniam à caſu reſervato, nullatenus poteſt perſonam aperire, vel caſum ita explicare, ut ea venire poſſit in notitiam Superioris, nec Superiori poteſt curiosè inquirere cũ periculo veniẽdi in notitiam perſonæ. Dian. *par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 12. & alii plures ab eo allegati. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 5. *pun.* 3. *num.* 3. & alii apud ipſum. Denique ſi ſcire deſideras ſigillum Sacramentale, quas perſonas obliget; vide Tolet. *lib.* 3. *c.* 16. *num.* 6. Dian. *loc. cit. reſol.* 11. *verſ. notandum eſt tamen.*

1978 Inter. 21. Qui invenit chartam, in qua ſcripta ſunt alicujus peccata: teneturnè ſub ſigillo Confeſſionis illã celare?

Reſp. Aliqui dicunt, teneri ſolùm ex vi ſigilli naturalis, non verò ſub ſigillo Confeſſionis. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 5. *pun.* 3. *num.* 7. & alios. Mihi tamen magis placet illorum ſententia, quæ docet teneri ſub ſigillo Confeſſionis, eo modo, quo tenetur Confeſſarius, aut alius, qui ex dicto Confeſſarii, vel caſu, aut malitia Confeſſionem audivit; Nam charta illa poteſt dici confeſſio inchoata; & ſi peccata jam fuerint confeſſa, dicitur confeſſio effecta; Ergo ſub ſigillo confeſſionis celari debent. Et hæc ſententia utiquè eſt tenenda, utpotè favorabilior Confeſſioni. Ità, pluribus alleg. docet Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 112. & *par.* 5. *tract.* 11. *reſ.* 27. quibus in locis utriuſque ſententiæ Doctores refert, ſed ipſe, ut dixi, noſtram ſententiam amplectitur: Vide Graffum *par.* 1. *deciſ. aur. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 43.

1979 Inter. 22. Peccatne mortaliter, vel venialiter tantùm, qui chartam invenit, in qua peccata alicujus continentur, ſi illam curioſitate ductus, legat, & aliis divulget.

Nn *Reſp.*

Reſp. Si dictæ ſchedulæ repertor, moraliter certus ſit, non niſi levia, & non infamantia peccata in ea ſcripta eſſe: non debet cenſeri, pluſquam venialiter peccaſſe, ſi legat, vel lecta divulget. Ità docet Layman *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 15. *num.* 19. Verùm hæc opinio aliis non placet, & meritò, etenim communis ſententia docet, peccare mortaliter, ut benè notat Bonac. *loco ſupra cit. nu.* 9. Imò Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 112. *in fin.* aſſerit, non ſolùm peccare mortalitèr, ſed etiam frangere ſigillum Confeſſionis. Et ità tenendum eſt per ea, quæ dixi *ſuprà ad Inter. antecedentem* Dicendum eſt igitur in caſu noſtro, peccare mortaliter qui legit aliquid poſtquam cognoverit in ea charta contineri peccata, & multò magis, ſi aliis divulget, quia gravem infert injuriam pœnitenti invito. Vide Reginaldum *in praxi tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 30.

1980 Inter. 23. Qua pœna eſt puniendus Confeſſarius, qui Confeſſionis Sigillum perfringit?

Reſp. De Jure antiquo erat puniendus Confeſſarius, qui Confeſſionis ſigillum perfringebat, pœna depoſitionis, & ut perpetuò ignominiosè peregrinaretur. Habetur *ex cap. Sacerdos de pœnit. diſt.* 6. Nunc autem per Jus novum confirmatur eadem depoſitionis pœna. Sed nè Sacerdos cum dedecore ſtatus Eccleſiaſtici cogatur ſtipem mendicando quærere, commutata fuit pœna peregrinationis in pœnam perpetuæ recluſionis in Monaſterio ad agendam pœnitentiam, ut patet *in cap. omnis utriuſquè Sexus de pœnit. & remiſ.* & tradunt Sylveſ. *verb. Confeſ.* 3. *num.* 4. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *num.* 3. *in fin.* Dian. *par.* 5. *tract.* 11. *reſ.* 51. Em. Sà *verb. Confeſſor. num.* 31. & alii communiter. Vide Armillam *verb. Confeſſor num.* 13.

1981 Inter. 24. Si verò non ſit Confeſſarius, qui revelat alterius Confeſſionem: ſed alia perſona, qua pœna debet puniri?

Reſp. Quia aliæ perſonæ in fractione Sigilli non ità graviter peccant, ac Confeſſarius; ideò eadem pœna puniendæ non ſunt, ſed mitiori, & arbitraria, licèt multò gravior eſſe debeat, quàm ſi ſolùm ſigillum naturale fregiſſent. Ità pluribus relatis firmat Diana *loco proximè citato*. Sylveſ. *ubi ſupra*, & alii plures penes Bonac. *loco ſupra cit.*

TITULUS CCV.

De Simonia.

Vide tit. de Beneficiar. &c. Inter. 10. *tit. de Benefic. permut. Inter.* 1. 2. *tit. de Concion. &c. ad quæſ.* 2. *tit. de Elect. &c. Inter.* 8. *tit. de Hor. Can. &c. Inter.* 1. *tit. de Ignor. Inter.* 10. *tit. de Infam. Int.* 2. *tit. de Mutu. Int. ult. tit. de Parv. mat. Inter.* 1. 15. *tit. de Penſion. &c. Inter.* 3. *tit. de Reg. &c. Inter.* 102. *tit. de Reliq. Sac. Inter.* 5. *tit. de Sac. Bapt. Inter.* 10.

1982 INter. 1. Quid eſt Simonia, & quale peccatum eſt Simonia?

Reſp. Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Ità S. Tho. 2. 2. *quæſt.* 100. Sylv. *verb. Simonia num.* 1. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 84. & alii communiter in definitione ſimoniæ: Præterea, ſimonia ex genere ſuo eſt peccatum mortale contra Religionem, & conſequenter ſacrilegium. Ità ex triplici capite peccat Simoniacus. Primo quia vendit, quod venale non eſt. Secundo, quia vendit, quod ſuum non eſt, & Tertio, quia facit contra originem rei ſpiritualis: Eſt autem ſimonia prohibita Jure divino, naturali, & Eccleſiaſtico: Verum eſt tamen, quod datur aliqua ſimonia, quæ non eſt prohibita, niſi Jure canonico, ut eſt permutare beneficium cum beneficio abſque Pontificis licentia, item vendere penſiones, vel aliquod Officium, ut Æconomi, Sacriſtæ &c. Vide

de Tolet. *ubi ſupra cap.* 85. Sylveſt. *verb. ſimonia*, Cajet. Em. Sà *eod. verb.* & alios.

1983 Inter. 2. Simonia quotuplex ex eſt? & quotupliciter poteſt committi?

Reſp. Omnes docent, & aſſignant tres ſpecies principales Simoniæ ergo triplex eſt Simonia, ſcilicet mentalis, realis, & conventionalis, & poteſt committi tripliciter *à manu*, quando datur pecunia, vel alia bona mobilia, vel immobilia; *ab obſequio*, ut ſervitia, *& à lingua*, ut laus, adulatio, preces v. g. ſi Petrus domeſtico, vel amico collatoris pecuniam daret, ut illũ ad ſibi beneficium conferendum inducat. Steph. à S. Greg. *de Contract. lib.* 2. *cap.* 88. *num.* 11. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 151.

1984 Inter. 3. Quatupliciter poteſt committi Simonia mentalis?

Reſp. Dupliciter: Primò, quod quis interius vult rem ſpiritualem pretio contractare, & voluntate deliberata, ſed hoc ad actum externum non deducit, quia non invenit cum quo tractare poteſt, vel quia pœnituit, aut ex alia cauſa. Secundò, quando quis exteriùs aliquod ſpirituale tractat mediante pretio, ſed non manifeſtat exteriùs eſſe pretium, & poteſt committi hæc ſimonia mentalis, vel ex parte unius dantis, aut ex parte utriuſque. Undè quandò non adeſt pactum implicitum, vel explicitum, & intercedit pretium, ſed non ſub ratione pretii, niſi cum intentione interna, & opus exteriùs ſequitur, tunc ſimonia mentalis dicitur. Ità docet Toletus *lib.* 5. *cap.* 86. *num.* 1. & eſt communis doctrina. Vide *infrà ad Inter. ſequentem* Bonacinam *de Simonia diſp.* 1. *quæſt.* 2. *per totam*.

1985 Inter. 4. Propter ſimoniam mentalem incurriturne aliqua pœna?

Reſp. Nulla ſimonia mentalis incurrendi pœnam eſt cauſa, licèt progrediatur exteriùs, dummodò non exprimatur pactum, aut pretium, ſed tantùm in mente ſiſtat. Colligitur ex *cap. vult.* de Simonia, & docet Toletus ex Panormitano, Sylveſtro, & Cajetano, & aliis allegatis firmat Lezana *tom.* 2. *verb. Simonia num.* 23. Qui etiam addit ſecundùm aliquos, quod nemo poſſit puniri ob Simoniam mentalem, quia licèt à Simonia mentali opus externum imperetur, tamen in eo ſimoniæ labes non ſatis proditur ut de illa Eccleſia judicare valeat. Undè propter ſimoniam mentalem, etiam illam, quæ in actum externum profluit, præter peccatum mortale, nulla incurritur pœna, nec reſtituendi obligatio. Vide Sylveſtrum *verb. Simonia num:* 20. *& ſuprà ad Inter. antecedentem*.

1986 Inter. 5. In quo conſiſtit ſimonia confidentialis, à qua abſolvere nequeunt Confeſſarii Regulares, vigore privilegiorum?

Reſp. Simonia confidentialis conſiſtit in reſignatione, collatione, electione, vel præſentatione Beneficiorum, hoc animo, & intentione, ut ipſa, vel fructus ipſorum, vel in partem reſtituantur ipſi Reſignatario, Conferenti, Eligenti, vel Præſentanti, aut alteri, juxtà ipſius voluntatem, ſeù electionem. Ità Bonac. *tom.* 1. *in tract. de Simonia diſp.* 1. *quæſt.* 7. *pun.* 1. §. 1. *num.* 1. Lezana *loco proximè cit. n.* 19. & alii penes ipſum. Et hæc quidem ſimonia eſt pœnis ſubjecta, licèt completa non fuerit.

1987 Inter. 6. Simonia conventionalis, quomodo, & quotupliciter committi poteſt? Et incurriturne aliqua pœna propter talem ſimoniam?

Reſp. Quando adeſt aliquod pactum exterius explicitum, vel implicitum, & non ſequitur conſummatio operis ex utraque parte; tunc committitur ſimonia conventionalis, & tripliciter fieri poteſt: Primò, quando tantùm eſt pactum pretium, ſed nondum eſt datum pretium, nec tranſlatum beneficium. Secundò, quandò cum pacto pretium, eſt tranſlatum, ſed nondum eſt accep-

tum beneficium. Tertiò, quando eſt datum beneficium, vel res ſpiritualis, ſed adhuc pretium non eſt acceptum. Si ex utraque parte talis ſimonia eſt perfecta, & conſummata, tunc dicitur ſimonia realis. Vide Toletum *lib*. 5. *cap*. 86. *num*. 2. Et nota, quod propter ſimoniam purè conventionalem, quæ in ſola conventione ſiſtit, nulla pœna Juris incuritur, quià Sacri Canones, qui pœnas inſligunt ſimoniacis, non meram conventionem ſed dationem, acceptationem, ordinationem, & aliam realem executionem exprimunt; ut patet *Extravag*. 1. & 2. *de ſimonia*, aliiſque Juribus. Ita ex Navarro, & Leſſio, Suarez, & Sanchez docet Lezana *tom*. 2. *verb. Simonia ſub num*. 23. Vide Em. Sà *verb. Simonia num*. 6. & concordat Toletus *ubi ſupra, cap*. 93. *ſub num*. 1. Sed non quando unus dat beneficium, & nondum alter dedit pretium, ſed promiſit, nam in hoc caſu, putat Toletus eſſe ſimoniam realem, & conſequenter ſubiici pœnis contra ſimoniacos inflictis, & rectè hoc probat. Tamen omnes tres, ex genere ſuo mortalia ſunt peccata, & in hoc omnes conveniunt.

1988 Inter. 7. Pecuniam pro re ſpirituali traditam fuiſſe, quomodo cognoſci poteſt, tam in foro interno, quam externo?

Reſp. Cum ſimoniæ culpa, magna ex parte pendeat ab intentione operantis, ut dicitur *in cap. tua nos de ſimonia*, ideò ſtandum eſt dicto delinquentis in foro poli. In foro verò externo, plura inſpicienda ſunt, ut licitè cenſeri poſſit an res temporalis tradita fuerit tamquam pretium rei ſpiritualis, vel motivum, nam ut benè docet P. Piſanus, omne motivum temporale æquivalet pretio. Ceterùm vide Bonac. *de Simonia*, *diſp*. 1. *quæſt*. 1. §. 2. *per totum*, qui fusè, & luculenter plures tradit regulas ad intentum. Item vi de Armillam *verb. Simonia num*. 2. & 3. Ego enim brevitatem amplector.

1989 Inter. 8. Titius, pro acquirenda Cappellania quandam dedit certam ſummam pecuniarum; qua mediante aſſequutus eſt intentum, eſtne labe ſimoniacâ infecta hujuſmodi Capellaniæ acquiſitio?

Reſp. Oportet diſtinguere, ſi eſt Capellania Eccleſiaſtica, ſcilicet auctoritate Epiſcopi fundata, certò eſt ſimonia dare pecuniam pro ea acquirenda; quia eſt ſpirituali annexa: ſi verò eſt Capellania Laicalis, ideſt ſine auctoritate Eccleſiaſticâ fundata, non eſt ſimonia, quia ex pactis initis circa Capellanias Laicales, non committitur ſimonia, ut docet Gonzalez *ſuper Reg*. 8. *Cancell. Gloſ*. 5. *num*. 25. nam vitium ſimoniæ non cadit in ea, quæ nomen Beneficii Eccleſiaſtici nō merentur, ut ſunt Capellaniæ ſine auctoritate Epiſcopi fundatæ. Pyrrus Corradus *in praxi beneficiaria lib*. 4. *cap*. 5. *num*. 56. & *ſeqq*. Undè Caſtro Palao *par*. 3. *oper. moral. tract*. 17. *diſp*. 3. *de Sim. pun*. 13. *num*. 14. ſic inquit. Capellaniæ, ſine Epiſcopi auctoritate fundatæ, poſſunt abſque labe ſimoniæ, pecunia obtineri: imò ita pluries decidiſſe Rot. teſtatur. Vide Navar. *tom*. 1. *lib*. 3. *tit. de præb. conſ*. 5. Moronum *reſp*. 8. *ſub num*. 3. Zerolam *in praxi Epiſc. par*. 2. *verb. Beneficium* §. 10. Andream à Matre Dei *in curſu Theol. moral. tom*. 4. *tract*. 19. *cap*. 2. *de Sim. pun*. 11. *ſub num*. 81. & alios, quos brevitatis gratia, citare omitto.

1990 Inter. 9: Cajus dedit temporale pro ſpirituali, ſed non tanquam pretium, ſed ſolum tanquam motivum habendi, v. g. beneficium; commiſitne peccatum ſimoniæ?

Reſp. Dicunt quidam, quod nunquam committitur ſimonia, niſi cum temporale datur tanqnam pretium pro ſpirituali. Tolet. *lib*. 5. *cap*. 87. *ſub num*. 1. Dian. *par*. 5. *tr*. 4. *reſ*. 75. Roſignol. *tom*. 3. *praxis Theol. contract*. 8. *de ſimon. prænot*. 25. *diſquiſit*. 1. §. 2. & alii: Tamen hoc, tanquam ad minus ſcandaloſum, fuit reprobatum ab In-

Innocen. XI. & eſt propoſitio 45. in ſuo Decreto reprobata: ergo Cajus peccavit peccato ſimoniæ: nec tuta conſcientia poteſt beneficium retinere.

1991 Inter. 10. Incurritne ſimonię crimen, qui promittit aliquam ſummam pecuniæ pro beneficio obtinendo, proteſtans ſe illam daturum gratitudinis cauſa, & non ex debito juſtitiæ?

Reſp. Non deſunt Auctores pro negativa ſententia, ut videre eſt apud Dianam *par. 2. tract. 16. reſol. 37. & par. 6. tract. 6. reſ.* 42. Tamen fatetur Diana *hoc ultimo loco cit.* hanc opinionem ſolùm ſpeculativè probabilem eſſe, ſed in praxi putat, nullo modo amplectendam, & rectè quidem: nam in ſpiritualibus omnis pactio, omniſque conventio ceſſare debet, quià ſemper continent labem ſimoniæ, ut patet ex diverſis Juribus Canonicis, & Doctoribus *cap. fin. de pact. & cap. ex par. 1. de offic. deleg. &c.*

1992 Inter. 11. Poteſtne quis ſine labe ſimoniæ pro pretioſe obligare per annum, vel duos, aut tempus aliquod ad Sacramenta miniſtrandum, vel celebrandum?

Reſp. Dico: quod ſic, quia non vendit rem ſpiritualem, ſed ſuam libertatem; undè ſine peccato poteſt pretium exigere pro tali obligatione. Ita Cajet. *verb. ſimonia*, & ex eo Toler. *eodem lib. 5. cap. 88. ſub num. 2. verſic. dico tertiò*, & de hoc nullus dubitat, nam habetur ex Gloſſ. *in capitulo ſignificatum de præb.*

1993 Inter. 12. Eſtne ſimonia dare pretium Paulo, ut intercedat apud Petrum, ut ipſe Petrus intercedat pro me apud Epiſcopum, ut mihi tale beneficium conferat?

Reſp. Licèt nonnulli conentur defendere, non eſſe ſimoniam, ut videre licet apud Dianam *par. 4. tract. 4. reſol.* 151. tamen hoc multum diſplicet aliis rectè ſentientibus, preſertim Turriano *in ſelect. diſp. cent. 3. dub.* 75. atque ipſi Dianæ. Ideòque dicendum eſt omninò, eſſe ſimoniam, & nullo modo licere, nec in praxi eſt tenendum oppoſitum. Vide Em. Sà *verb. Simonia num.* 3. ubi ſic inquit. At ſimonia eſt dare alicui temporale quid, ut ſuadeat alteri, quod det beneficium.

1994 Inter. 13. Committuntne ſimoniam Examinatores, ſi occaſione examinis aliquid accipiunt?

Reſp. Nihil prorſus abſque vitio ſimoniæ, nec ante, nec poſt examen accipere poſſunt, etiam gratis, & liberaliter datum, etiam ſi res modica ſit, & levis momenti. Nam Conc. Trid. *Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 18. ità ſub gravibus pœnis, mandat. Undè, nec ipſi dantes abſolvi poſſunt, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocunque etiam ante obtinebant, & ad alia in poſterum inhabiles fiunt. Ità docent plures Doctores apud Barboſam *in collect. ad Triden. loco ſupra cit. n.* 106. Bonac. *de ſimonia diſp. 1. q. 7. pun. 2. diff. 1. num.* 5. & alii ab ipſo relati. Nec Epiſcopus, nec alius Ordinarius poteſt ſtatuere aliquod ſtipendium Examinatoribus deputatis in Synodo pro concurſu Parochialium, licèt probabile ſit, poſſe Ordinarium aliquid de ſuo his Examinatoribus concedere titulo præmii, vel ſtipendii, aut ſuſtentationis, quia Concilium in præſenti non videtur loqui de Epiſcopo, ſeù Ordinario. Vide Bonacinam *ubi ſupra num.* 6. & Barboſam *de poteſt. Epiſc. par. 3. alleg.* 60. & de officio Parochi *cap. 2. num.* 80. *& ſeqq.*

1995 Inter. 14. Qui obtinet Prælatiam, vel aliud Beneficium Eccleſiaſticum per ſimoniam, ad quid tenetur?

Reſp. Dico quod omnis electio, proviſio, nominatio, & confirmatio ſimoniacè facta, eſt ipſo jure nulla, antè omnis Judicis ſententiam, etiam declaratoriam. Undè ſic electus tenetur in conſcientia Prælaturam renunciare, nec antè renunciationem poteſt abſolvi. Ità habetur in Extravag. *Cum deteſtabile 2. de ſimonia* Suarez *de Relig. lib. 4. cap.* 57. Leſſius

de juſt.

Digitized by Google

*de juſt. c.*35. *dub.*25. & alii communitèr. Vide Emm.Sà *verb. ſimonia n.*10. & Armillam *verb. Renunciatio ſub num.*4. Imò fructus etiam conſumptos reſtituere: Sà *ibidem num.* 11. Et nota ex eadem Extravag. quod per ſimoniam realem in beneficiis, quis incurrit in excomunicationem Papæ reſervatam:& hoc intelligitur nõ ſolùm reſpectu dantis, & recipientis, ſed etiam reſpectu procurantis alteri per ſimoniam realem beneficium, & eligendo,præſentando, poſtulando, inſtituendo,confirmando, commendando, &c.Navar.*in cap.*23.*n.*11.Non eſt autem beneficium Vicariatus temporalis, nec penſio, nec Jus patronatus, aſſerit Sà *loco ſupra cit.num.* 6. Stephanus à S. Gregorio *de contract. lib.* 2. *cap.* 90. *nu.*9. cum eodem Navarro,& Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 157. *Vide ad Inter.* 16.

1996 Inter. 15. Si in tali caſu ſimonia fuerit occultè commiſſa, teneturne quis ſe abdicare à Prælatia,& poteſtne abſolvi ſi non dimittat?

Reſp. Adhuc tenetur in conſcientia ſe ab illa abdicare,aliàs non poteſt abſolvi. Ità habetur ex eadem Extravag. *cit. & cap. Matthæus,de ſimon.* & docet idem Suarez *loco proximè cit. cit. num.* 27. & alii. Et hoc quod dictum eſt de Prælatia,intelligitur etiam de omni beneficio, per ſimoniam realem adepto.

1997 Inter. 16. Danturne aliæ pænæ, quæ incurrantur ipſo facto à ſimoniacis?

Reſp. Dico,quod nulla ſimonia inducit pœnas Juris ipſo facto incurrendas, niſi in Ordine, beneficiis, & Religionis ingreſſu. Undè, ſi quis in aliis Sacramentis conferendis, vel accipiendis, in conſecrationibus, benedictionibus, diſpenſationibus, & in penſione vendenda, & emenda, vel redimenda, in Vicaria temporali conferenda, Simoniam committat, graviter quidem peccabit, non tamèn contrahet pœnam excommunicationis,ſuſpenſionis,aut inhabilitatis.Quod proindè itidem dicendum videtur de permutantibus, ſinè debita auctoritate beneficia. Ità, pluribus relatis firmat Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 157. Lezana *tom.* 3. *verb. ſimonia num.* 22. Stephanus à S. Gregorio *de contractibus lib.* 2. *cap.* 90. *num.* 1. à quibus plura haberi poſſunt circà tale dubium Bonac. *de ſimon.diſp.*1.*quæſt.* 7. *pun.* 1. §. 1. *per totum*.

1998 Inter. 17. Contra obtinentes dignitates,vel beneficia Eccleſiaſtica per ſimoniam,eſtne impoſita pęna infamiæ

Reſp. Dico quod eſt impoſita pœna infamiæ; & colligitur *ex cap. Sanè* 15. *quæſt.* 3. *& cap. Si quis præbendas* 1. *quæſt.* 3. Azorius *lib.* 12. *cap.* 21. *quæſt.* 7. Lezana *tom.* 1. *c.* 15. *ſub n.* 33. *& tom.* 3. *verb. ſimonia n.*27. & habetur in extravag. 1. *de ſimonia*, §. *Ceterum*. Verum eſt tamèn, quod hæc pęna infamiæ nõ incurritur ipſo facto, ſed requiritur Judicis ſententia declaratoria, niſi factum ex ſe ſit notorium, & conſequenter fiunt etiam irregulares ratione infamiæ contractæ. Vide Dianam *par.* 10. *tract.* 15. *reſol.* 8. *verſ. Hanc enim ſententiam verb. Notandùm eſt tamèn*, ubi docet ex Barb. ſimoniacum occultum, non incurrere irregularitatem. Idem docuit *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 93. *verſ. Verùm*.

1999 Inter. 18. Reſignans Beneficiũ Eccleſiaſticum cum intentione,ut Reſignatarius iterum reſignet ſuo Nepoti. Committitne ſimoniam, & incurritne pœnas contra ſimoniacos latas?

Reſp. Caſtropalaus *tom.* 3. *diſp.*3. *de ſimonia punc.* 18. *num.* 4. exiſtimat Reſignantem beneficium ea intentione, ut Reſignatarius maneat obligatus iterum in ſui favorem Beneficium reſignare, vel fructus ſolvere, committere ſimoniam, modò tamèn intentio illa recipienti beneficium manifeſtetur, quià, abſque hac manifeſtatione, ſolùm eſt mentalis ſimonia, quæ pœnis Eccleſiaſticis non ſubjacet; ut conſtat *ex cap. fin. de Simonia*. Et huic ſen-

ſententiæ adhæreo; non obſtantibus aliis oppoſitum docentibus, quos videre poteris apud Dianam *par.9.tr.9. reſ.* 18. ubi latè de hac tractat dubitatione.

2000 Inter. 19. Poteſtne quis abſque vitio ſimoniæ reſignare beneficium, cum pacto de penſione redimenda?

Reſp. Communis ſententia docet non poſſe; nam reſignans beneficium cum onere penſionis, non poteſt facere pactum, ut conſtituta penſio redimatur, quia tale onus eſt pretio æſtimabile. Ità tradunt Toletus *lib.* 5. *cap.* 92. *ſub nu.*1. qui citat Cajetanum *opuſ.*16. *quæſt.* 10. nec diſſentit Leſſius *lib.*2. *cap.*35. *dub.* 22. *nu.*124. Garcias *de benefic. tom.*2. *par.*11. *cap.*3.*nu.*172. Caſtropalaus *tom.*3. *de ſimonia pun.*13. *num.*11. & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par.*10. *tract.*14. *reſ.*1.

2001 Inter. 20. Committitne ſimoniam, qui ſine licentia Papæ reſignaret beneficium cum reſervatione penſionis, & obligaret Reſignatarium, ut fidejuſſorem ſæcularem, vel aliquam hypothecam aſſignet, aut illi anticipatè ſolvat?

Reſp. Idem Caſtropalaus *loc. ſup. cit. pun.*17. *num.*14. apud Dianam *ubi ſupra*, aſſerit, eſſe ſimoniacum contractum, quia obligat Reſignatarium ad id, quod de Jure non ineſt, & ex vi reſignationis ei onus prætio æſtimabile imponit, & pro ſe citat Leſſium *loco proximè cit. dub.* 15. *num.* 93. & Suarez *lib.*4. *cap.* 35. *num.* 23. *in fine.* Addit tamen ex Leſſio *ibidem*, quòd ſi poſt conſtitutam penſionem obligaretur reſignatarius ad hæc onera, ſimoniam non committeret in foro conſcientiæ, neque in foro fori, quia debet præſumi, liberè ſe obligaſſe, & cum Flaminio ait, communem eſſe hanc ſententiam.

2002 Inter. 21. Mejus reſignavit Titio beneficium, & petiit ab eo ſolutionem expenſarum, quas in ejus acquiſitione fecit, cōmittitne ſimoniam præfatus Mejus?

Reſp. Leſſius *ubi ſupra num.* 29. Suarez *num.*26. Flaminius *de Reſignat. quæſt.* 7. *num.* 1. cum aliis, teſte Diana *ex par.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 1. *verſ. nota etiam*, dicunt ſimoniam committere ità facientem. Et ratio eſt: quia petit aliquod onus, quod de Jure non debetur, nec ineſt reſignationi, & rectè hoc probat, ſed etiam colligitur *ex cap. ſuper hoc de Renunc. & cap. cum pridem de pactis.* Vide ſaltem Dianam *loco cit.* nam multi quidem naufragare poſſunt in tali caſu.

2003 Inter. 22. Committitne ſimoniæ peccatum Epiſcopus, qui confert Beneficium alteri in gratiam, ſeù ad inſtantiam Principis?

Reſp. Si Epiſcopus id faciat, ut facilius ad meliorem Epiſcopatum promoveatur, certò peccat peccato ſimoniæ, quia intendit lucrum, ſeù temporale commodum annexum Epiſcopatui. Si verò hoc faciat intentione evitandi offenſam, ſeù indignationem Principis, à quo ſperat aliquod temporale commodum, committit etiam ſimoniam, ſi id præſtet principalitèr ob prædictum finem, quià evitare offenſam Principis, eſt quid pretio æſtimabile. Unde Sotus *lib.* 9. *de Juſt. quæſt.* 7. *art.* 3. ait eſſe ſimoniam, ſi Rex, vel ejus Aulicus comminaretur Epiſcopo, quod niſi Sacerdotium tali perſonæ conferret, de gratia regia excideret, neque ad aliam eſſet aſcenſurus ſedem. Qui enim tali metu Sacerdotium conferret, id ad venandum Epiſcopatum faceret, ac proptereà ſimoniacus eſſet. Hactenùs Sotus. Et S. Thomas *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.*3. *ad* 4. ait. Si principalitèr moveatur timore rogantis, quantum ad divinum judicium ſimoniam committit. Si verò confert Beneficium, præcisè ob captandam benevolentiam Principis, nō eſt ſimoniacus, quia amicitia non eſt pecunia æſtimabilis, ut benè docent Cajet. *verb. Uſura cap.*1. *num.*4. & Soto *lib.*6. *quæſt.*2. allegans etiam S.Th. dicentem benevolentiam, & amicitiam.

tiam non eſſe pecunia æſtimabilem.

2004 Inter. 23. Famuli Epiſcoporum poſsuntne ſine labe ſimoniæ à ſuis Dominis Beneficium aliquod Eccleſiaſticum obtinere, aut penſionem, ſi abſque tali pacto illis inſerviant?

Reſp. Qui inſervit Epiſcopo, ut Epiſcopus ſua obſequia reſpiciens gratus ſit, ut det Beneficium via gratitudinis, non eſſet Simoniacus. Similitèr nec Epiſcopus, ſi hujuſmodi obſequia reſpiciens hoc modo daret. Ità docuit Toletus *in prima editione Inſtructionis Sacerdotũ Venetiis impreſſa* 1601. & Romæ 1609. *lib.* 5. *cap.* 90. *ſub n.* 1. Quæ tamen verba meritò omiſſa ſunt in poſtrema editione; ſimilitèr Venetiis 1657. Ego tamen dico, non eſſe audiendum unum, vel alterum Recentiorem docentem, poſse Petrum v.g. ſervire Epiſcopo ad conciliandam ejus benevolentiam, qua mediante poſtea ab ipſo beneficium, vel penſionem obtineat. Ratio hujus dicti eſt evidens; nam in tali caſu Petrus ſuum obſequiũ temporale ordinat tamquam medium ad conſecutionem alicujus ſpiritualis, veluti ad finem, ac proindè principaliter intenditur, quod in omnium ſententia eſt ſimoniacum. Tunc enim eſt motivum principale, quando per ſe Primò intenditur ſpirituale, mediante temporali, ita ut temporale ſe habeat, ut medium ad ſpirituale, tamquam ad finem ultimatum, & è contra ſpirituale ordinatur ad temporale. Etenim ly primò non ſumitur primitate ordinis, ſed finis, ita ut in eo ſiſtat intentio per ſe. Ità bene diſcurrit Piſanus *in gladio Gedeonis ad propoſitionem* 46. reprobatam ab Innoc. XI. Et ſecundùm hanc magiſtralem doctrinam, intelligenda ſunt, quæ brevitate docui *in hoc tit. ad Inter.* 9. *& docebo in tit.* 243. *de Vſura, & Vſurariis, ad Interr.* 19. Dicere verò, quòd cùm temporale tribuitur pro ſpirituali, & ſpirituale pro temporali, dependeat à voluutate, & intentione dantis, ut detur tamquã donum gratuitum, vel tamquam compenſatio, non ſatis eſt ad ſimoniam evitandam præfata voluntatis intentio: Circa quod tamen obſervandum, ad evitandam in hujuſmodi veluti commerciis ſimoniæ labem, non ſatis eſſe præfatam voluntatis intentionem, ſeu mentis intuitum. Si enim ſimiles prætextus gratitudinis, & benevolentiæ ſola mente, aut voluntate obſervati, excuſent, jam ſimonia adeo exulabit à rebus humanis, ut ne ipſe quidem ſimoniarum Pater Simon, ſimoniacus fuiſſe dicendus ſit; Nec Giezi eorum atavus meruiſſe lepram, qua divinitus percuſſus eſt. Neuter enim pro dono ſpirituali pretium obtulit, aut exegit. Simonis verba ſunt: *Date, inquit, & mihi hanc poteſtatem*: Dari ſibi petit non vendi. Pecunias offert, ſed tamquam motivum, vel pro gratuita compenſatione, ubi Apoſtoli dediſſent, quod petebat, & tamen audire meruit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*: Giezi quoque abſit, ut pactum inierit, ſed cum Naaman ſpontè ex benevolentia obtuliſſet munera, quæ *Benedictionem* vocat, & Propheta ea recuſaſſet, ipſe cucurrit poſt Naaman, & oblata acceptavit: *Da*, ait, *Talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices*. In hoc ergò peccat hæc doctrina, quod excuſet permutationem ſpiritualis pro temporali, dum intuitus ille mentis, ſeu voluntatis directio adhibetur, ut temporale non conſideretur tamquam pretium, cum interim re ipsa tãquam pretium detur. Quamvis enim nõ mox ſimoniæ accuſemus ſi quis v. g. accepto beneficio, ut gratum animum teſtetur munuſculum aliquod exile Patrono offert. Quo clarum ſit non ipſam Beneficii collationem compenſari, ſed affectum dumtaxat accipientis oſtendi: puta quale foret par Chirothecarum, ſed propriè, & ad litteram acceptum, non autem pro ſumma aliqua centenorum, aut millium florenorum pro Rheda cum equis, &c. At ſi quis notabilem pecu-

niæ

uix ſummam offerat, aut rem multo pretio æſtimabilem, quantumvis animo, ſeu voluntate oſtendat,illud ramquam donum gratuitum exhibere,ſibi ipſi mentitur, & proteſtationem facit facto ſuo contrariam, atque re ipſa confert tamquam pretium. Quamvis enim, ut dixi,res exigui momenti,muneris gratuiti poſſint loco haberi:at res magni momenti, quæ vel ipſum adæquant Beneficii fructum, vel bonam illius partem, quis exiſtimet aliter, quam pretii loco dari? Hinc etiam fit, ut talia munera nomine ſuo vocare, nemo audet, ſed honeſto vocabulo munuſculi jam dicti, quod nemo non honeſtum, & licitum reputat. Periculoſa ſane res eſt, ubi rem ſuo nomine appellare veremur. Ità fere Steyartius doctus Theologus Flander *ad propoſitiones* 45. *&* 46. ab Innoc. XI. damnatas.Concludendum ergò eſt ex huc-uſque dictis: quòd ſimonia committitur, quando quis pro temporali habet pro principali motivo, ſeu fine aliquod ſpirituale, ſive traditum, ſive tradendum; nam illa prior, eſt ſimonia realis, hæc poſterior ſimonia mentalis. Vide, ſi libet, eumdem Piſanum *in Gedeonis gladio ſuper propoſitiones* 45. *&* 46. ab Innoc. XI. reprobatas, qui latè, & perdoctè de hac tractat tam periculoſa, & lubrica materie. Ego enim in his meis laboribus, ut ſæpè dixi, brevitatem amplector.

2005 Inter. 24. Cancellarius Epiſcopi poteſtne tuta conſcientia ſumere aliquid pro licentia audiendi Confeſſiones,& concionandi?

Reſp. Hujuſmodi licentias dandas eſſe gratis, docet Diana *par.*5. *tr.* 13. *reſ.*70. Gavantus *in Man. verb. Licentiæ num.*3. ex Sac. Congreg. 16. Julii 1591. & apud Barboſ. *in Collect. Doctorum in Trident. ſeſſ.* 21. *de Reform. cap.*1. *num.* 14. Vicen. 8. Martii 1602. fuit deciſum, Notario, vel Cancellario nihil licere recipere, neque ratione ſcripturæ, neque ſigilli, neque laboris, aut alio titulo, ſed gratis iis, quorum intereſt, debere præſtari approbationem ad audiendas confeſſiones, & licentiam adminiſtrandi Sacramenta. Et Cancellario Epiſcopi nullo pacto licere,etiam ex vi Taxæ antiquæ pro approbatione ad confeſſiones audiendas, quidquam exigere. Barboſa *in ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *num.* 52. refert ex Aldano,deciſum in una Aprutina: notat etiam Diana ubi ſupra, illis verbis Concilii *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. Quæ ſcilicèt approbatio ad Confeſſiones audiendas *ab Epiſcopo gratis detur*,continere præceptum.

Denique in Taxa Innocentiana 1678. ſic habetur.

Si Proibiſce al Veſcovo, ſuo Vicario Generale, ò particolare, Cancelliero, ò qualunque altro Officiale, ò Miniſtro, e familiare, anco ſotto nome di mancia, ò volontario donativo eſigere, e ricevere emolumento alcuno così in denaro, come in qualunque altra coſa in tutto quello, che riguarda l'Amminiſtretione de' Sacramenti del Batteſimo, della Creſima, della Penitenza, dell'Eucariſtia, ò dell'Eſtrema Unzione, anco per l'eſame, & approvatione, ò licenza di amminiſtrarli. Et infra. *Si dichiara ancora illecito ogni emolumento diretto, & indiretto, e per conſequenza ſe ne prohibiſce al Veſcovo, ò Prelato, ſuo Vicario, ò Cancelliero, & ogni altro Miniſtro, ò familiare, ogni eſſattione ſotto qualſivoglia preteſto, anco di mancia, ò donativo per la Licenza, ò Patente di Predicatore, così nella Quareſima, nell'Avvento, come in tutti gl'altri tempi, & in qualſivoglia luogo.* Ita ibi,& ſic patet Reſponſio ad Quæſitum.

2006 Inter. 25. Notarius Epiſcopi poteſtne ſine peccato ſimoniæ recipere aliquid pro dimiſſoriis, quæ dantur pro Ordinibus ab Epiſcopo ſuſceptis?

Reſp. Si ipſe Notarius habet ab Epiſcopo ſalarium, ſimoniam committit aliquid accipiendo pro hujuſmodi dimiſſoriis, non obſtante quavis conſuetudine in contrarium. Si verò ſalarium non habeat, poteſt tutè reci-

pere decimam partem tantùm unius aurei. Tolet. *lib*.5. *cap*.88. *num*.3. Em. Sà *verb. Ordo num*. 30. Nam Concil. Trid. *ſeſſ*.21.*cap*.1. *de reform*. ſic habet. *Notarii verò in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi pro ſingulis litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere poſſint: Dummodò eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo.* Sed Prælati tenentur ex juſtitia aſſignare ſuis officialibus juſta ſtipendia, ſi habent ſufficientes redditus, ne cogantur dicti Officiales exigere à ſubditis aliquid pro his miniſteriis, ut ex Soto docet Stephanus à S.Gregorio *de Contract.lib*.2. *cap*.89. *num*.3.

2007 Inter. 26. Poteſtne Epiſcopus ex vi Concil. Triden. *ſeſſ*. 24. *cap*. 6. abſolvere Sacerdotem ſibi ſubditum à ſimonia occulta, & rehabilitare illum ad Ordines,& Beneficia tam obtenta, quam obtinenda?

Reſp. Affirmant Sanchez *in Sum. tom*.2. *lib*.6. *cap*. 15. *num*. 78. Caſtrus Palao *tom*. 2. *diſp*. 3. *pun. ult. num*. 4. cum aliis. Verùm communis opinio eſt in contrarium: quam in praxi eſſe receptam teſtatur Theſaurus mox adducendus. Nam licèt Epiſcopus poſſit abſolvere dictum ſimoniacum, & ad Ordines rehabilitare; tamen ſolus Papa poteſt diſpenſare inhabilitatem ad beneficium ſimoniacè obtentum, ut benè probat Bonac. *de Simonia diſp*.1. *quæſt*.7. *pun*. 2. *num*. 4., & Theſaurus *de pœnis par*.2. *verb. Simonia cap*.2. dicens:eſſe communem ſententiam,etiam Sac. Congregationis. Qui etiam ex mente Sac. Congregationis dicunt, Epiſcopum non poſſe diſpenſare inhabilitatem ad alia Beneficia, etiam vigore Tridentini *loco ſupra cit*. quia nō loquitur de inhabilitate, ita Sac. Congregatio apud Suarez *tom*.1. *de Relig. tract. de Simon. cap. ult. num*. 11. ſed loquitur de irregularitate. Et Bonacina,qui alioquin admitteret, poſſe Epiſcopum diſpenſare vigore Tridentini, ſe ipſum retractat *loco cit. diffic*.2.*nu*.4. *in fine in recentiori editione*. Adverto autem Sà *verb. Epiſcopus num*.28. docere Epiſcopum poſſe diſpenſare in omni inhabilitate ad Beneficia, niſi Papa id ſibi reſervet ſpecialitèr; Sà ſequitur Alloza *eodem verbo ſect*. 5. *n*. 9. Vide Dianam *par*.7. *tract*.2. *reſol*. 36. pro hac noſtra ſententia.

2008 Inter. 27. Si Epiſcopus fuerit complex in Simonia, poteſtne etiam ſecum diſpenſare?

Reſp. Machadus apud Dianam *loco proximè cit. verſ. Sed ſi aliquis*, negativè reſpondet. Sed ego dico cum Toleto *lib*.1. *cap*.89. *ſub nu*.5. & aliis, quos citavi ſupra *in tit*. 83. *de Epiſcopatu, & Epiſcopis, ad Inter*. 48. licere Epiſcopo in hujuſmodi caſibus, in quibus abſolvit, & diſpenſat, inferiorem deputare Confeſſarium,qui abſolvat, & diſpenſet ſecum in eiſdem, ſi fortè incurreret,ut docet etiam S.Antoninus 3. *par. tit*.17. *cap*.2. §.2.]Hoc tamen intelligendum eſt circa caſus occultos dumtaxat, & non de inhabilitate contracta proptèr ſimoniam occultam, quia non eſt cenſura, neque irregularitas, ſed quædam vindicativa pœna, circà quam Epiſcopi auctoritas non ſe extendit,ut probavi in præcedenti Reſponſione ex Sacræ Congregationis declaratione.

2009 Inter. 28. Eſtne peccatum, aliquid dare, ne quis exerceat aliquem actum ſpiritualem, præcipuè Juriſdictionis; & quodnam peccatum eſt?

Reſp. Eſt quidem hæc quæſtio grandis inter Theologos, ſcilicet,an ſit ſimonia dare aliquid, vel accipere pro omiſſione actus ſpiritualis, ut videre licet apud Layman. *lib*.4. *tract*. 10. *cap. ult*. §. 4. *num*. 43. Bonacinam *in tract. de Simonia diſp*. 1. *quæſt*. 4. §. 9. *nu*.2.Stephanum à S.Gregorio *li*.2. *de contract. cap*.88. *num*.7. & alios penes ipſos. Omnes tamen ferè conveniunt, non eſſe ſimoniam, quando agitur de omiſſione actus ſpiritualis, qui non provenit, nec emanat à poteſtate:

ſtate, vel Eccleſiaſtica juriſdictione, ut eſt v. g. dare aliquid alicui, ne celebret tali die, aut divinum Officium non perſolvat, vel non ſuſcipiat Ordines, & hujuſmodi: quia in tali caſu non cenſetur vendere, aut emere rem ſpiritualem; ſed tantum vendere ſuam libertatem: dummodo tamen accipiat pecuniam, aut aliam rem pretio æſtimabilem, tamquam in compenſationem jacturæ fructus ſpiritualis, quem ex illo opere ſacro percipere poſſet, quia certo in tali caſu, ejus peccatum omiſſionis, malitiam ſimoniæ proculdubio contineret. Sed major difficultas conſiſtit circa omiſſionem actus ſpiritualis, qui pendet à Juriſdictione, aut Eccleſiaſtica poteſtate, ut eſt dare aliquid v. g. Epiſcopo, vel Sacerdoti, ut non excommunicet, ſuſpendat, non conferat Ordines, non abſolvat, non baptizet, aut aliquè dignum in examine non approbet, &c. Plures Doctores etiam in hoc caſu cenſent, quod in rigore nõ committatur ſimonia, quamvis fateantur hujuſmodi omiſſionem, ſi abſque aliqua juſta cauſa fiat, eſſe peccatum mortale, cui etiam poteſt adjungi malitia injuſtitiæ, ſacrilegii, aut alterius peccati, pro qualitate circumſtautiæ, quæ in talibus omiſſionibus reperiri poteſt. Quæ doctrina itidem vera eſt circa omiſſionem actus ſpiritualis, qui non dependet à juriſdictione Eccleſiaſtica, ut in caſibus, de quibus dictum eſt ſupra, quia in utroque caſu militat eadem ratio. Doctores autem, qui docent, dare aliquid pro omiſſione actus ſpiritualis dependentis à Juriſdictione, aut ab Eccleſiaſtica poteſtate, non eſſe propriè ſimoniam: moventur, quia, ut ipſi dicunt, non accipitur aliquid pro ipſa re ſpirituali, ſeu Juriſdictione Eccleſiaſtica, ſed ſolùm pro illa omiſſione, quæ non eſt ſpiritualis, & Sacra, ſed tantùm carentia rei ſpiritualis. At ego puto, non eſſe diſcedendum à ſententia D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 3. quam ſequitur Sylveſter *verb. Simonia* *quæſt.* 3. *dicto n.* 5. & 9. Laym. *loco cit.* & alii plures apud Bonacinam *ubi ſupra*: unde dico, ſimoniam committi, quoties illa omiſſio moraliter provenit à Juriſdictione, aut Eccleſiaſtica poteſtate, & ità puto tenendum in praxi. Nam illa omiſſio actus juriſdictionis ſpiritualis, ſaltem reputatur vendibilis: ac proinde committitur peccatum ſimoniæ, dum fit injuria rei ſpirituali, quæ ſine graviſſimo peccato Sacrilegii vendi, nec emi poteſt. Et quia in tali caſu daretur, & acciperetur temporale pro ſpirituali: committeretur ſimoniæ peccatum, ut habetur expreſsè *in cap. Nemo de Simonia* ubi utrumque ſimoniacum dicitur, & munus accipere, ut pœnitentem reconcilies, & munus accipere, ut pœnitentem à reconciliatione amoveas; ergo &c.

2010 Inter. 29. Quo jure eſt prohibita ſimonia?

Reſp. Illa quæ committitur in emptione, vel venditione &c. rerum Sacrarum, ſive ſint Sacræ ex natura ſua, ut Sacramenta, &c. ſivè ex benedictione Eccleſiæ, ut Ara, Calix, & hujuſmodi: Jure divino naturali prohibita eſt. Quando verò ſimonia verſatur circà beneficia Eccleſiaſtica, puta circà permutationem, vel reſignationem Beneficiorum, aut circà emptionem, vel venditionem aliquorum officiorum temporalium Eccleſiæ, ut œconomi, Sacriſtæ, Procuratoris, &c. ſolo Jure Eccleſiaſtico prohibita eſt: Prima ergò eſt mala, quià mala: Secunda autem mala, quià prohibita. Ità docent Doctores cummunitèr. Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 85. Lezanam *tom.* 3. *verb. ſimonia num.* 4. & alios ab eo ibidem relatos, Stephanum à S. Gregorio *de contract. lib.* 2. *cap.* 58. *num.* 1. cum D. Thoma *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 5. *art.* 1.

2011 Inter. 30. Simoniaci gaudentne immunitate Eccleſiarum?

Reſp. Simoniacus privilegio immunitatis gaudet, dummodò ſimonia

non habeat adjunctam hæreſim ; conſequentèr ipſe non ſit hæreticus, credens pertinaciter licitam eſſe ſimoniā. Bonac. *de Legibus*, *diſp.* 3. *q.* 7. *pun.* 5. *num.* 12. cum Peregrino, & Farinacio *in Append. de hæret. cap.* 13. *num.* 177. Diana *par.* 6. *tra.* 1. *reſ.* 26. *verſ. Quæro nono*, & alii ab ipſo relati.

TITULUS CCVI.

De Simulatione.

Vide tit. de Denunc. Inter. 22. *tit. de Sacril. Inter. ult. tit. de Suſpect. de Hæreſ. ad quæſ.* 1.

2012 INter. 1. Titius ab inimicis quærebatur ad necem; quare, ut mortem vitaret, cæpit per aliquot dies pileum cum ſigno flavo, more Judæorum geſtare, ne agnoſceretur: peccavitne mortaliter dictus Titius, fingēs ſe eſſe hebræum?

Reſp Dicunt aliqui, hoc nunquam eſſe licitum, quia eſſet falſam Sectam ſimulare, & præſertim Sylv. *verb. Apoſtaſia quæſt.* 1. *num.* 4. Navar. *in Man. cap.* 11. *num.* 27. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. & alii plures apud Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 49. ergo dicendum eſt juxtà hanc ſententiam, Titium peccaſſe mortaliter, ut in terminis docet ipſemet Tolet. *loco cit.* Tamen oppoſitum eſt etiam probabile, quia hujuſmodi ſignum, de perſe, & directè non eſt ſignum proteſtativum falſæ Religionis, ſed indifferens, & ità tradunt Em. Sà *verb. Fides num.* 5. Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 11. *nu.* 3. & multi alii, quos congerit Diana *ubi ſupra*, & *par.* 5. *tract.* 7. *reſ.* 33. quibus ipſe ſubſcribit. Verùm mihi opinio Toleti magis placet, cum ſit communis, & magis tuta in praxi. Vide Sanch. *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 18.

2013 Inter. 2. Qui metu mortis, ficto animo Idolum adorat, peccatne mortaliter, & incurritne excommunicationem in Bulla Cœnæ latam contra hæreticos?

Reſp. Certò mortaliter peccat: quia licèt non committat Idololatriam internam, committit tamen externam, quæ eſt intrinſecè mala; nàm opere externo impedit honorem divinum rei creatæ, quarè, peccat mortaliter contra præceptum profitendi etiā extrinſecè fidem Catholicam. Verùm licèt in foro exteriori præſumatur ex animo coluiſſe Idolum, & conſequenter excommunicatus: tamen revera in Foro conſcientiæ, & coram Deo, excommunicationem non incurrit, quia illa excommunicatio eſt lata contrà Hæreticos, vel Idololatras ſolùm externos, ut eſt iſte, de quo loquimur. Ita docet Tolet. *lib.* 4. *c.* 14. *num.* 2. & aliis relatis firmat Bonac. *de legib. tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *pun.* 2. *num.* 5. Vide igitur, quæ dicam *ad Inter. ſequentem*, & *ad Inter.* 14. *tituli* 21. *de ſuperſtitionibus*. Sed tandem nota: quod iſte talis poteſt puniri in officio Sanctiſſimæ Inquiſitionis.

2014 Inter. 3. Titius captus à Turcis metu, & vi, fidem exterius negavit, & cultum, ac reverentiam Mahumeto exhibuit, ſed corde ſemper fidem rectam retinuit: poſtea tandem inter Chriſtifideles rediens accedit ad Confeſſarium ſimplicem, & petiit ab eo abſolvi, poteſtne talis Confeſſarius dictum Titium abſolvere?

Reſp. Dico quod ſic, quia licèt in Foro exteriori prò Excommunicato haberi debeat, & teneamur ipſum Inquiſitoribus denunciare tamquā Apoſtatam, tamen in Foro Poli, dummodò non ſit caſus reſervatus, poteſt à quocumque Confeſſario abſolvi, nàm reverà in foro conſcientiæ non fuit Apoſtata, & infidelis, quamvis graviſſimè peccaverit contrà præceptum profitendi etiam extrinſecè, & explicitè fidem Catholicam, & per conſequens, nullam excommunicationem contraxit, quià hæc excommunicatio ſupponit delictum verum, & conſummatum, & præterea, quòd habuerit er-

errorem in intellectu: Ergò poteſt quisvis ConfeſſariusTitium prædictum abſolvere: Ita docet Sylv. *in Summ. verb. Apoſtata num.* 4. *& verb. Hæreſ.* 1. *num.* 9. Navar. *in Man. cap.* 21. *num.* 24. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 4. *ſub n.* 2. Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 143. qui hanc ſententiam tuetur, & pro ſe plures Doctores allegat, adipſum, & non pigebit, vide eumdem Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 240. §. *nota ſecundo*, & Nicol. *in Floſc. verb. Hæreſ. n.* 9.

2015 Inter. 4. Si Hæreticus tibi mortem minaretur, ſi non conſecrares omnem panem in foro extantē, poterisnè ſine peccato in tali caſu uti æquivocatione, & non habere intentionem conſecrandi.

Reſp. Affirmare non dubitat Sancius *in Selectis diſ.* 35. *num.* 6. quem refert Dian. *par.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 83. & alii, exiſtimantes ſimulationem eſſe licitam, ob timorem mortis, & gravem cauſam in adminiſtrandis Sacramentis, ſed hoc eſt falſum, & ideò jure meritò reprobatum in Decreto Innoc. XI. ut dixi *in tit.* 199. *de Sacrilegio, ad Inter. ultimam*. & docet etiam Parpera *in Indice copioſ. par.* 4. *cap.* 18. ubi ſic inquit. *Simulatio peccatum eſt, & mendacium in factis, uti docet S. Th.* 2. 2. *quæſt.* 11. *ar.* 1. *& præſertim in ſacris rebus, & Sacramentis, quomobrem nullo metu admitti debet, juxtà illud Domini præceptum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c.*

2016 Inter. 5. Eſtne licita unquam ſimulatio ob timorem mortis, vel gravem cauſam in adminiſtrandis Sacramentis?

Reſp. Bis ſupra me dixiſſe memini, ſcilicet *ad Inter. ultimam tituli* 199. *de Sacrilegio, & ad Inter. antecedentem hujus tituli*, nunquam eſſe licitam, quià Simulatio peccatum eſt, & mendacium in factis; & præſertim in Sacris rebus, & Sacramentis: ideò jure meritò contrariam opinionem reprobavit Innocen. XI. & eſt 19. inter aliàs ab eodem in ſuo decreto edito ann. 1679. reprobatas. Quarè, non eſt audiendus Sancius apud Dian. *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 83. quem ipſe Dian. non refellit: Unde advertant Sacerdotes, nec fallantur, hanc ad praxim deducendo opinionē.

2017 Inter. 6. Qui ficto, & ſimulato animo matrimonium promiſit alicui Fœminæ: teneturne in conſcientia ſtare promiſſioni?

Reſp. Doctores diverſimodè ſe habent circa hujus quæſiti reſponſionē: quidam enim volunt, quòd licèt peccaverit mortaliter fictus promiſſor, tamen minimè teneatur ſtare promiſſioni, niſi ratione ſcandali, quando aliter vitari non poſſit; Ità Sanchez *de Matrim. diſp.* 1. *c.* 11. *n.* 5. *& c.* 10. *num.* 25. *&* 26. Bonac. *de Matrim. diſp.* 1. *pun.* 2. *num.* 4. Layman. *lib.* 5. *tr.* 10. *par.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 205. Cabrin. *de caſ. reſ. par.* 2. *caſ.* 7. *annot.* 3. *num.* 7. & alii plures penes ipſos. Imò Bonac. *loco cit.* inquit: non teneri ſervare fictam promiſſionem, etiamſi juramento fuerit firmata, ſed ſine animo jurandi, vel ſe obligandi. Et eſt quidem ſententia valdè probabilis, ut aſſerit Diana, *ubi ſupra*. Tamen mihi videtur probabilior oppoſita, quam tuentur Baſilius Pontius, Vaſquez, Turrianus, & alii apud Sancehz, Dianam, & Cabrin. *loco cit.* Et ratio eſt, quia eo ipſo, quòd quis profert verba promiſſionis, & quæ ſcit eſſe promiſſionis, non poteſt ſua voluntate tollere eam naturalem obligationem, quæ ex naturali jure oritur ad ſervandam veritatem, cui fuit facta promiſſio, maximè cum promiſſio debeat eſſe fidelis: Itaque illa obligatio promiſſionis non oritur ex voluntate promittentis, ſed ex naturali jure, quod debet eſſe conjuncta verbis veritas in futurum, quam non poteſt auferre à verbis, qui promittit. Concludendum eſt igitur, fictè promittentem, in conſcientia teneri iterum verè, & ex animo contrahere, nè aperiatur via hominibus ſceleratis ad decipiendas ſæpè Fœminas,

nas, ſi ſemel ſibi perſuaſerint non teneri ad verè contrahendum. Et pro hac ſententia citantur D. Thom. Scotus, Adrianus, Sotus, Navar. & Henriquez, teſte Cabrin. *ubi ſuprà*: Ultra quod, ut ait Scotus *in 4. diſt. n. 30. quæſt. 1.* fecit illi injuriam in illo contractu exteriori, non conſentiendo: ergo tenetur eam in uxorem ducere. Circa id verò, quod dicit Bonac. de Juramento facto ſine animo jurandi, vel cum animo non ſe obligandi, adverte, quod nec cum cauſa licitum eſt jurare, ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis; Et oppoſitum eſt reprobatum ab Innoc. XI. an. 1679. Et eſt 25. propoſitio damnata: Vide quod docent plures Doctores apud Diana *par. 5. tract. 14. reſ. 34.*

2018 Inter. 7. Qui ficta matrimonii promiſſione extorſit copulam à Virgine, aut à Vidua bonæ famæ, teneturne ipſam in Uxorem ducere?

Reſp. In hoc caſu omnes DD. affirmativè reſpondent: & meritò, quià cenſetur cauſa injuſta magni damni, ſi illam non duceret; Tùm etiam quia, mille fraudibus via in contractibus aperiretur, nec ſatisfacit, ſi Puellam defloratam, aut Viduam cognitam dotet, aut damnum reſarciat, nam promiſſio non fuit de Dote, ſed de Matrimonio: Sylv. *in Summ. verb. Luxuria qu.* 5. Navar. *in Man. cap. 16. n. 18.* Laym. *lib. 5. tr. 10. par. 1. c. 19. num. 11.* Bonac. *de Matrim. diſp. 1. pun. 2. ſub num. 4. & 13.* Cabrin. *par. 2. caſ. 6. annot. 3. num. 9.* & alii apud ipſos. Vide Sanchez *lib. 1. de Matrim. diſp. 10. num. 3.* ubi pro hac Sententia innumeros DD. allegat, & præſertim D. Th. Vide etiam Dianam *par. 5. tract. 14. reſ. 32.* Dicendum eſt igitur: teneri in dicto caſu eam ducere ratione promiſſionis, fidelitatis, & damni illati, quia ut dictum eſt ſupra, promiſſio adhuc ſine animo ſe obligandi inducit obligationem jure naturali, prout docet etiam Mendo *Epit. opin. moral. verb. Sponſalia num. 7. & 9.* qui addit, quòd ſi ingens ſit inæqualitas, ob quam gravis ignominia familiæ accederet, ingentiaque timerentur incommoda, non teneatur eam ducere promittens, & idem cenſet Bonac. Cabrin. & alii *locis citat.* Alii verò dicunt, quod ſola ſtatus, ſeù conditionis diſparitas, deceptorem, & infamatorem Puellæ, aut Fœminæ honeſtæ, non liberat à Matrimonio contrahendo; Vide Layman *ubi ſupra*; Dianà *par. 3. tr. 4. reſ. 205.* ubi pro hac ſententia citat Pontium. Tamen non eſt diſcedendum à communi ſententia, maxime ſi Vir nobilis ſit, Fœmina autem agricolæ filia, vel licèt genere pares ſint, ſed notabiliter divitiis impares. DD. quos refert; & ſequitur Sanchez *loco proximè cit. n. 6.* & alii ſupra citati, ita rectè tradunt: Vide Victoriam *in Sum. de Bigamis num.* 245. Diana *par. 3. tract. 6. reſ. 81.* ubi plura ad intentum. Denique diligenter adverte conditionis diſparitatem non deobligare univerſalitèr, ſed quando Fœmina exceſſum noverat: ſic docet D. Thom. & alii 17. DD. citati à Sanchez *de Matrim. lib. 1. cap. 12. n. 5.*

2019 Inter. 8. Sempronius vult ducere in uxorem primogenitam Titii, quam Titius ei libenter ſpondet, deinde Sempronius vult prius illam inſpicere, num ſit formoſa, ſibique placeat, at quia ipſa primogenita eſt deformis, ideò loco ipſius oſtenditur ei ſecundogenita formoſa, vel alia alterius hominis filia, quæ illi placet, ſicque per Procuratorem contrahit matrimonium cum Primogenita Titii: eſtne validum tale matrimonium, ita contractum?

Reſp. Eſt validum: quia in hoc caſu non intervenit error perſonæ, ſed qualitatis, nam Sempronius reverà duxit primogenitam Titii, quam volebat, & cum qua intendebat matrimonium inire, & ipſi fuerat promiſſa: Undè cum error qualitatis juxtà cōmunem ſententiam non dirimat matrimonium, dicendum eſt, hujuſmodi ma-

Digitized by Google

matrimonium, cum dicto errore, & dolo celebratum, eſſe validum quoad ſubſtantiam, & naturam rei, ſiquidem hic non adeſt niſi error in qualitate pulchritudinis, non verò circa ſubſtantiam, ſeù circa perſonam. Bonac. *de Matrim. quæſt.* 3. *pun.* 2. *num.* 9. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 18. *num.* 35. Lucas Fenec. *de Sac. Matr. num.* 17. & alii.

2020 Inter. 9. Poteſtne, ſine gravi peccato uxor, de conſenſu mariti fictè Amaſio conſenſum præbere, ut Amaſius comprehenſus à Marito percutiatur?

Reſp. Non poſſunt Uxor, & Maritus ſine gravi peccato inter ſe paciſci ut Amaſion ipſam ad adulterium ſollicitanti, conſenſum fictè præbeat, ut Amaſius deprehendatur, & percutiatur: Nam in tali caſu adeſt fraus, & dolus, qui nemini debet patricinari. Ultra quod eſt actio intrinſecè mala, & cenſetur inductio, & cooperatio ad peccatum amaſii, ut ex Sanchez, Molina, & aliis firmat Bonacina *to.* 2. *de Peccatis, diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 2. §. *unico num.* 34.

TITULUS CCVII.

De Sociis criminis.

Vide tit. de Concubinar. &c. Int. 6. *tit. de tit. de Denuc. Inter.* 17. *tit. de Reſt. Dam. Int.* 27. 28. *tit. de Val. Conf. Inter.* 6.

2021 INter. 1. Si quis cum propria Matre, vel Sorore, aut filia inceſtum commiſerit, & hi confeſſario ſunt noti, & tunc alius Confeſſarius haberi non poſſit, poteſtne in tali caſu circumſtantiam illam tacere?

Reſp. Poteſt, immò tenetur, nam eſt de Jure Divino, & naturali non infamare proximum, lex autem, quæ jubet confeſſionis integritatem eſt Divina poſitiva, & ita debet hæc illi cedere: Sic docet Navar *in Man. cap.* 7. *num.* 3. & 4. & alii plures. Oppoſitum tamen tenet Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. *ſub num.* 4. cum Soto, Bannes, Gabriele, & Sylv. *verb. Confeſſio* 1. §. 18. ne deferas ipſum videre. *Sed vide etiam ad Inter.* 4.

2022 Inter. 2. Circumſtantia manifeſtativa complicis, eſtne aperienda in confeſſione, etiamſi nullum damnum ſequatur complici, præter infamiam apud Confeſſarium?

Reſp. Generaliter loquendo, talis circumſtantia non eſt confitenda, ſed expectanda eſt commoditas, ut pœnitens alteri confiteri poſſit, qui in cognitionem illius Perſonæ, ſcilicet complicis non veniat: nam quòd Confeſſarius ſciat peccatum alterius, quale de illo neſciebat, non reputatur levis infamia. Dixi generaliter, quia, ſi pœnitens noverit revelando notabiliter prodeſſe poſſe ſibi, vel alteri, revelare poterit, non ſolum Confeſſario, ſed etiam cuicumque expediat. Vide Diana *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 49. qui congerit DD. prò utraque parte, & ſuam profert ſententiam. *Vide ad Inter.* 4. *in hoc tit.*

2023 Inter. 3. Si pœnitens occidiſſet Confeſſarii fratrem, vel ejus ſororem carnaliter cognoviſſet, poteſtne in Confeſſione tacere tale peccatum, quando non habet alium Confeſſariū, cum quo poſſit confiteri?

Reſp. Quando alius Confeſſarius haberi non poſſit, omnia alia peccata confiteri debet, præter illud, cum propoſito illud confitendi quamprimum ſine ſuo, vel alterius detrimento. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. *ſub num.* 4. *& alii communiter.*

2024 Inter. 4. Pœnitens peccatne mortalitèr peccato detractionis manifeſtando complicem in Confeſſione?

Reſp. Si pœnitens non poteſt aliter peccati ſpeciem explicare, quam manifeſtando complicem in Confeſſione, nec habet copiam, ſeù commoditatem alium adeundi Confeſſarium, cui non ſit notus complex, non pec-

peccat peccato detractionis, nec ullo modo, nam ſicut licitum eſt extra Confeſſionem manifeſtare delictum alterius ad propriam utilitatem, vel ad vitandum proprium, aut alienum damnum: ita licitum eſt etiam in confeſſione manifeſtare delictum complicis ob propriam pœnitentis utilitatem, ſcilicet ob liberationem à peccato, aut propter integritatem confeſſionis, aut ne pœnitens diutiùs differat Confeſſionem, aut propter utilitatem ipſius complicis, vel etiam tertiæ perſonæ. Si autem pœnitens ex complicis manifeſtatione, ſibi, vel complici, vel tertiæ perſonæ probabiliter timet, grave damnum in vita, vel in fama, debet iſtam circumſtantiam reticere, explicatis aliis peccatis. Ità docet Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *q.* 4. *pun.* 4. *num.* 2. vide ergo quæ dixi *ad priores interrogationes, dicamque ad Inter. ſequentem; necnon quæ dixi ad Inter.* 8. *tit.* 44. *de Confeſſione ſacramentali*. Imò Diana *par.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 22. probabiliter putat, quòd ſicut quis poteſt uni, vel duobus amicis taciturnis delictum alterius occultum manifeſtare: à fortiori id facere poſſit in Confeſſione, etiamſi habeat commoditatem adeundi alium Confeſſarium: licèt *par.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 49. doceat pœnitentem, non poſſe confiteri peccatum, aut circumſtantiam manifeſtativam complicis, quamvis nullum damnum ſequatur complici, præter infamiam apud Confeſſarium &c. adi ipſum, & non pigebit. Sed quoad infamiam non admittitur ab Em. Sà *ver. Confeſſio num.* 17.

2025 Inter. 5. Peccatne Puella, quæ pro ſua tuenda pudicitia, impudentem, & impetentem, Confeſſario, vel alii revelat?

Reſp. Dicunt multi DD. & probabiliter, quòd non peccat, quia juſtam habet cauſam id faciendi, nàm confiteri etiam prodeſt occultè, non manifeſtando tamen quis ſit illa perſona nominatim.

2026 Inter. 6. Eſtne licitum Confeſſario interrogare pœnitentem de complice in Confeſſione, in ordine ad ipſius correctionem, & illam facere de licentia pœnitentis?

Reſp. Dicunt quidam, hoc eſſe licitum Confeſſario, quià talis actio non eſt de ſe mala, & ordinatur ad bonum finem, neque eſſe contra ſigillum Confeſſionis affirmant; quia Confeſſarius, in tali caſu loquitur de auditis in Confeſſione cum licentia pœnitentis. Ita docent Facundez *præcep.* 2. *lib.* 5. *c.* 2. *num.* 2. Suarez *in* 3. *par. tom.* 4. *diſ.* 34. *ſect.* 4. *num.* 4. apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 113. Sed meritò hanc ſententiam impugnat Villalobos, Sylvius, Malderus, Coriolanus, Rodriquez, Ledeſma, Bannes, Soto, & alii, quos dat, & ſequitur idem Diana *loco cit.* Immo Nugnus *in addit. in* 3. *par. quæſt.* 11. *artic.* 2. *dub.* 2. dicit, dictam ſententiam eſſe temerariam, & pernicioſam, tanquam ipſius Sacramenti deſtructivam, & reſpondet ad omnia argumenta, quæ adducit Suarez. Dicendum eſt igitur, cum communi D. Thomæ ſchola: quòd talis correctio non poteſt fieri ſine injuria Sacramenti, nec poteſt negari, multum derogare ſigillo confeſſionis notitiam illius ad effectus ita extrinſecos adhibere; nam finis intrinſecus Sacramenti pœnitentiæ eſt, tantùm juſtificatio pœnitentis, non autem emendatio complicis. Vide Nugnum, qui plures rationes concludétes affert, & nota id, quod ego dicam *in Reſp. ad Inter. ſequentem*.

2027 Inter. 7. Confeſſarius requiſitus à Puella, ut corripiat eum, qui ſe moleſtat turpiter, debetne eum corripere?

Reſp. Nullo modo id facere debet, nec etiam de licentia pœnitentis tractare debet tale negotium, quia odioſa redderetur aliquo modo confeſſio, ſed tantùm in confeſſione ei conſulere poteſt quid faciendum.

2028 Inter. 8. Confeſſarius poteſtne abſolvere perſonam, cum qua rem habuit?

Reſp.

Reſp. Remoto ſcandalo, & nova occaſione, ne iterum ad præteritas redeant illecebras, abſolutio teneret; Tamen conſultius eſt alium adire confeſſarium, ad omnia vitanda pericula, & ut ſalubris fiat confeſſio. Vide Sylveſt. *verb. Conf.* 1. *num.* 17.

2029 Inter. 9. Si Confeſſarius eſſet particeps, ſeù cooperator alterius peccati, ſed non immunditiei: poteſtne abſolvere complicem ſui peccati?

Reſp. S.P. Auguſtinus dicit, quòd nullus officio Sacerdotis uti debet, niſi immunis ſit ab iis, quæ in aliis vindicat. Hoc tamen intelligendum eſt ſecundùm congruitatem, non ſecundùm neceſſitatem Sacramenti.

2030 Inter. 10. Prohibitiò audiendi, vel abſolvendi complicem delicti in confeſſione, reſpicitne tantummodò peccata carnalia, vel etiam alia?

Reſp. Reſpicit omnia peccata mortalia, quando in prohibitione generaliter loquitur, ut ſit in conſtitutionibus Synodalibus Verulanis.

2031 Inter. 11. Poteſtne Cofeſſarius abſolvere eum, cui conſilium dedit verberandi, vel furandi, vel cum quo graviter detraxit, vel pactum iniit patrandæ alicujus turpitudinis mortaliter peccaminoſæ?

Reſp. Minimè eum abſolvere quit (cui conſilium dedit ad peccandum, dummodò peccatum fuerit mortale cujuſcunque ſit ſpeciei, vel cum quo graviter detraxit, vel pactum injerit, &c. nec in confeſſione audire, vel abſolvere poteſt, ut dixi.

2032 Inter. 12. Eſtne hoc intelligendum, quod numquam in poſterum poſſit abſolvere eum, quem ſocium, vel complicem in peccato habuit?

Reſp. Non: quia videtur tantummodò prohiberi, & impediri quoad illam culpam, & peccatum, cujus aliquo modo prticeps fuit; ſicque non poteſt audire complicem, vel ſocium criminis in ea confeſſione duntaxat, in qua Pœnitens aperire debet peccatum, ſimul cum Confeſſario patratum, niſi aliud conſtet de mente Superioris.

2033 Inter. 13. Confeſſarius, qui habet facultatem caſuum reſervatorum, & cenſurarum, poteſtne complicem in confeſſione audire, & abſolvere?

Reſp. Nequaquam: quia talis confeſſarius, complex, vel ſocius criminis, non cenſetur approbatus ad coſeſſiones complicis audiendas: ſed omninò reprobatus cenſetur, ut patet ex Conſtitutionibus Synodalibus Verulanæ Diœceſis; præterquam quod hujuſmodi prohibitio non eſt propriè reſervatio: quia reſervatio imponi ſolet in pœnam peccati pœnitentis; ſed in caſu; de quo agitur fuit impoſita in pœnam Confeſſarii, qui cum Pœnitente crimen commiſit: ideò non ſufficit habere facultatem abſolvendi à reſervatis, aut à cenſuris.

2034 Inter. 14. Poteſtne dari aliquis caſus, quo poſſit Confeſſarius abſolvere Sociũ, & cõplicem delicti, quando adeſt in aliqua Diœceſi hujuſmodi prohibitio, ut in Diœceſi Verulana?

Reſp. Equidem dari poteſt, & eſt quando Penitens eſſet in articulo, vel in probabili mortis periculo conſtitutus, dummodò non ſit alius Sacerdos, qui poſſit eum abſolvere, & hoc eſt certiſſimum, & indubitatum.

2035 Inter. 15. In Diœceſi Verulana prohibeturne Confeſſarius culpæ ſocium, ſeù participem in confeſſione audiat, vel abſolvat (& ubi adeſt ſimilis prohibitio) poteſtne Confeſſarius, ſaltem tempore Jubilæi, complicem in coſeſſione audire, & abſolvere?

Reſp. Minimè, quia non ſolùm prohibetur audire confeſſiones Sociorum culpæ, & abſolvere eos complices, ſed adimitur Juriſdictio Confeſſario facta, ità ut confeſſio reddatur nulla. Bonac. *tom.* 1. *de Sac. Pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.* 5. §. 3. *num.* 10. ubi ex profeſſo de hac tractat materia.

2036 Inter. 16. In Diœceſi Verulana poteſtne Cõfeſſarius validè abſolvere Pœnitentem, ſive maſculum, ſivè fœminam, cũ quo peccatum immunditiei commiſit, aut alterius mortalis culpæ particeps fuerit?

Reſp. Minimè, quia in Synodo Diœceſana, *de Sac. Pœnit.* eſt ei interdictum munus audiendi confeſſiones illorum, quos ſocios ejus criminis habuerit.

2037 Inter. 17. Socius criminis poteſtne admitti ad teſtificandum contra ſocium?

Reſp. Socius criminis non admittitur ad teſtificandum, niſi in criminibus exceptis. Vide Sylveſtrum *verb. Teſtis* §. 12. nam omne indicium debet probari, ſaltem per duos teſtes, ut docent DD. quos ſequũtur idem Sylveſter *verb. Indicium num.* 2. & 6. Lezana *tom.* 2. *verb. Tortura num.* 2. Sed particeps criminis interrogatus, vel ſua ſponte dicens, non facit indicium contra ſocium: quià quando ipſe confeſſus eſt crimen, eſt infamis, ſaltem infamia facti, conſequenter non eſt teſtis omni exceptione major: & ideò repellibilis, ſiquidem ad hoc, ut unus teſtis faciat indicium, aut ſemiplenam probationem, debet eſſe vitæ probatæ, vel bonæ opinionis; ſed infamis infamia facti, non eſt teſtis idoneus, ſaltem in criminalibus, ut benè notat Bonac. *de cenſu. diſp. 7. quæſt. 3. pun. 1. num. 2. in fine*: ergo debet purgare maculam in tortura, aliàs non probat, ut dixi; quià ſi vita bona deſit, fide carebit, ut inquit Goffredus *in Summ. tit. de teſtibus num.* 6. ultrà quòd alleganti ſuam turpitudinem cum alterius præiudicio, nulla debetur fides, habetur *ex Gloſ. in cap. Officii de pœnit. & remiſ.* cum ei annotatis. Dicendum eſt igitur: quod tunc faceret indicium contra ſocium, quando delictum cõmitti non poteſt ſine ſocio, ut fornicatio, Sodomia &c. vel, quando, ex aliqua conjectura tollitur illa præſumptio, qua ratione infamiæ ſuſpectus ſit de veritate dicenda, ut quià, non eſt aſtutus, aut ſubornatus, aut impœnitens, & res aliàs, eſt veriſimilis. Quæ omnia arbitrio boni Judicis relinquũtur, maximè, ſi procedat ex officio. Sylveſt. *ubi ſupra verb. Indicium n.* 6. *& verb. Confeſſio non Sacramentalis num.* 5.

TITULUS CCVIII.

De Sodomia.

Vide tit. de Affin. Int. 6. tit. de Caſ. reſerv. Int. 9. 10. 11. tit. de Circumſt. pecc. Int. 10. 12. tit. de Confeſſ. Sacr. Int. 15. 16. tit. de Divort. Int. 14. tit. de Inceſt. Int. 3. tit. de Infam. Int. 2.

2038 INter. 1. Omnia munda mundis, Quid eſt ſodomia? (peccatum quidem notum, ſed abominabile, & iræ Dei nimis provocativum).

Reſp. Sodomia eſt coitus inter perſonas ejuſdem ſexus, nempè maſculi, cùm maſculo, & fœminæ, cum fœmina, ita D. Tho. 2. 2. *qu.* 154. *art.* 11. Cajet. ibidem, Navar. *cap. 16. ſub num.* 3. & alii plures apud Bonac. *de Matrim. qu. 4. pun. 11. num.* 1.

2039 Inter. 2. Quænam eſt Sodomia propria, & quænam eſt impropria?

Reſp. Propria eſt maſculi cum maſculo, & fœmina cum fœminæ. Impropria verò eſt, quando maſculus abutitur fœmina, cognoſcendo eam in vaſe fœdiſſimo, & dicitur impropria, quia, ſi non ſervat vas, ſervat tamen ſexum. Vide Dianam *par. 7. tra. 12. reſ.* 13. §. *Quær. quinto*, ac etiam in principio reſolutionis, Bonac. *loco prox. cit.*

2040 Inter. 3. Peccatum contra naturam cum perſona conjugata, cum conſanguinea, vel affine, cum virgine, cum rapta, vel cum habente votum caſtitatis, diciturnè adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, vel ſacrilegium neceſſariò in Confeſſione aperiendum?

Reſp. Si Sodomiticè abutatur Moniali, vel perſona voto caſtitatis ligata, certè dicitur ſacrilegium, ità ſi tali modo abutatur rapta, dicitur raptus, quia in quacumque parte corporis, contra perſonam Deo dicatam agatur; ſive fiat naturalitèr, ſive contra naturam,

ram: ſemper eſt ſacrilegium, ſic etiam dicitur raptor, quia rapit aliquam cauſa libidinis, ut ea quacunque modo abutatur. Verùm licèt in aliis non ſit propriè adulterium, inceſtus, vel ſtuprum, niſi reductivè, nec ſub reſervationis pœna comprendatur: ut aliqui docent: tamen ſecundùm veriorem, & tutiorem ſententiam, quilibet in confeſſione exprimere debet ſe commiſiſſe peccatum contra naturam, cum uxorata, virgine, vel cum conſanguinea, aut affine intra quartum gradum affinitatis, vel conſanguinitatis: quia novâ malitiam actui ſuperaddidit: Vide Sayrum *lib. 8. cap. 5. num. 20. prop. finem*. Azorium *3. par. lib. 3. cap.* 18. Bonac. *de Matrimon. quæſt.* 4. *pun.* 11. *num.* 6. & 7. qui tamen *num.* 9. dicit non eſſe neceſſariò aperiendam in confeſſione, ſodomiam commiſſam fuiſſe cum virgine: ſed ſufficere, ſi dicatur commiſſam fuiſſe cum fœmina; Vide igitur, quæ dixi, *in tit. 36. de circumſtantiis peccatorum, ad Inter.* 12. & Em. Sà *ver. Luxuria num.* 5. Cajet. 2. 2. *qu.* 154. *art.* 12. *ad* 1. ubi docet, quòd hujuſmodi circumſtantiæ, ſi concurrant, non ſolùm aggravant, ſed variant ſpeciem. Lege ipſum, & non te pœnitebit legiſſe.

2041 Inter. 4. Titius peccavit cum Berta præpoſtera venere, poſſuntnè præfati Titius, & Berta à quolibet Confeſſario abſolvi, ſi ſodomia eſt caſus reſervatus in eorum Diœceſi?

Reſp. Si in Diœceſi ſit ſodomia ſimpliciter reſervata, dico, quòd ſecundùm ſententiam D. Th. poſſunt à quolibet Confeſſario abſolvi, nec eſt neceſſaria ſpecialis facultas: quia peccatum ſodomiticum propriè accipitur pro concubitu duorum ejuſdem ſpeciei, ut maris cum mare, & fœminæ cum fœmina. Ità S. Tho. 2. 2. *qu.* 154. *art.* 11. & ibi Cajet. Sylv. *verb. Luxuria num.* 1. Sayrus *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 16. Armilla, Lopez, Valentia, & alii, quos refert, & ſequitur Cutillus *loc. prox. cit. dub.* 7. & ego jam breviter dixi, ad Interrogationem 1. cum aliis ibidem citatis. Notandum eſt tamen, quòd, ſi in aliqua Diœceſi ab Ordinario reſervatur ſodomia, tam propria, quàm impropria, utique abſolvi minimè poſſunt, qui hoc ſcelus commiſerint, ſine ſpeciali facultate Ordinarii, ut per ſe patet. Vide quæ dixi ad Inter. 2. & nota etiam, & aliquando Epiſcopi ſibi reſervant abſolutionẽ ſodomiæ, quoad mares tantùm: undè in tali caſu fœminæ reſervationis pœnam non incurrunt, & conſequenter à quocumque Confeſſario ab hoc turpiſſimo ſcelere abſolvi poſſunt; ſed non mares, quia reſervatio ipſos ſolùm comprehendit.

TITULUS CCIX.

De Sollicitatione.

Vide tit. de Confeſſar. Int. 16. 17. *tit. de Confeſſ. Sacr. Int.* 9. *tit. de Defenſ. Padic. tit. de Denunc. Int.* 13. & *ſeqq. tit. de Irregul. Inter.* 21. 22. *tit. de Parvit. mat. Int.* 14. 15. *tit. de Regul. &c. Int.* 31. *tit. de Suſpect. de Hæreſ. Int.* 1.

2042 Inter. 1. Quid eſt ſollicitatio?

Reſp. Solicitatio in Confeſſione facta, eſt provocare Pœnitentem ad turpia, ſeù ad res venereas, & inhoneſtas.

2043 Inter. 2. Si Confeſſarius in confeſſionario, vel ubi audiuntur Confeſſiones, ante, aut poſt Confeſſionem immediatè, dicat verba amatoria pœnitenti, aut laudet eam de pulchritudine, & venuſtate: diciturnè eam ſollicitaſſe?

Reſp. De hoc non eſt dubium: & ideò talis Confeſſarius eſt denunciandus Epiſcopo, vel Inquiſitori. Eſt communis ſententia. Vide Dianam *par.* 4. *tr.* 5. *reſ.* 18.

2044 Inter. 3. Tribuere fœminæ ante, vel poſt immediatè confeſſionem chartam, ſeù Epiſtolam amatoriam, ut poſtea legat domi: eſt nè ſpecies ſolicitationis?

Reſp. Utique, ſine dubio; ideò talis Confeſſarius eſt denunciandus. Ità concludit Diana *par.*4. *tr.*5. *reſ.*2. & eſt communis ſententia.

2045 Inter. 4. Si fœmina accederet ad confeſſionem animo ſe confitendi, & Confeſſarius diſſuaderet, ut facilius in ordine ad venerea ipſam inducere poſſet: cenſeturnè ipſam ſollicitaſſe?

Reſp. Certè, & indubitatè, ita tenendum eſt ex conſenſu omnium Doctorum. Vide Dianam *par.* 4. *tract.*5. *reſ.*46. *in fine.*

2046 Inter. 5. Confeſſarius ſollicitator, poteſtne à quocumque Confeſſario abſolvi?

Reſp. Quamvis, commiſerit graviſſimum ſacrilegium, tamen de Jure Communi non prohibetur abſolvi. Si autem ſit caſus reſervatus in Diœceſi, abſolvi non poterit à quocumque ſimplici Confeſſario. DD. communiter ità docent. Sic quoque docet Lantuſca *verb. ſollicitare num.*9. & alii.

2047 Inter. 6. Qua pœna puniuntur Confeſſarii ſollicitantes pœnitentes in Sacramentali confeſſione, aut antè, vel poſt illam, &c.

Reſp. Multis, & diverſis pœnis ſolent puniri, & meritò quidè; nam tales ſollicitātes ad venerem, de ſtylo hujus Almæ Urbis ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti: hinc compelluntur ad abjurandum de vehementi, ut dicam *in tit.*216. *de Suſpectis de Hæreſi, ad Int.*1. ſuſpenduntur ab audiendis confeſſionibus ad tempus, & etiàm in perpetuum, juxtà qualitatem delicti; Et quando Confeſſarius plures perſonas ſollicitavit: & maximè ſi ſolicitatio habuit effectum, tranſmittitur ad Remum per quinquennium, aut ſeptennium, ut ex Bariola, & Freitas, teſtatur Diana *par.*4. *tract.*7. *reſol.*7. *verſ.*1. Confeſſarius autem, qui non judicatur ſuſpectus de hæreſi, non remittitur ad ſuum Ordinarium: ſed poteſt ab Inquiſitoribus puniri, & imponitur ei pœnitentia ſalutaris ſine abjuratione, ſecundum qualitatem exceſſus. Ità docet Molfeſius *in Summ. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.*24. *num.* 45. & ex eo Diana *eadem par.*4. *tract.* 5. *reſol.* 55. *in fine.* Vide Lezanam *par.*1. *tom.*1. *cap.*19. *nu.* 33. *&* 34.

2048 Inter. 7. Poteſtne Epiſcopus cognoſcere de crimine ſolicitationis, itaut, valeat quis penès ipſum Confeſſarium ſolicitantem denunciare?

Reſp. Apud me hoc eſt indubitatum: maximè poſt Bullam Greg. XV. quæ incipit *Univerſi Dominici gregis* de Anno 1622., & habetur 4. *tom. Bullar. intèr Bullas hujus Pontificis num.* 34. Ex qua clarè apparet poſſe Epiſcopum cognoſcere de crimine ſolicitationis: ità ut apud ipſum fieri poſſit denunciatio Confeſſariorum ſollicitantium ad turpia pœnitentes in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive antè, vel poſt immediatè: & ita docent plurimi Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *par.*1. *tract.*4. *reſ.*29. Imò ipſe Diana *par.* 4. *tract.*5. *reſ.*52. *verſ. Secùs autem,* docet, poſſe Epiſcopum ex vi præfatæ Bullæ contrà Confeſſarios ſollicitantes, ſeparatim ab Inquiſitore inquirere; nam in dicta Bulla ſic habetur. *Et prætereà omnes Inquiſitores, & locorum Ordinarii ſuper his contrà prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, &c.* Verùm, ubi adeſt Inquiſitio Hiſpanica, non poſſe Epiſcopum ſeparatim ab Inquiſitore cauſas de rebus Fidei cognoſcere, tenet, & probat ipſe Diana *loc. cit.* licèt oppoſitum ſentiant alii. Vide Bonac. *de oneres, & oblig. denunc. diſp.*6. *pun.*3. *n.*23. *tom.*1.

1049 Inter. 8. Epiſcopus poteſtne ſeparatim ab Inquiſitore proferre ſententiam contrà Confeſſarios ſollicitantes, & è contrà.

Reſp. Licèt, Epiſcopi, & Inquiſitores poſſint ſeparatim procedere in hujuſmodi criminis cognitione: tamen non poſſunt ſeparatim ſententiam condemnatoriam contrà Confeſſariū ſollicitantem proferre; ſed debet fieri communicatio proceſſuum, juxtà regulas

gulas

Digitized by Google

gulas Juris Canonici. Imò neque poſſunt ſententiam abjurationis ſeparatim proferre, & ſecùs facientes, nulla eſſet ſententia in utroque caſu, prout rectè firmat juribus, & Doctoribus allegatis Panimolla *tom.* 2. *deciſ.* 84. *adnot.* 3. *num.* 30. & antè illum, docuerat aliis citatis Diana *par.* 4. *tract.* 5. *reſ.* 53.

2050 Inter. 9. Poſſunt ne, ſaltem Epiſcopi, vel Inquiſitores ſeparatim ſententiam abſolutoriam proferre?

Reſp. Affirmativè reſpondent Facundez, Souſa, Molina, & alii penes ipſos, ut teſtatur Diana *ubi ſuprà*, ſed meritò ipſe aliis allegatis negativam ſuſtinet ſententiam: quia condemnare, & abſolvere ejuſdem ſunt poteſtatis, utpotè contraria, & adverſa: ergò ſi non poſſunt ſeparatim condemnare, neque abſolvere poſſunt, nam argumentum à contrario ſenſu eſt fortiſſimum in jure, habetur, *ex l.* 1. §. *Hujus rei, ff. de Officiis ejus, cui, &c.* tandem ità tradunt Caſtropalao *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 13. *num.* 18. & alii plures, quos ſequitur Panimolla *loco proximè cit. num.* 31. & ità in praxi obſervatur.

2051 Inter. 10. Poteſt ne Epiſcopus ex delatione unius fœminæ in carcerem detrudere Confeſſarium ſollicitantem?

Reſp. Dico, quòd non, quià prius conſtare debet de delicto per duos teſtes, ſaltem fide dignos, quare ex delatione unius fœminæ quantumvis honeſtæ, non eſſe Confeſſarium in carcere detrudendum, docent Fraitas, & Souſa apud Dianam *par.* 4. *tract.* 5. *reſ.* 55. Unde Sac. Congregatio S. Officii rectè quidem cenſuit hujuſmodi Confeſſarium denuntiatum per ſolam pœnitentis depoſitionem, carceribus mancipari non debere; ſed priùs certiorari debet Sacra Congregatio *de qualitate Mulieris ſollicitatæ, & Confeſſarii denuntiati*. Vide Lantuſcam *in Theat. Regul. verb. Pœnitens*, Panimollam *ubi ſupra, ſub num.* 37. qui ſibi teſtatur ab eadem Sac. Congreg. reſcriptum fuiſſe, ut obſervare faceret andamenta Confeſſarii denuntiati. Vide iterum Dianam *par.* 1. *tract.* 5. *reſ.* 28. ubi ſic inquit. Conſiderare debent circumſtantias, & qualitates tàm fœminarum denunciantium, quàm Sacerdotum, qui accuſantur; Et in pari qualitate prævalet Confeſſarius, ut ſervatur in praxi, teſte eodem Diana *par.* 4. *tract.* 5. *reſ.* 55. Nam fœminæ, ut plurimum ſunt mutabiles, leves, doloſæ, mendaces, corruptibiles, fraudolentæ, & pronæ ad accuſandum, ad odium, ad indignationem, ut ait Bonac. *de onere, & oblig. denunc. tom.* 1. *diſp.* 6. *pun.* 3. *ſub num.* 25. *&* 26.

2052 Inter. 11. Poteſtnè Epiſcopus, vel Inquiſitor Sacerdotem de hoc crimine ſollicitationis delatum punire, ſi delictum non probetur?

Reſp. Quot fœminæ, ſeù perſonæ ſufficiant ad plenè probandum præfatum crimen, non conveniunt DD. ut videre licet apud Dianam *loc. cit.* Panimollam, & Bonac. *ubi ſuprà*, ideòque concludunt, hoc eſſe relinquendum arbitrio, & recto judicio Superiorum, ſpectatis ſemper circumſtantiis, & qualitate perſonæ denuntiantis, & Sacerdotis denuntiati, an ſcilicet ſit deditus peccatis carnis, levis, inde votus, ſi aliàs fuerit inquiſitus, &c. Et quamvis hoc delictum poſſit probari per teſtes ſingulares, ut per duas, vel tres fœminas, quæ ſingulæ ſeorſum affirment ſe à tali Confeſſario in confeſſione, ſive antè, vel poſt immediatè ſolicitatas fuiſſe, tamen niſi legitimè conſtet, ipſum Confeſſarium deliquiſſe, puniri non poteſt: quia Judex ſe exponeret periculo puniendi innocentem, quare ſervatis prudentiæ regulis, debent Epiſcopus, & Inquiſitor ſe gerere in tali caſu, prout in conſcientia judicaverint delictum fuiſſe plene probatum, vel non antequam ad ſententiam deveniant. Ità ex prædlegatis Doctoribus, & Dian. *par.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 7. *in fine.*

TI-

TITULUS CCX.

De Sponſalibus.

Vide tit. de Juram. Int. 8. *tit. de valid Sponſal. tit. de vot. Int.*15. 16.

2053 INter. 1. Quomodo poſſunt definiri,ſeù deſcribi ſponſalia?

Reſp. Ita poſſunt deſcribi: Promiſſio mutua futuri matrimonii ſigno ſenſibili expreſſa. Toletus *lib.*7.*cap.*20. *num.*1. Bonac. *de Matrim.qu.*1. *pun.*1. *propoſ.* 1. & 2. Cabrin. *de caſ. reſerv. par.*2. *caſ.*6. *annot.*6. *num.*19. & in hoc omnes DD. conveniunt.

2054 Inter. 2. Cenſeturne contraxiſſe ſponſalia, qui dicit fœminæ volo te accipere, habere, aut ducere in uxorem?

Reſp. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. diſp.*18. *num.* 25. & alii plures, dicunt, quòd ſic, tamen eſt valde probabile oppoſitum, quia illa verba, præcisè, & per ſe loquendo, non ſignificant promiſſionem, ſed propoſitum; & propoſitum certò nullam inducit obligationem: ideò quotieſcumque ex circumſtantiis aliud non colligatur, non cenſetur contraxiſſe ſponſalia, cum illa verba non ſufficiant ad inducendam obligationem, ipſam ducendi in uxorem. Ità pluribus relatis contra Sanchez firmat Bonac. *loco proximè citato num.* 3. Panimolla *tom.*1. *dec.*23. *nu.*6. Cabrinus ubi ſupra *annot.* 1. *num.*5. & alii.

2055 Inter. 3. Poteſtne quis juſtè reſilire à ſponſalibus celebratis cum ea, quæ putabatur virgo, ſi poſteà ſcit illam fuiſſe ab alio defloratam?

Reſp. Dico, quod hoc licitè facere poſſit, quià ſponſalia ſolvuntur ſuccedente aliquo, quod ſi præceſſiſſet, non fuiſſent contracta, ut docent Emm. Sà *verb. Sponſalia nu.*12. Sanchez *de Matrim. lib.*1. *diſp.*63. Ledeſma, & Leſſius, Rebellius, Coninchius, Reginal., Filliucius, & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Matrim. diſput.* 1. *pun.* 8. & 16. Itaque, non tenetur, quis ſtare ſponſalibus celebratis cum illa, quæ putabatur virgo, dum poſtea cognita eſt ab alio deflorata. Ità Bonac. *ubi ſupra num.*17. & 21. nam defectus, & cauſæ, quæ ſufficiunt ad diſſolvenda ſponſalia, quando ſuperveniunt, ſufficiunt etiam, ſi præceſſerint: quià cum ſponſalium tempore non apparent, proinde eſt, ac ſi non eſſent, cum verò poſteà apparere incipiunt, proindè eſt, ac ſi de novo exiſtant, & probabilitèr ignoratæ cenſentur, ut rectè reſolvunt Navar. *in man. cap.* 22. *num.* 27. Sanchez *ubi ſupra,* Henriquez *de Matrim. lib.*11. *cap.*14. *num.* 6. Layman. *lib.* 5. *tract.*10. *par.*1. *cap.* 2. *num.*19. quibus ſubſcribit Cabrinus *Elucidar. caſ. reſer. par.*2. *caſ.*6. *annot.*5. *fol.*123. Vide Armillam *verb. Sponſalia num.* 7. ubi plura ad hoc propoſitum docet.

2056 Inter. 4. Sponſalia poſſuntne propria auctoritate diſſolvi; & per matrimonium celebratum, cum alia cenſenturne priora ſponſalia ſoluta?

Reſp. Quamvis, ad dirimenda ſponſalia neceſſaria, ſit Judicis Eccleſiaſtici auctoritas; tamen quando cauſa eſt manifeſta, aut de cauſa ſufficienti conſtat, non requiritur Judicis actio ad illa diſſolvenda, ut docent Sylveſter *verb. Sponſalia num.* 10. Emm. Sà *eodem verbo num.*12. & alii plures cumulati per Bonac. *loco prox. citat. pun.* 10. *num.*15. quæ doctrina tamen intelligenda eſt, ſi natura rei ſpectetur, quià per accidens, ut ratione ſcandali vitandi fieri poteſt, ut neceſſaria ſit Judicis authoritas, ut rectè advertit Bonac. ex Sanchez, & Guttierez. Tunc etiam neceſſaria eſt Judicis actio, quando dubitatur de ſufficienti cauſa, aut moraliter non conſtat, adeſſe cauſam ſufficientem. Ita Bonac. *ibidem num.* 9. & eſt communis ſententia. Tandem dico; quòd priora ſponſalia ſtatim diſſoluta cenſentur per Matrimonium valide celebratum cum alia, ut habetur *ex cap. ſicut ex litteris, cap. ſi inter Virum, cap.*

Digitized by Google

cap. Adoleſcens de ſponſalibus, & alibi, & docet idem *Bonac. loco ſupra citato*, Sanchez *lib. 1. diſp. 48. num. 3.* & alii, quidquid in contrarium dicat Pontius apud Dianam mox adducendum. Verùm ſevere eſt puniendus ab Ordinario, qui ſine juſta causa hujuſmodi Matrimonium celebrat primis ſponſalibus non rite diſsolutis. Sed vide Dianam *par. 3. tract. 4. reſol. 209.*

2057 Inter. 5. Diſſolvuturnè ſponſalia contracta cum una, ſi poſteà contrahantur cum alia, & ſequuta ſit copula?

Reſp. Quando poſt ſponſalia, cum prima, ſequuntur ſponſalia cum ſecunda, unà cum copula: diſſoluntur priora ſponſalia ex parte utriuſque. Ità docet Baſilius Pontius *de Matrim. lib. 12. cap. 14. num. 4.* & ità etiam tenent Rebellus, & Coninchius, quibus ſe ſubſcribit Diana *par. 3. tract. 4. reſol. 210.* licèt, probabilem etiam putet ſententiam Sanchez *de Matrim. lib. 1. diſput. 49. num. 5.* qui oppoſitum cenſet, niſi ſecunda fœmina, quæ cognita eſt, & violata notabile damnum pateretur; nam, tunc licitè poſset Judex obligare ad contrahendum Matrimonium cum ſecunda, ait ipſe Sanchez: cæterum vult, quòd injuria illata poſteriori ſponſæ non auferat jus ſuum priori ſponſæ, & ità etiam putat Bonacina *de Matrim. diſp. 1. pun. 5. num. 9.* quamvis *ibidem num.* 8. fateatur ex quadam æquitate ſervanda eſse ſecunda ſponſalia facta cum fœmina, quæ deflorata fuit, & rectè quidem; nam quilibet tenetur leve damnum pati ad impediendum, & vitandum graviſſimum proximi detrimentum: immò ex juſtitia tenetur ſtare ſecundis ſponſalibus, & ducere in Uxorem defloratam ab ipſo, licèt priora ſponſalia, cum Sanchez putem diſsoluta non eſse, conſequenter teneri poſt mortem Uxoris matrimonium contrahere cum illa, cum qua prius ſponſalia celebravit, ſi expectare velit. Et ratio mihi eſt: quia quando priori vinculo ſupervenit alius fortiùs diverſæ rationis, vel aliud impedimentum, quò minus primum impleatur, non extinguitur, ſed ſuſpenditur, ut patet in eo, qui votum Religionis emiſit, & poſtea Uxorem ducit, & matrimonium conſummat; adhuc enim diſsoluto matrimonio, tenetur Religionem ingredi, quia voti obligatio non extinguitur, ſed ſolùm ſuſpenditur. Vide quæ dicam *in tit. de Voto, ad Inter. 7.*

2058 Inter. 6. Ex ſponſalibus clandeſtinis, oriturne impedimentum publicæ honeſtatis impediens matrimonii celebrationem cum conſanguineis alterius in primo gradu?

Reſp. Sponſalia clandeſtina, quamdiù manent clandeſtina, in foro externo valida non habentur: ideò non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis. In foro verò conſcientiæ, & coram Deo, quia valida ſunt: & firma impedimentum publicæ honeſtatis pariunt, ſed probatis ſponſalibus, in defectum Teſtium, ſaltem juramento, ſtatim ex eis oritur dictum impedimentum, etiam in foro exteriori, ut rectè probat Cabrinus *De caſ. reſeru. par. 2. caſ. 6. annot. 6. num. 23.* Sponſalia autem clandeſtina, ideſt, quæ fiunt ſine Parocho, & Teſtibus, eſse valida, benè probat Sanchez *de Matrim. lib. 1. diſp. 12.* pro quo adducit pluſquam 20. Doctores.

TITULUS CCXI.

De Sponſis.

Vide tit. de Benedict. Nupt. tit. de Cicumſt. pec. Inter. 21. tit. de Paroch. Inter. 31. tit. de Sac. Matrim. Inter. 8. 24. tit. de Sponſal.

1059 Inter. 1. Poſſuntne licitè Sponſi de futuro delectari de copula futura, & ſine peccato mortali?

Reſp. Minimè: quia actus, non eſt

eſt eis licitus, nec permiſſus, Bonac. Layman, & alii apud Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 2. & in hoc omnes DD. conveniunt.

2060 Inter. 2. Licetne inter Sponſos de futuro oſcula, tactus, & amplexus?

Reſp. Si abſit periculum pollutionis, & tactus non ſint in partibus verendis, licent, & conſequenter non peccant ſponſi ſe oſculando, & amplexando, dumodò, non ſit periculum probabile pollutionis. Tolet *lib* 5. *cap.* 14. *ſub num.* 1. Sà *verb. Luxuria à num.* 13. Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 9. *num.* 6. *verſ. præterea*. Oppoſitum tamen eſt tutius, & in praxi ſequendum, ut aſſerit Bonac. *ibidem*.

2061 Inter. 3. Sponſa poteſtne communicare cum ſponſo excommunicato vitando, & ècontra? Et quid, ſi per verba de præſenti fuerint deſponſati?

Reſp. Sponſus non poteſt licitè, & ſine peccato communicare cum ſponſa in tali caſu, neque ſponſa cum ſponſo, quia eis, viri, & Uxoris nomen convenire non poteſt; & ſic lex favorabilis, quæ procedit de conjugibus, non poteſt extendi per identitatem rationis ad ſponſos de futuro, ut rectè reſolvunt Sanchez *de Matrimon. lib.* 9. *diſp.* 14. *num.* 8. Sayrus *de cenſ. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 7. Filliucius *to.* 1. *tract.* 13. *cap.* 6. *num.* 105. & alii. Verùm, ſi per verba de præſenti fuerint deſponſati, valdè probabile eſt, etiamſi per copulā matrimonium non conſumaverint, poſſe ſimul cohabitare & uti privilegio Canonis, *Quoniam multos* 11, *quæſt.* 3. Conjugibus conceſſo, quia nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, & omnia Jura de matrimonio loquentia, ac de viro, & uxore accipienda ſunt, quando per verba de præſenti contractum eſt, quamquam copula non intercelſerit, ut optimè firmat Diana *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 126. nam nomine Uxoris in favorabilibus venit illa, quæ matrimonium contraxit in odioſis verò, quæ conſummavit, ut docet Emm. Sà *verb. Matrimonium num.* 32. & alii plures.

2062 Inter. 4. Appellatione conjugum veniuntne, Sponſi, qui Matrimonium contraxerunt per verba de præſenti ſine copula?

Reſp. Ex cap. ex publico de converſ. conjug. & ibi Panormitanus apud Sylveſtrum *verb. Matrim.* 1. *quæſt.* 6. colligitur, quod nomine viri, & Uxoris intelliguntur illi, qui matrimonium conſummarunt, non autem, qui contraxerunt per verba de præſenti dumtaxat, & ità in materia odioſa dicendum eſt, ſecus autem in materia favorabili; Nam nomine Maritatæ in favorabilibus, venit etiam ſponſa de futuro, & nomine Uxoris, quæ contraxit. In odioſis verò ſolùm, quæ conſummavit, ut docet Em. Sà *verb. Matrimonium num.* 32. & Armilla *verb. Uxor. num.* 1. Sed de tali dubio fusè agit idem Sylveſt. *ubi ſupra n.* 6. & 7. apud quem plura videri poſſunt in facti contingentia. Vide etiam, *hic ad Inter. antecedentem*, & *ſupra in tit.* 89. *de Excommunicatione ob Clerici percuſſionem*, *Inter.* 22.

TITULUS CCXII.

De Stupro.

Vide tit. de Circumſt. pec. Inter. 11. *tit. de Confeſ. ſacr. Inter.* 17. *tit. de Eccleſ. Immun. Inter.* 32. *tit. de Excom. ob Cler. perc. Inter.* 20. *tit. de Met. Int.* 3. *tit. de Monial. Inter.* 2. *tit. de Virgin. Inter.* 2. *tit. de Vot. Inter.* 14.

2063 INter. 1. Si in aliqua Diœceſi, ſtuprum v. g. ſit prohibitum ſub pœna excommunicationis, ligaturne excommunicatione, qui incipit ibi delictum, ſed in aliena Diœceſi actum conſumat?

Reſp. Non contrahere excommunicationem docent Suarez *de cenſur. tom.* 5. *diſp.* 5. *ſect.* 4. *num.* 8. & 9. & de

de legib. lib. 3. cap. 32. num. 5. & ſeq. Salas *de legibus diſp. 14. ſect. 5. num. 71.* quibus ſubſcribit Diana *par. 3. tr. 6. reſ. 78. verſ. Notandum*. Et ratio eſt, quià hæc cenſura lata eſt abſolutè cōtrà ſtupratores, & non quomodocunque ſtuprum inchoantes, ac proindè quouſque ſtuprum conſummatum non ſit, cenſura incurri non debet. Vide Dianam *par. 5. tractat. 9. reſol. 33.* ubi aliis relatis hanc ſuſtinet ſententiam. Et rectè quidem, nam pœnæ non ſunt extendendæ ultra proprium ſignificatum; imò ſunt reſtringendæ, quando in odioſis aliquid decernitur. Sed hoc in caſu noſtro intelligendum eſſe, quandò aliud de mente Legiſlatoris non conſtet; ego puto.

2064 Inter. 2. Titius Sacris Ordinibus initiatus ſtupravit Bertam: ad quid tenetur dictus ſtuprator, & qua pœni eſt puniendus ab Ordinario?

Reſp. Tenetur illam dotare. Et licèt Titius neget eam Virginem fuiſſe, debet hoc probare; nam probatio non incumbit Bertæ, nec Patri ipſius, quia præſumitur virgo, ex quo pro tali habetur, & imputatur Titio, qui ea abuſus eſt: & ideò ratione delicti probatio transfertur in illum. Imò id verum eſt, quamvis Berta ſpontè acquievit ſtupro, quia virgo ſemper præſumitur ſeducta, & decepta in foro externo. Ità ex Panor. docet Sylveſter *verb. luxuria ſub num. 5.* ubi tandem in fine concludit, quòd ſecundum leges, aut ſtuprator debet relegari, & dimidia pars bonorum eis publicari, aut ſi eſt vilis perſona debet verbari: ſi verò per vim fecerit delictum capite plectitur; ità etiam pœna mortis punitur, qui puellam, quæ nondum ſit apta viro cognoſcit; ſed Clerici in foro Eccleſiaſtico, vel ad triremes, aut ergaſtulum condemnantur, aut per cōpoſitionem ſatisfacere permittuntur, ſatisfacta tamen prius parte læſa: ſed de hujuſmodi compoſitionibus pecuniariis omninò videndus eſt Diana *par. 10. tr. 8. reſ. 5. & 7.* nam non ità facilè admitti debent.

TITULUS CCXIII.

De Subdiaconis.

Vide tit. de Moribun. &c. Inter. 2. tit. de Ordin. ſac. Inter. 1. tit. de Privil. &c. Inter. 4. tit. Sac. Ordin. Inter. 2. & ad quæſ. 1.

2065 INter. 1. Licetne Epiſcopo Ordinem Subdiaconatus conferre Clerico Sæculari, qui ad titulum patrimonii ordinari deſiderat?

Reſp. Concilium Triden. *ſeſſ. 21. cap. 2.* id non permittit Epiſcopo, niſi pro neceſſitate, & commoditate Eccleſiarum ſuarum; & prætereà felicis recordationis Innoc. Papa XII. in ſua Conſtit. edita 1694. quæ incipit. *Speculatores*, ſtrictiſſime onerat Epiſcoporum conſcientias, ne à diſpoſitione Concilii recedant. Quamobrem niſi reverà urgeat neceſſitas, utilitas, aut commoditas Eccleſiarum ſuarum, omninò ſub pœna peccati mortalis ſe abſtinere debet Epiſcopus in dicto caſu.

2066 Inter. 2. Quid intelligitur pro ly *neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum*; ut habet Trident. *loco ſupra citato.*

Reſp. Per ly *Eccleſiæ utilitatem*, intelligitur quando pauci ſunt Miniſtri Eccleſiaſtici idonei, tunc utile, & commodum eſt Eccleſiæ aliquos ordinare ad Eccleſiæ miniſterium, atque majorem ornatum, & ſplendorem: Per ly *neceſſitatem* autem intelligitur quando deficerent Miniſtri, nec poſſent ſuppleri per jàm ordinatos onera, tam in Miſſarum celebratione, quam in aliis Eccleſiaſticis miniſteriis. Diana *par. 10. tr. 11. reſ. 10.* Vide *in tit. de Diſpenſatione, ad Int. 4. & tit. 197. ad quæſ. 3.*

2067 Inter. 3. Si aliquis Clericus in litteris, & virtutibus multùm profecerit, poteſtne ab Epiſcopo licitè promoveri ad titulum patrimonii?

Reſp. Mihi ſanè videtur dicendum,

quòd ſic, etiam poſt Conſtitutionem prædictam ſanctæ memoriæ Innocentii Papæ XII. Et ratio eſt: quià in tali caſu utilis, & neceſſarius foret Eccleſiæ, cum Eccleſia plurimum idigeat viris litteratis, quibus ſuſtentatur, & regitur *cap. ſuper ſpeculasti.ne Clerici, vel Mon. cap. cum ex eo*, & ibi Joan Monachus *de elect. in 6.* & alii, quos allegat, & ſequitur Pax Jordanus *tom. 1. lib. 1. tit. 19. num. 7.* Quare Epiſcopus juſtam haberet cauſam illum promovendi ad titulū patrimonii dumtaxat.

TITULUS CCXIV.

De Subditis.

Vide tit. de Celebr. Miſ. ad quæſ. 5. tit. de Correct. Inter. 5. tit. de Prælat. Regul. Inter. 1. 7. 16. 19. 24. 25. 26. 27. 28. 32. & ad quæſ. 1. tit. de Quer. Subd. reg. tit. de Relig. Inter. 103. 105. tit. de Regul. aliq. partic. Inter. 5. tit. de Sac. Confirm. Inter. 5.

2068 INter. 1. Quid debet facere Epiſcopus, & alius Prælatus, circà ſubditos delinquentes: teneturne illos punire?

Reſp. Debent, imò tenentur tam Epiſcopi, quàm alii Prælati ſuos ſubditos redarguere, corrigere, caſtigare, punire, & hoc ſub pœna peccati mortalis; quia de manibus Prælatorum ſanguis ſubditorum requireretur *cap. irrefragabili, de offic. ordin.* Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 18. num. 15.* Delicta enim ob bonum commune manere non debent impunita. *cap. Ut famæ 35. de ſent. excom. l. Si ità vulneratus 25. ff. ad legem Aquil.* Decius *in lege nec ex Prætorio 28. num. 4. ff. de regul. juris,* & habetur ex aliis juribus, & DD. Delinquentes igitur, debita pœna punire debent Superiores, & juxtà menſuram delicti debet eſſe plagarum modus, ut habetur ex Deutoronomio *cap. 25. & cap. Non afferamus, 24. quæſt. 1.* Siquidem, dum uni indulgetur indigno, ad prolapſionis contagium provocantur univerſi. Pax Jordanus *to. 1. lib. 1. tit. 8. ſub num. 16.* Sed notandum eſt, quòd Judex Eccleſiaſticus debet ſemper procedere ſecundum Sacros Canones; nam juxtà Sac. Canones Eccleſiaſtica judicia regulanda ſunt, *ut ex cap. 1. & cap. Sanctæ Mariæ, de conſtit.* & ibi Panormitanus colligitur.

2069 Inter. 2. Epiſcopus, vel alius Prælatus Eccleſiaſticus ergà ſubditos delinquentes, teneturne uti rigore, vel potiùs miſericordia?

Reſp. Epiſcopi, ſicut quivis alius Eccleſiaſticus Prælatus, ſtateram in manu geſtare debent, & in utroque penſo juſtitiam, & miſericordiam portare, ut juſto libramine, quædam per æquitatem corrigere, quædam verò per miſericordiam indulgere. *cap. Omnes qui diſt. 45.* Juſtitiam ſemper oleo miſericordiæ mitigantes, & miſericordiam cum ſeveritate temperantes. *cap. Summopere 11. quæſt. 3. & cap. Vera juſtitia diſt. 45.* Nam, ſicut impunitas ſummoperè fugienda eſt; ità, & exceſſivus rigor vitandus erit; rigor enim eſt juris exceſſus, ſummum jus, ſumma injuſtitia vocatur, qui autem nimium emungit, elicit ſanguinem *cap. Niſi cum pridem, de renunc.* Prælati igitur Eccleſiaſtici ad gratiam, & clementiam proni eſſe debent, nec ad puniendum, & vindictam principaliter debent intendere, ſed ad emendam, & correctionem, cum eorum officium ſit peccatorum, & delinquentium ſaluti providere magis, quam pœnam exigere; Ex charitate igitur, non ex furore agere debent, ut habetur *ex cap. cum Fraternitas 12. quæſt. 2.* maximè, quia aſſimilari debent Parenti Carnali, qui flagellat quidem Filium: ſed ei omnia bona ſervat; undè debent eſſe omnia in omnibus, atque confi-

de-

derare ſuorum ſubditorum conditiones, & qualitates, & cum Patris teneant locū, debent eſſe potiùs addimiĉti miſericordiæ, quam rigori; tum, quià magis expedit de miſericordia, quam de ſeveritate reddere rationem, & agere pœnitentiam, *juxtà cap. Alligant 26. quæſt. 7. cap. Diſciplina diſt. 45. cap. Ponderet diſt. 50. & l. quod ſi Ephesi, ff. de eo quod certo loco.* Tum, etiam quià ità mandat Sac. Concil. Trident. *ſeſſ. 13. cap. de reform.* ubi loquens de Epiſcopis, ſic habet. *Se Paſtores, non percuſſores eſſe meminerint, atque ità præeſſe ſubditis oportet, ut non in eis dominentur; ſed illos, tanquam Filios, & Fratres, diligant &c.* & Paulò inferiùs proſequitur: *Cum ſæpè plus erga corrigendos agat benovolentia, quàm comminatio, plus charitas, quam poteſtas: Sin autem ob deliĉti gravitatem, quandoquè virga opus fuerit; tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt.* Vide quæſo Tridentinum *loco cit. & cap. Licit plerumque 45. diſt.* ubi hæc, quæ dixi abundantiùs reperies. Et tandèm prò coronide hoc unum non prætereo: ſcilicèt, quod non pro quolibet deliĉto debent Epiſcopi fulminare, ut vel excommunicent, vel deponant, &c. Quià ſi quoties peccant homines, ſua fulmina mittat Jupiter, exiguo tempore inermis erit; ità ex Gloſ. *in verb. Aut deſinant, in cap. 1. verb. Epiſc. 45. diſt.* & hoc idem dicendúm eſt de Religioſorum Prælatis.

2070 Inter. 3. Qui non eſt ſubditus Epiſcopo, poteſt ne aliquo modo fieri ei ſubditus, quoad incurrendas cenſuras?

Reſp. Maximè, & eſt quandò quis committit aliquod deliĉtum in alterius Diœceſi, & Epiſcopus ſciens illud deliĉtum, præcipit ipſi delinquenti ſub pœna excommunicationis incurrenda tali tempore, ut ſatisfaciat parti pro tali deliĉto, quare ſi eo tempore non ſatisfaciat, excommunicationē incurrit, nec poteſt à proprio Epiſcopo abſolvi, quia ratione deliĉti factus eſt ſubditus illius Epiſcopi ferentis cenſuram, à quo dumtaxat poteſt abſolvi. Ità etiam alio modo, ſi quis dum eſt in alieno Epiſcopatu, ſit citatus ab illo Epiſcopo in aliqua cauſa coram illo diſcutienda, & contingat illum excommunicari, ab alio non poterit abſolvi, quià ex lite, coram illo pendente, ipſe Epiſcopus accipit jus in illum, & ſit hac ratione ejus ſubditus, prout ſatis ex *cap. Propoſuiſti, de foro compet.* probatur, & docet etiam Diana *par. 5. tract. 9. reſ. 9.* & alii communiter.

2071 Inter. 4. Subditus teneturne obedire Prælato præcipienti, quando ſibi aliquod grave damnum in corpore, fama, aut rebus, vel tertiæ perſonæ imminet, aut probabiliter timetur eventurum?

Reſp. Dicunt aliqui Doĉtores non teneri obedire, & in dubio favendum eſſe illi, de cujus damno agitur. In dubiis tamen dico, quòd Religioſus tenetur obedire, ut reĉtè docet Lezana *tom. 1. cap. 4. nom. 24. 25. & 26.* Secus verò, quando ei conſtat evidenter ſuperiorem præcipere aliquid cum ejus gravi damno, tunc, ſi non obedit ſubditus, non poteſt puniri, quia ſine culpa obedientiam non præſtat, ſemper enim in obedientia ſunt aliquæ conditiones ſubintelligendæ, ſcilicèt ſi poſſibilitas adeſt, aut ſi aliquod grave damnum ex obedientia non timetur; nam licèt ſubditus non ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis, eſt tamen in poſſeſſione ſuæ ſecuritatis, ſeù juris conſervandi ſe, vel alterum à periculo. Ità Leſſius, Sanchez, & alii, quos refert, & ſequitur Buſſembaum *lib. 4. cap. 1. dub. 4. reſp. 2. in fine pag. 363.* Diana *in Sum. verb. Subditus num. 2. & verb. Prælati Regulares nu. 11. & verb. opinio num. 10. & par. 4. tract. 3. reſol. 9.* Vide Sylveſtrum *in verb. obe-*

Qq 2 *dien-*

Digitized by Google

dientia quæſt. 3. Nec valet dicere cum Panor. apud eumdem Sylveſtrum *ver. Religio* 6. *num.* 6. quòd in licitis implebilibus quantumcumque duris non poſſit Religioſus reſiſtere: nàm hoc, ut dicit idem Sylveſter, eſt falſum; quia ſemper debet intelligi de licitis, non ſolùm ſecundum ſe; ſed etiam reſpectu præcipientis licitè, & ſecundùm poſſibilitatem rei præceptæ; ſed præcipens non præcipit licitè, quando præcipit ſuprà vires, aut cum morali impoſſibilitate, ut dixi *in tit.* 171. *de Præceptis, ad Inter.* 5. reputatur enim impoſſibile id, quod cum maxima difficultate fieri poteſt *l. Africanus, & l. apud Julianum* 11. 3. *fin. ff. de legat.* 1. Decius *in l. qui poteſt* 134. *num.* 3. *ff. de regul. Juris*: ergo ſubditus non tenetur obedire, & licitè poteſt ad Superiorem majorem appellare; quia cenſetur eſſe contra jus gravatus, aliàs ſequeretur, quòd Superior malè affectus erga ſubditum poſſet illum ſibi male viſum cogere ad deſperationem, quòd eſt abſurdum afferere. Ideòque poteſt ſubditus in dicto caſu ſe redimere ab injuſta vexatione, & à quocumque gravi incommodo mediante appellatione. Sint ergò Superiores diſcreti, quià diſcretio eſt mater omnium virtutum, ut habetur *ex Clem. Paſtoralis, de ſent. & re judicata*: & tandem notent, quod Prælatus, qui nō ſervat reverentiam ſubdito, nec ſubditus tenetur ei ſervare, habetur *ex cap. Eſto ſubjectus* 95. *diſt. cap. de forma.* 22. *qu.* 5. *cap. Iniquum* 23. *quæſt.* 5. & ex Gloſ. *in cap. cum beatus in verb. ſubtrabere* 45. *diſt.* Vide quæ dixi *ſuprà in hoc titulo, ad Inter.* 2.

2072 Inter. 5. Si Subditus habet ſufficientem, & certam cauſam diſpenſationis, & non adeſt Prælatus, qui illam tribuat, quid debet facere ſubditus in tali caſu?

Reſp. Multi dicunt, apud Lezanam mox adducendum, poſſe tunc ſecum per Epychejam diſpenſare. Ità Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 26. *art.* 5. Peyrinus *de Privil. minim. tom.* 1. *qu.* 1. *de Obendientia cap.* 8. qui etiam addit, quòd ſi manifeſta cauſa, aut neceſſitas adſit, & Prælatus ex odio, aut malitia nolit diſpenſare; ipſo jure diſpenſatum eſſe, & conſentit etiam Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 13. *n.* 4. quos Doctores refert, & ſequitur Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 7. *num.* 19. *circa finem*.

TITULUS CCXV.

De Superſtitionibus.

Vide tit. de Differ. Int. 15. 16. *tit. de Hæreſ. &c. Int.* 16. *tit. de Homic. Int.* 9. *tit. de Inquiſitor. tit. de Lib* 6. *rohib. Int.* 7. *tit. de Paru. mat. Int. ult. tit. de Relig. Sac. Int.* 6. 7.

2073 INter. 1. Quid, & quotuplex eſt ſuperſtitio?

Reſp. Superſtitio eſt vana, ſeù falſa Religio, aut cultus alicujus indebitè conceſſus, ut docent Doctores communitèr teſte Lezana *tom.* 2. *verb. Veneficia num.* 5. Immò S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 92. *artic.* 1. dicit, quod ſuperſtitio eſt vitium Religioni oppoſitum ſecundùm exceſſum: non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera Religio: ſed quia exhibet cultum divinum cui non debet, vel eo modo, quo non debet. Vide Sylveſt. *verb. Superſtitio nu.* 1. Navar. *in man cap.* 11. *num.* 22. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 1. Bonac. *de legib. tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *per totum.* Superſtitionis ſpecies ſunt quatuor. Prima eſt indebitus cultus vero Deo tributus, Secunda Idololatria, Tertia Divinatio, Quarta, Obſervantia vana. Ità Navar. ubi ſuprà *num.* 23. Sayrus in clavi Regia *lib.* 4. *cap.* 4. Lezana *loco citato*, & alii. Vide Cabrinum *par.* 2. *caſ.* 8. *in princ. & infrà ad Inter.* 19.

2074 Inter. 2. Quid facere debent Confeſſarii audientes confeſſiones illorum, qui aliquod ſortilegium, aut ma-

maleficium, ſeù ſuperſtitionem commiſſe ſe accuſant?

Reſp. Debent diligenter illos examinare, an ſcilicet, bona, vel mala fide iis uſi fuerint, num damna proximo intulerint, ad quorum compenſationem debent illos obligare, an alios nefariam incantationis artem inſtruxerint, quos ab ipſa omninò revocare tenentur; an libros, brevia, imagines, ſigilla, vel alia magica ſymbola apud ſe habeant, quæ erunt comburenda. Si verò Confeſſarius pœnitentem crimine hæreſis infectum repererit, itaut habeat, aut habuerit erroré in intellectu, exterius expreſſum cum pertinacia, illum abſolvere nequit, niſi ſit in articulo, vel probabili mortis periculo, cum ſit caſus in Bulla Cœnæ contentus, adeò ut, neque Inquiſitores poſſint ab hæreſi in foro interno abſolvere, ut dixi *in tit.* 102. *de Hæreſi, & Hæreticis ad Int.* 5. aut alteri facultatem delegare, ſed tantùm in foro externo, & mediante foro externo, hoc eſt in ſanctæ Inquiſitionis Officio, ut docent Carena *de Offic. S. Inquiſitionis par.* 2. *tit.* 1. §. 26. *num.* 196. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 40. *num.* 26. & alii. Immò neque omnes Confeſſarii poſſunt pœnitentes à maleficiis, veneficiis, incantationibus, ſortilegiis, & ſuperſtitionibus, præſertim cum abuſu Sacrarum rerum, abſolvere; nàm ferè ubique eſt caſus reſervatus; ideò conſulendæ ſunt conſtitutiones Synodales Diœceſum. Ceterùm benè à Confeſſario excutienda eſt iſtorum conſcientia, & omnes de ſuperſtitioſis obſervationibus debent admoneri, & omninò deterreri, ut in poſterum caveant. Vide Cabrinum *Elucid. caſ. reſerv. par.* 2. *caſ.* 8. *in fine*, ubi agit de gravitate hujus delicti, & obligatione Confeſſarii perdoctè.

2075 Inter. 3. Qui utitur ſuperſtitioſa medendi arte, eſtnè denunciandus S. Officii Inquiſitoribus, & eſtnè præmittenda correctio?

Reſp. Abſque dubio, qui ſuperſtitioſis utuntur divinationibus, vel ſimilibus medendi artibus, denunciandi ſunt Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, ut docent Bonac. *de Legibus tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſ.* 5. *pun.* 4. *num.* 19. & Cabrinus *ubi ſup. in reſolutiva praxi pro incidentibus num.* 11. nam ita præcipitur in Edicto S. Inquiſitionis, cui tàm in dubio punitionis, quàm emendationis parendum eſt, cum poſſeſſio ſtet pro præcepto: & licèt præfati Auctores dicant præmittendam eſſe correctionem fraternam, ſi profutura cenſeatur, & ſubſit ſpes emendationis: quià præceptum correctionis quando effulget ſpes emendationis, ſemper obligat, excepto caſu hæreſis formalis, ac ſolicitationis in Sacramentali confeſſione; tamen mihi videtur dicendum, ut aſſervi *in ti.* 52. *de Correctione, ad Int.* 8. in delictis ſpectantibus ad S. Officium; nullà præmiſſa correctione fraterna facienda eſſe denunciationem, maximè ſtante Conſtitutione Alex. VII. quæ incipit, *licèt alias*, in qua præcipitur, quòd nulla præmiſſa correctione, denunciandi ſint, etiam de hæreſi levitèr ſuſpecti: quòd autem hi ſint de hæreſi ſuſpecti patet ex eo, quia utuntur ope dæmonis, & cum pacto ſaltè implicito qui tali modo medendi utuntur; nàm factum ſuaptè natura malum præſumitur mala intentione factum. Et quamvis expreſsè proteſtentur ſe non intendere dæmonem invocare, eis ſuffragari nó poteſt, quia proteſtatio eſt contraria facto: ſiquidem dum illicitum aliquê modum curandi vulnera adhibent, procul dubio tacitè ad dæmonem recurrere cenſentur. Imò nota ex Souſa, quem refert, & ſequitur Trullench. *in decal. lib.* 1. *cap.* 10. *dub.* 9. *num.* 15. quòd omnis familiaritas, & pactum cum dæmone expreſsè, vel tacitè, hæreſim, vel Apoſtaſiam involuit; ergò, &c. *vide infra in hoc tit. ad Inter.* 9. *& ſuprà in ſupracit. tit.* 52. *de Correctione, ad Int.* 6. *&* 7. *& in tit.* 66. *de Denunciationibus ad Int.* 11.

Inter.

2076 Inter. 4. Eſtne licitus ille modus curandi vulnera in loco diſtanti, applicando remedia gladio, aut vittis vulneratorum ſanguine madefactis?

Reſp. Talem medendi modum ſuperſtitioſum eſſe; latè, & luculenter probat Bonac. *loco proxime cit. pun.* 4. *num.* 17. Immò Leander *par.* 6. *tract.* 9. *diſp.* 1. *quæſt.* 38. dicit, id ſentire omnes, ſcilicet eſſe ſuperſtitioſam medicationem gladii diſtantis à vulnerato. Eadem omninò ratio currit de medicatione pannorum intinctorum ſanguine vulnerati diſtantis: ergò, &c. Siquidem cauſa naturalis non agit extrà ſphæram ſuæ activitatis; ut docent communiter Philoſophi: ergò cum talis ratio medendi non ſit naturalis, procul dubio convincitur ſuperſtitionis diabolicæ eſſe damnanda; ut tenent etiam Leſſius, & Mazzuchellus, quos dat, & ſequitur Cabrinus *in ſuo Elucid. caſ. reſer. par.* 2. *caſ.* 8. *annotat.* 3. *num.* 8. & hæc quidem eſt omnium Theologorum communis ſententia. Idem docet Illuſtriſſimus Dandinus *de Suſpectis de hæreſi cap.* 2. *ſect.* 2. *ſub ſect.* 5. §. 3. *num.* 9. *& ſeqq.* & plures Concordantes adducit. Unde Diana coord. *tom.* 5. *tract.* 10. *reſol.* 109. *n.* 16. rectè ſic inquit: Epiſcopi, & Inquiſitores vigilent ſupradicta medicamenta, ut vocant ſympatica, à ſuis Diœceſanis eliminare. Tandem Carena *de Offic. S. Inquiſit. par.* 2. *de ſort. tit.* 12. §. 4. *num.* 29. *in fine*, ſic concludit: Medentes medicamẽtis ſympaticis debent denunciari Sancto Officio: & in Sancto Officio Cremonæ hujuſmodi ſic, vel ſimilibus modis medentes puniuntur graviſſimè. Vide etiam Moronum *reſp.* 95. *num.* 167. & Goudin. *tom.* 2. *in prima par. phyſ. diſp.* 3. *qu.* 6. *artic.* 2. *de condit. motus*, *& infra ad Int. ult. hujus tituli.*

2077 Inter. 5. Quot ſunt ſpecies rerum ſacrarum, quibus abutuntur ſuperſtitioſi, ſortilegi, malefici, & alii ſceleſti homines?

Reſp. Tres ſunt ſpecies rerum ſacrarum, ut docent Doctores communiter. In prima ſpecie numerantur Sacramenta; in ſecunda res ſacræ, ut Sacramentorum vaſa, Sanctorum Reliquiæ, Imagines ſacræ, quæ vulgo Agnus Dei dicuntur, candelæ, & palmæ benedictæ, ſal exorcizatum, Aqua luſtralis, ſeu benedicta, Imagines Dei, & Sanctorum, paramenta Sacerdotalia, brevia ſacra ad collum appenſa, & alia hujuſmodi. In tertia verò veniunt ſacramentalia, quæ ſunt actiones ſacræ, quibus in Sacramentorum adminiſtratione, vel Miſſæ celebratione utitur Eccleſia Catholica: ut oratio Dominica, preces, benedictiones, variarum rerum conſecrationes, ſignum ſanctæ Crucis, invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, Sanctiſſimi nominis Jeſu, vel Deiparæ Virginis, Symbolum Apoſtolorum, Evangelium S. Joannis, verba Sacræ Scripturæ, v. g. verſiculi Pſalmorum David. Quorum abuſus ſortilegium conſtituit. Vide Finellium *de caſ. Reſeru. caſ.* 2. *num.* 23. *&* 24. Dianam *par.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 14. quos refert, & ſequitur Cabrinus *ubi ſupra pag.* 156. *num.* 44. 45. *&* 46.

2078 Inter. 6. Eſtne licitum à Malefico petere, ut maleficium maleficio tollat?

Reſp. Doctores communiter dicunt numquam hóc eſſe licitum, quia diſſolvere maleficium alio maleficio eſt intrinſecè malum, ac proindè nullo caſu licitum, etiamſi Maleficus ad id eſſet paratus, quià nulla ratione licitum eſt inducere hominem quantùcumque paratum ad offendendum Deum, ut optimè docet Cajet. *in Summ. verb. Maleficium*. Siquidem uſus artis magicæ, in quo intervenit tacita, vel expreſſa dæmonis invocatio, nullo modo licet, ergo nec petere, aut conſentire quis poteſt, ut maleficium alio maleficio diſſolvatur à Malefico. Si verò Maleficus licito modo poſſit maleficium tollere, quamvis conſtaret petenti, quod Maleficus non ſit illud diſſoluturus, niſi per novum ma-

maleficium, dicunt aliqui licitum eſſe, à Malefico id petere, imò etiam pecunia, aut verberibus cogere, ut maleficium à ſe poſitum tollat: Et ratio eſt, quia in tali caſu petitur ab ipſo, quod licitè præſtare poteſt, ſi velit. Ità pluribus citatis reſolvit Cabrinus *de caſ. reſerv. par. 2. caſ. 8. annot. 6.* Idem etiam docet Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſput. 95. num. 11. ſed num. 12.* rectè monet duo. Alterum eſt nullatenùs licere admittere, ſi Maleficus applicare velit medicinam aliquam vanam, & ſuperſtitioſam; quia hoc non eſt, niſi uti ope, & invocatione dæmonis, quod eſt intrinſecè malum. Alterum verò eſt, quando ſpes eſſet fore, ut prodeſſet monitio, teneri petentem ex lege charitatis illum monere, ut medio licito faciat, alias eſſet Reus præcepti correctionis fraternæ violatæ. Vide Dianam *par. 5. tract. 7. reſol. 15.* & præſertim Sylveſtrum *verb. Maleficium num. 8. per totum*, qui certò rectè concludit, & Bonac. *to. 2. de legib. diſp. 3. quæſt. 5. pun. 5. num. 7. & ſeqq.* Vide etiam ſuprà *in tit. 103. de Homicidio, ad Int. 13.* & Moronum *reſp. 95. n. 177. & ſeqq.*

2079 Inter. 7. Magicis artibus addicti, & qui ipſos Magos conſulunt, & petunt opera eorum, ſuntne ipſo facto excommunicati?

Reſp. Quamvis magia ſæpè ſit hæreſi conjuncta, aliquando tamen eſt ſine hæreſi: undè ſi Magus credat dæmones dignos eſſe aliquo honore, poſſe aliquid facere, abſque divina permiſſione. In alia vita ſe bonum ab eis recepturum, ſemper vera dicere, &c. & hoc Magus credat cum pertinacia, utique cenſeri debet hæreticus, & conſequentèr excommunicatus in Bulla Cœnæ. Si verò non habet errorem in intellectu cum pertinacia, licèt graviſſimum peccatum committat, cum intercedat pactum implicitum, ſeù tacitum, aut expreſſum cum dæmone, non tamen ipſo facto eſt excommunicatus; ſed excommunicari debet, ut habetur *ex cap. Si quis, 26. quæſt. 5.* Qui autem Magos conſulunt, & opera eorum petunt, ſunt excommunicati, ut patet ex dicto *cap. Si quis*; quamquàm hæc excommunicatio nemini ſit reſervata, ut docet Toletus *lib. 4. cap. 14. num. 7.* qui addit etiam, quòd ignorantia non craſſa poteſt excuſare hominem, quando neſcit ibi invocari dæmonem, donec ab aliquo advertatur, vel per ſe cognoſcat, nam, tunc mortaliter peccaret. Idem docet Leſſius *lib. 2. cap. 44. dub. 4. num. 26.* Vide Cabrinum *de caſ. reſerv. caſ. 8. par. 2. de gravitate hujus delicti, & obligatione Confeſſarii.* Pro foro autem externo, qua pœna ſint puniendi ab Inquiſitoribus, qui dant operam ſortilegiis, divinationibus, & magiis. Vide Dianam *par. 4. tract. 7. reſol. 10.* Ego enim brevitatem amplector. Vide etiam *ad Inter. ſequentem.*

2080 Inter. 8. Quid eſt ſortilegium? & daturne parvitas materiæ in ſortilegiis, & magia?

Reſp. Sortilegia dicuntur à ſortibus, quæ ſortes dividuntur à Doctoribus in tres ſpecies, ſcilicèt in diviſorias, conſultatorias, & divinatorias. Sortes verò proprie dicuntur, ut earum eventu conſiderato aliquid occultum innoteſcat; etſi aliqua res dividenda, vel alicui adjudicanda, dicatur ſors diviſoria; ſi quæritur quid ſit futurum, dicitur ſors divinatoria; ſi verò quæritur quid ſit agendum dicitur ſors conſultoria. Sortes divinatoriæ omninò ſunt illicitæ, & ſuperſtitioſæ; Item ſortes conſultoriæ regulariter loquendo ſunt illicitæ, cum non ſortibus, ſed Eccleſiæ præcibus, Sanctorum Doctrina, piorumque conſilio Divina ſervanda ſit voluntas, ultra quod harum uſus malitiam ſuperſtitionis continere poſſunt, ſi interveniat expreſſa, vel implicita dæmonis invocatio. Vide Sanchez *in Summ. tom. 2. cap. 38. num. 88.* Bonac. *tom. 2. diſp. 3. quæſt. 5. pun. 3. num. 15.* Zeccum *de caſ. reſeru. caſ. 8. num. 5. pag. 174.* Cabrinum *ubi ſupra par. 2. caſ. 8. annot. 1. num.*

Digitized by Google

*num.*1. *& ſeqq.* Ceterùm ſortes diviſoriæ, licèt in multis rebus ſint licitæ, ſi eventus non expectetur à dæmone, vel à fortuna, velut ab aliquo numine, ſed à ſolo Deo, atque caveatur, ne ulli fiat injuria, nec adhibeantur in electione ad Dignitates,& Officia Eccleſiaſtica; tamen aliquando,& harum ſortium uſus poteſt eſſe illicitus, ſi earum directioni præſit diabolus intercedente pacto expreſſo, vel tacito inter dæmonem, & mittentem ſortes, ut rectè docent Sanchez *loc. cit. num.*89. Facundez *de præcep. decal. lib.*8. *cap.*4. *num.*12. Graffius *de caſ. reſerv. lib.*3. *cap.*1. quibus ſubſcribit Cabrinus; ſed vide Bonac. *de legib. tom.* 2. *diſput.*3. *quæſt.*5. *pun.*3. *num.* 13. *& ſeqq.* Tandem dico, quòd in ſortilegiis illicitis, & magia non datur parvitas materiæ, excuſans à mortali, ut pluribus relatis aſſerit Diana *par.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 29. Gabriel Beatus *quæſt.*57. *num.* 21. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Veneficia per totum*, qui plura congerit ad hoc propoſitum.

2081 Inter. 9. Eſtnè licita Aſtrologia, & quotuplex eſt Aſtrologia, & quam pœnam incurrunt Aſtrologi Aſtrologiam prohibitam exercentes, & non præmiſſa correctione, ſuntnè Inquiſitoribus denunciandi?

Reſp. Non omnis Aſtrologia eſt licita, neque omnis eſt prohibita, conſequenter eſt licita, & permiſſa. Dico igitur primo, quòd Aſtrologia naturalis, quæ ex aſtrorum ſitu, motu, conjunctione,& oppoſitione illos effectus prædicit, qui a neceſſariis cauſis proveniunt, ut Eclypſes, nives, pluvias, grandines, ſiccitates, ventos, ſalubritatem, morbos, & alia hujuſmodi, quæ naturaliter contingunt, non ſolùm non eſt illicita, nec prohibita, ſed ipſius uſus agriculturæ, medicinæ, & navigationi plurimum conducit, & quià talis præcognitio fieri poteſt, abſque dæmonis ope, & auxilio, cum à virtute cœleſti dumtaxat habeatur, ideò eſt licita,& permiſſa, ut omnes Doctores teſtantur. Et quia inſuper Aſtra directè agunt in corpora, ut docet S. Thomas contrà Gent. *cap.*54. *&* 85. & alii omnes. Ideò Aſtrologi, qui ex horoſcopo, hoc eſt ex puncto nativitatis pueri alicujus, conjectant illius temperamentum, & propenſiones naturales, non peccant, quia utuntur ſcientia naturali, ac licita; Aſtrologia verò judiciaria, quæ ex Aſtrorum aſpectu prædicit eventus, qui à cauſis liberis dependent, vel præteritos, aut præſentes occultos inveſtigat, eſt illicita, & prohibita, ut mox dicam. Patet itaque duplicem eſſe Aſtrologiam, aliam naturalem, judiciariam alteram, quæ ſubdividitur, & una dicitur electionis, alia revolutionis,& tertia appellatur nativitatis. Electionis eſt illa, qua Divinatores, & Aſtrologi ex Aſtrorum aſpectu prædicunt pericula, cuique impendentia, & quid facere, quiſque debeat, ut ea declinare valeat. Revolutionis eſt, qua præmonſtrant rerum viciſſitudines, ut bella, pacem, mortem alicujus Magnatis, &c. Nativitatis denique, eſt illa, qua eventus vitæ, conditionem nuptiarum, dignitates, opes, tempus, & genus mortis divinare prætendunt. Ità Delrius *diſquiſit. Magic. lib.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 8. *num.* 35. His prænotatis, dico ſecundò, Aſtrologiam tùm electionis, tùm revolutionis magnæ temeritatis damnandam eſſe: nam cognitio per Aſtra circà res contingentes eſt incertiſſima, ac ferè prorsùs inanis, & ementita, ut aliis relatis aſſerit Cabrinus *in ſuo Elucid. caſ. reſeru. par.*2. *caſ.*8. *annot.* 8. *n.* 34. qui *num.*35. abſolutè probat Aſtrologiam judiciariam, nativitatis ſcilicèt, tanquàm ſuperſtitioſam,& Chriſtianæ Reipublicæ valdè periculoſam, tàm Jure Divino, quàm Canonico, & civili prohibitam eſſe, quia hujuſmodi divinatio ex pacto implicito habetur à diabolo. Ideòque Syxtus V.& poſteà Urbanus VIII. in ſua Bulla, quæ incipit *Inſcrutabilis* edita *die* 1. *Aprilis anno* 1623.

no 1623.contrà hujuſmodi Aſtrologos Judiciarios excommunicationis pœnam ipſo facto incurrendam infligit, etiamſi non certo, ſed ſub dubio,eaque tenui conjectura,quæ ex Aſtris haberi poteſt, pendentia à libero arbitrio prænuncient futura. Vide Graffium *par.* 1. *deciſ. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 9. Zeccum *de caſ. reſerv. caſ.* 8. *pag.* 175. & alios mox citandos. Quare tranſgreſſores denunciari debent Inquiſitoribus contra hæreticam pravitatem, ut dixi in præcedenti reſponſione, loquens de illis,qui ſuperſtitioſa medendi arte utuntur in curandis vulneribus in loco diſtanti, &c. Et licèt plures Doctores dicant, quòd,ſi ſpes emendæ credatur, priùs ſint fraterna correctione admonendi; tamen, ego hoc non admitto per ea, quæ in præcedenti Reſp. notavi. Vide igitur Doctores,quos refert, & ſequitur idem Cabrinus *loc. cit. & num.* 36. *&* 37. ubi hæc, & alia plura habentur ad hoc propoſitum; Vide etiam Bonac. *tom.* 2. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 5. *pun.* 3. *num.* 10. *& ſeqq. & tom.*3. *de cenſ. in particul. diſp.* 2. *qu.*2. *pun.*38. *num.*3. *& ſeqq.* Lezanam *to.* 1. *par.*1. *cap.*10. *num.*27. Dianam *par.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 17. & alios apud ipſos. Alias pœnas verò, quas hujuſmodi Aſtrologi, & Divinatores incurrunt in foro externo, vide, ſi lubet, penes Lezanam, & Dianam *locis cit.*

2082 Inter. 10. Eſtne prohibita Chyromantia? Et quid eſt Chyromantia?

Reſp. Certiſſimum eſt, tanquam ſuperſtitioſam prohiberi in Bullis Summorum Pontificum *Sixti V. & Vrbani VIII.* Siquidem Chiromantia, quæ cognitionem rerum futurarum inquirit ex manuum lineamentis, ut v. g. pericula vitæ, conditiones nuptiarum, proſperæ, vel adverſæ fortunæ, &c., procul dubio,ſuperſtitioſa eſt,ac mortale peccatum, & expreſsè prohibita; cum ex hujuſmodi lineamentis talis prænotio haberi non poſſit. Committit igitur Chiromanticus, ſi advertenter,& ſeriò id agat mortale peccatum, ob pactum implicitum cum dæmone; Secus autem dicendum eſt,ſi ex curioſitate tantum talia lineamenta,ut communiter fit, inſpiciantur. Vide Delrium *diſquiſ. Magic. lib.*4. *cap.*2. *qu.*4. Leſſium *lib.*2. *cap.*43. *dub.*9. *num.* 45., *& Inter.*12. *hujus tituli.*

2083 Inter. 11. Eſtne licita divinatio, quæ fit ex Phiſiognomia, ex vultus ſcilicet diſpoſitione, & habitudine corporis?

Reſp. Divinatio, quæ fit per ea media, ex quibus cognitio naturalis ſufficienter haberi poteſt, non eſt penitùs illicita. Phiſiognomus autem eſt rerum naturæ perſcrutator, & hominum mores ex corpore, vultuque cognoſcit: ergo prædicere, & divinare, conjecturas deſumendo ex phiſiognomia naturali, ex partibus corporis, & habitudine membrorum, non videtur illicita,quia conſiderata corporis temperie, probabilitèr animi propenſiones, & effectus dignoſcuntur; nàm probabiles conjecturæ, quæ non a ſolis aſtris, ſed etiam ab aliis cauſis, & circumſtantiis particularibus deſumũtur, ut ab ipſa ſcilicet corporis compoſitione, diſpoſitione, aut perſonæ temperamento, non prohibentur, ex eo quia viribus naturæ comparari poteſt probabilis aliqua rerum futurarũ, ſeu occultarum cognitio, examinatis cauſis particularibus, inſpectiſque ſimul Aſtris,tamquam aliquid ad hujuſmodi conjecturam facientibus: Itaque ex corporis diſpoſitione, & temperamento aliqualis ſumitur cognitio ingenii, inclinatio animi, & bonæ, vel pravæ valetudinis,& hæ divinationes, quæ ex iſtis cauſis procedunt naturales ſunt,& mediis proportionatis utũtur, ac proindè nullatenus prohibitæ cenſentur, ut docent Doctores communiter. Sed ut bene notat S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 95. *artic.*1. quædam cauſæ producunt ſuos effectus, non ex neceſſitate,& ſemper, ſed ut in pluribus, raro tamen deficiunt; & per hujuſmodi cauſas poſſunt prænoſci effectus futuri,

non quidem per certitudinem,ſed per quandam conjecturam. Vide Moronum *reſp.95. num.104.*

2084 Inter. 12. Peccatne mortalitèr, qui loci cauſa, oſtendit velle futura divinare?

Reſp. Licèt divinatio, ex communi Doctorum ſententia,ſit peccatum mortale ex ſuo genere, quia per divinationem initur conſortium, & ſocietas cum dæmone perpetuo Dei hoſte: tamen excuſatur a peccato gravi, qui loci cauſa oſtendit velle ſe divinare, quia non ſeriò hoc facit, nec habet animum ſuperſtitioſum indagandi latentia, ſed jocosè,& vane ſine affectatione cognitionis Dei propriè; unde eſt potius quædam vanitas, quam ſuperſtitio, ut ex Suarez, Valentia, Sayro, Reginaldo, Sanchez,& aliis reſolvit Bonac. *to. 2. diſp. 3. quæſt. 5. pun. 3. num.* 18. Vide Armillam *verb. Divinatio ſub num. 1.*

2085 Inter. 13. Divinatores, Aruſpices, alligantes dæmonem, aut illum invocantes, ſuntnè ipſo facto excommunicati?

Reſp. Ex hoc capite præcisè, non ſunt ipſo facto excommunicati, dummodo errorem non habeant in intellectu, cum pertinacia, nec ſentiant aliquid contra fidem; nàm in tali caſu eſſent Hæretici, & excommunicationem contra Hæreticos latam ſtatim incurrerent, quoties errorem aliquo ſigno externo manifeſtarent, & hoc eſt certiſſimum apud omnes ſcribentes. Cæterùm ut dixi, præcisè ex hoc capite excommunicati, non ſunt ipso Jure Divinatores, Aruſpices, alligantes dæmonem, illumque invocantes,& ſimiles, quia nullum Jus afferri poteſt, quod contineat contra eos excommunicationem ipſo Jure latam, aut ſi aliquod Jus afferri poteſt continens cenſuram ipſo facto impoſitam, ea tamen adhuc uſu recepta non eſt, ut ex Azorio, Leſſio, Suarez, Sanchez,Toleto,& Filliucio reſolvit Bonac. *de Cenſur. in particulari tom. 3. diſp. 2. qu. 2. pun. 38. num. 1. & ſeqq.* qui etiam reſpondet ad rationes, quæ pro contraria ſententia ab Adverſariis adducuntur. Vide igitur ipſum *loco cit. & de legib. to. 2. diſp. 3. qu. 5. pun. 3. num. 23.* & Cabrinum *de caſ. reſer. par. 2. caſ. 8. annot. 7. num. 21.* idem docentem.

2086 Inter. 14. Qui ad furem,vel furtum detegendum adhibet vaſculum aquæ plenum, quod Puer, aut Puella aſpiciens dicat, ***Angelo bianco***, ***Angelo Santo***, *&c.* eſtnè excommunicatus ipſo facto? & debetne denunciari ad S. Officium.

Reſp. Hoc fieri non poteſt ſine expreſſa, vel tacita dæmonis invocatione, ac proindè eſt graviſſimum peccatum; quare ſi talis habet errorem in intellectu, cum pertinacia, & credat licitum eſſe dæmonem invocare,eique latriæ, vel duliæ cultum tribuere, eſt Hæreticus, & prætereà excommunicatione Papæ reſervata innodatus, cæteriſque Hæreticorum pœnis ſubjectus. Si verò nullum habeat errorem in intellectu, ſed ſolum cupiditate ductus ad cognoſcendas res occultas, dæmonem adorat, non eſt Hæreticus, conſequenter, nec excommunicatus, ſed eſt perditiſſimus peccator coram Deo,& in foro conſcientiæ. Verùm in foro externo Hæreticus,& excommunicatus præſumitur, quia malum præſumitur mala intentione factum; nam latriæ, vel duliæ cultum dæmoni exhibere, manifeſtam hæreſim ſapit in foro externo,ac proindè cenſendus eſt Hæreticus, & Inquiſitoribus omninò eſt denunciandus. Vide Carenam *de Offic. S. Inquiſit. par. 2. tit. 12. §. 10. num. 56.* Cabrinum *loco ſupracit. n. 27. & 28.* & id quod dixi ſupra *in ti. 102. de Hæreſi,& Hæreticis, ad Inter. 16. & in tit. 206. de Simulatione, ad Int. 2.*

2087 Inter. 15. Quinam ſunt modi, in quibus cenſetur adeſſe tacita Dæmonis invocatio?

Reſp. Generaliter ſunt quinque, in quibus homo intentat aliquid face-

re

re per ea, quæ nec ex ſe, nec ex virtute ſupernaturali aliquos poſſunt producere effectus; unde dicta invocatio cenſetur contingere. Primo, quando dicuntur quædam verba, in quibus voces aliquæ nihil ſignificant. Secundo, cum characteres, & figuræ aliæ à ſigno Crucis, ut figuræ ovales, quadrangulæ, vel ſimiles fiunt. Tertio, quando miſcentur aliqua falſa, ut v.g. quòd Chriſtus habuit febres, aut quòd Beata Virgo habuit dolores in partu, vel alia apocrypha, ut fictæ aliquæ hiſtoriæ. Quarto, cum apponuntur conditiones inutiles ad tales effectus, ut ſi ſumantur verba ſacra, etiam ex Evangeliis, aut ſacra Scriptura deprompta, ſi cum illis etiam adhibeatur aliqua vana, & inutilis circumſtantia, ſcilicet, ut proferantur tali die, hora, cum tali ſitu Corporis, aut tali voce, aut quod ſint ſcripta tali modo, aut tali charta &c. Et tandem, ut ſumantur tales herbæ, tali, vel tali die, & hora decerptæ, & alia hujuſmodi. Quinto, denique quando effectus excedunt virtutem illius medii, puta ſiquis promittat aliquem deceſſurum in gratia, non poſſe lædi ab inimicis, & alia hujoſmodi. Vide Toletum *lib.* 4. *c.* 14. *num.* 6. Bonac. *de legib. tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 10. *&* 11. Lezanam *tom.* 2. *verb. Veneficium*, *num.* 7. & alios, & infra *ad Inter. ſequentem*.

2088 Inter. 16. Quæ, & quot ſunt ſpecies divinationis, quæ fit cum tacita Dæmonis invocatione?

Reſp. Supponendum eſt primo: divinationem fieri quoque per tacitam Dæmonis invocationem, & hæc contingit, quando quis mediis vanis, quibus ſe immiſcet Dæmon, procurat cognitionem rerum latentium, quæ vim humanam ſuperant, ut docent Doctores communiter: & quamvis non intendat expreſsè Dæmonem invocare: tamen tacitè intendit illum invocare, quia ſerio media inutilia, & vana uſurpat, quibus non poteſt alio pacto res latentes cognoſcere, quàm ope Dæmonis: nec obſtat ſe nolle Dæmonem invocare, quia proteſtatio, ut alibi dixi, eſt contraria facto. Hoc ergo prænotato; dico, quod divinatio, quæ fit cum tacita Dæmonis invocatione; ſex ſpecies complectitur, quarum prima eſt Aſtrologia judicaria, de qua diximus ſupra *ad Inter.* 903. Secunda divinationis ſpecies ex pacto implicito, eſt augurium. Tertia aruſpicium; Quarta omen. Quinta chyromantia, Sexta Spatulamantia, de quibus omnibus, poſt alios, loquitur Cabrinus *par.* 2. *caſ.* 8. *annot.* 10. Vide infra *ad Int.* 19. & Moronum *reſp.* 95. *n.* 83. *& ſeqq.*

2089 Inter. 17. Quæ, & quot ſunt ſpecies divinationis, quæ fit cum expreſſa Dæmonis incocatione?

Reſp. Sunt octo. Prima dicitur præſtigium, & eſt Dęmonis invocatio ſub ficta, & apparenti figura, ut cum homo ſpeciem lupi, vel aſini refert: quæ ſpecies, licèt ſit falſa, tamen judicatur vera ab intueuntibus, quia ope Dæmonis ipſis oculorum acies præſtinguntur, & ideò preſtigium. Secunda ſpecies appellatur ſomniorum obſervantia, & eſt, quando homo ſomnium obſervat, ut in cognitionem veniat earum rerum, ad quas præſciendas in vigilia Dæmonem invocavit. Tertia ſpecies nominatur Pytonia, & eſt quando Dæmone invocato, occultorum quæritur cognitio per homines arreptitios, ſicuti videtur dum ab Exorciſtis de futuris interrogantur, quod nullo modo fieri debet, etiam abſque pacto, quia Dæmon eſt mendax, & pater mendacii. Quarta eſt Geomantia, quæ ſic vocatur, quia divinatio fit per figuras, vel ſigna in corpore aliquo terreſtri, ut in ſtatua, ligno, vel lapide apparentia. Quinta Hydromantia dicitur, ex eo quod cognitio habetur per imagines in aquis apparentes. Sexta eſt Aeromátia, & eſt, cum Dæmon invocatus reſpondet, per quaſdam aereas figuras, quas aſſumit, occulta, aut futu-

prænunciat. Septima, quæ Pyromantia appellatur, eſt divinatio, & occultorum cognitio per ignem, aut per lignum crepitans in igne poſitum. Octava denique Aruſpicium nomen ſibi vindicat, quia cognitio, ſeù præcognitio habetur per ſigna in viſceribus animalium apparentia, quæ animalia Dæmoni immolantur. Vide S. Thomam 2. 2. *quæſt.* 95. *artic.* 3. Azorium *tom.* 1. *lib.* 9. *à cap.* 9. *uſque ad cap.* 22. Leſſium *lib.* 2. *cap.* 45. *dub.* 5. Finellium *de caſ. reſer. caſ.* 2. *num.* 11. *& ſeq.* quos refert Cabrinus *par.* 2. *caſ.* 8. *annot.* 5. qui fuſiori calamo ſupradictas ſpecies divinationis deſcribit. Vide etiam Tolet. *lib.* 4. *cap.* 15. Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *pun.* 3. *num.* 5. Campionum *par.* 2. *cap.* 36. *num.* 6. *& in tit.* 102. *de Hæreſi, & Hæreticis, Inter.* 16.

2090 Inter. 18. Omnes divinationes ſuntne ejuſdem, vel diverſæ ſpeciei, ita ut neceſſarium ſit, quod pœnitens in confeſſione aperiat, an divinatio fuerit per aerem, per aquam, ignem, aut per inſpectionem avium, lineamentorum &c. & an cum expreſſa, vel tacita Dæmonis invocatione?

Reſp. Eſt ſententia ſatis probabilis, & tuta in praxi illa, quæ docet, eſſe ejuſdem ſpeciei in genere moris, ac proindè opus non eſſe in confeſſione aperire, ſeù exprimere rem, per quam facta eſt divinatio. Ità Emm. Sà *verb. Confeſſio num.* 27. & alii. Imò tacita Dæmonis invocatio, ſi plena conſideratio adſit, eſt ejuſdem rationis, ac expreſſa, & quamvis moltò gravius ſit Dæmones expreſsè invocare quàm aliqua facere, quibus dignum ſit, ut ſe Dæmones ingerant; tamen quia circumſtantiæ aggravantes, ut alibi docui, non ſunt neceſſariò in confeſſione aperiendæ, ſequitur pœnitentem non teneri exprimere in confeſſione rem, per quam facta fuit divinatio, nec ſi cum tacita, vel expreſſa Dæmonis invocatione. Vide Dianam *par.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 66. Bonac. autem *tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *pun.* 3. *num.* 20. *&* 21. licèt concedat divinationem cum tacita Dæmonis invocatione eandem ſpecie malitiam habere, quam habet divinatio cum expreſſa Dæmonis, invocatione; quia juxtà regulam Juris taciti, & expreſſi, eadem eſt ratio: tamen putat in confeſſione teneri pœnitentem aperire, an divinatio, ſive ſuperſtitio fuerit cum tacita, vel cum expreſſa Dæmonis invocatione. Sed hoc ego puto verum, quando divinatio, ſeù ſuperſtitio conjunctam habet hæreſim, quia tunc illa circumſtantia non ſolùm aggravat peccatum, ſed aggravat in infinitum, & mutat ſpeciem.

2091 Inter. 19. Jam ſuprà *ad Inter.* 9. *&* 10. dictum fuit, quid ſit Aſtrologia judiciaria, & Chiromantia, modò quæro, quid ſit *Augurium*, *Aruſpicium*, *Omen*, *& Spatulamantia*, de quibus dictum eſt ſuprà *ad Inter.* 16.

Reſp. *Augurium* eſt quædam divinatio futurorum, ex garritu avium, vel vocibus animalium, ad quæ ſuaptè natura nullam præſignificationem habet. Vide S. Thomam 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 5. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *uſque ad* 34. Leſſium *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 2. *Aruſpicium* autem eſt quædam præcognitio futurorum, quæ deſumitur, ex avium volatu, vel quorumdam animalium motu, curſu, & hujuſmodi. *Omen* ſignificat divinationem, quæ habetur ex verbis caſu ab aliquo prolatis, ex quibus alter futurorum conjecturam ſumit. *Spatulamantia* deniq; eſt illa divinatio, quæ fit per ſigna in ſpatula alicujus animalis apparentia. Et omnes iſtæ, & ſingulæ divinationes fiunt cum expreſſa, vel tacita Dæmonis invocatione, ideòque ſuperſtitioſæ ſunt, peccaminoſæ, atque prohibitæ. Vide Cabrinum *par.* 2. *caſ.* 8. *annot.* 10. *pag.* 155. qui tamen addit, & benè, quædam futura prænunciari ex cantu, vel voce animalium, ut pluviam ex corvina voce, ſerenitatem ex veſpertilionum procul à domibus volatu, &c. quia ex naturali inſtinctu, ſeù

ex motu aliquo in eis cauſato, aut ab humiditate, vel ſiccitate ambientis aeris, ut a cœleſtium corporum influxu pendent.

2092 Inter. 20. Quid dicendum eſt de divinationibus, quæ fiunt ab Ægyptianis, vulgo Zingaris dictis, & de iis, qui ab illis de proſpera, vel adverſa ſorte præmoneri quærunt? & an poſſint Inquiſitores illas punire?

Reſp. Dico primo, quod tales Ægyptianæ, ſeù Zingaræ, quæ bonam, vel malam fortunam, ut ipſe dicunt, divinant, poſſunt ab inquiſitoribus puniri. Diana *par.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 128. Dico ſecundo, quòd, qui ipſas de fortuna conſulunt ex curioſitate, vel loco, venialiter tantùm peccant, ſi verò cum firma fide, animo credendi, vel cum aliquo ſcandalo, peccatum mortale comittunt, ut docet Leſſius *loco proximè cit.* Navar. *cap.* 11. *nu.* 31. Buſebaum *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 10. qui citat Filliucium, & Sanchez, teſte Caſſiano à S. Elia *in Arbr. opin. moràl. verb. Aſtra* §. 7. Vide Carenam *de Offic. S. Inquiſ. par.* 2. *tit.* 2. §. 7. *num.* 164. Qui rectè notat: vix aliquem, quamvis ſimplicem, in iſtis partibus reperiri, qui circa bonam vel malam fortunam Zingaris fidem præſtat: ideò, quia hoc fit cauſa ſolius curioſitatis, vel riſus, ut plurimum eſt tantùm peccatum veniale.

2093 Inter. 21. Quid eſt vana obſervatio: &, quot ſunt ejus ſpecies?

Reſp. Vana obſervatio eſt ſuperſtitio, qua media inutilia adhibentur ad præſtandum, vel omittendum aliquid, ad quod illa media, nec à Deo, nec à natura virtutem ullam habent, & contingit, quando quis v.g. mediis inutilibus contendit acquirere bona temporalia, ut ſanitatem, ſcientiam, amicitiam &c. aut quando aliquis verbis intendit alligare Dæmonem, illumque includere in annulo, in vaſe &c. aut quando quis mittit chirographum animalibus noxiis, vel cum ipſis litem movet, ut illa expellat, aut quando quis profert aliqua verba, ut habentia vim ed aliquem effectum, v. g. ad movendum annulum, ut cognoſcat quænam ſit hora diei, & hoc etiam ſi fiat præmiſſa proteſtatione nô faciendi ex pacto cum Dæmone, quia ut ſæpè dixi, talis proteſtatio non ſuffragatur, cum ſit contraria facto, aut denique quando luſores ad evitandam malam fortunam mutant loca, aut ſurgunt: ſed hoc eſt intelligendum, quando luſores certò credant ob id ſe abjecturos malam fortunam. Ita pluribus relatis docet Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 3. Qui etiam *num.* 4. aſſerit tres eſſe ſpecies obſervationis, prima eſt ars notoria, ſecunda obſervatio ſanitatum, & tertia obſervatio eventuũ, & ad has ſpecies cœtera poſſunt reduci, ſive fiant cum expreſſa, ſive cum tacita Dæmonis invocatione. Hæc ex Bonac. *loco cit. cum aliis ab eo congeſtis*.

2094 Inter. 22. Quid eſt ars notoria, obſervantia ſanitatum, & obſervantia eventuum? & eſtne ſemper peccatum mortale hujuſmodi ſuperſtitionibus uti?

Reſp. Dico omnibus dictis ſuperſtitionibus uti eſſe peccatum mortale. Ars autem notoria eſt ſuperſtitio, qua quis per quædam jejunia, orationes, figurarum inſpectionem, & alia vana & inefficacia, credit ſcientiam ſine labore ſe acquiſiturum. Obſervantia ſanitatum eſt, cum quis quædam adhibet ſigna, orationes, certum numerum crucium, verba ſacra, cæremonias, vel etiam res naturales, quibus aliqua vana media adjungit tanquam neceſſaria ad ſanandos morbos hominum, vel animalium, aut ſe præſtandum immunem contra læſiones hoſtium, vel caſus fortuitos. Obſervantia tandem eventuum eſt alia ſuperſtitionis ſpecies, qua quis ex obſervantia alicujus eventus conjicit ſibi, vel aliquid adverſi, vel proſperi eventu-

tum,

rum, & indè actiones ſuas moderatur, obſervans loca, audita verba, tempora, vel occurſus hominum, aut animalium; ut ſi domo egredienti occurrat vulpes, aut canis, aut cadaver &c. occaſinem ſumit credendi negocium, aut diem ſibi futurum infauſtum, & infortunatum. Ita tradunt Bonac. *ubi ſupra num.* 5. 7. & 21. Cabrinus *de caſ. reſerv. par.* 2. *annot.* 3. qui alios concordantes referunt. Vide D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 1. 2. & 3. Tandem dico, quòd vana obſervantia ex genere ſuo ſuperſtitionem mortalem involuit, nec ex parvitate materiæ, venialis fieri poteſt, quia regulariter, & in omni materia uſurpatur cognitio; vel virtus Dei propria. Unde puto, homines vanis obſervantiis addictos ſolùm per accidens à peccato mortali excuſari poſſe, ob ignorantiam ſcilicet non craſſam, aut bonam fidem, quia credunt ſe dare operam rei licitæ; Cœterum ſi à Parocho, vel aliis moniti fuerint, & nihilominus ab iis non abſtinuerint, mortalitèr peccant, nec debent abſolvi, niſi certò promittant, & ſtatuant, in poſterùm deſiſtere. Vide Tolet. *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 1. & *ſeqq.*

2095 Inter. 23. Illæ perſonæ, vel familiæ, quæ dant operam ſanandis quibuſdam morbis, ut morbo caduco laborantibus, mortis à rabido cane, &c. ſuntne damnandæ tanquam ſuperſtitioſæ?

Reſp. Non ſtatim damnandæ ſunt ſuperſtitionis, quia nulla ſufficiẽti ratione convincitur horum officium eſſe ſuperſtitioſum, imò Nava. *cap.* 11. *n.* 36. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 40. *num.* 47. & alii putant, iſtos ad hos habere gratiam gratis datam. Vide Bonac. *to.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 20. qui tamen rectè admonet, tales perſonas, ab Ordinariis diligenter examinandas eſſe, antequam hoc munus exercere permittantur; nam videre debent, an id remediis naturalibus faciant, vel ex gratia gratis data; vel ex pacto cũ Dæmone, quia non abs re facilè contingere etiam poteſt Dæmonis deceptio, & ex pacto expreſſo, aut tacito cum illo. Immò Confeſſarii magnam adhibere debent circumſpectionem, & cautionem in abſolvendis iis, qui ad ſanandos morbos remediis externis utuntur, virtutem naturalem non habentibus ad eos curandos, neque ſatis habere debent, quod ab Eccleſia tolerentur, quia multa juſtis de cauſis permittuntur, quæ licitè fieri non poſſunt. Ità docet Sanchez *ubi ſuprà num.* 34. & ex eo Bonac. *loco cit.*

2096 Inter. 24. Scire vellem in particulari quinam ſunt ii, qui ad ſanandos morbos hominum, vel animalium ſuperſtitionis peccatum committunt ex pacto implicito cum Dęmone?

Reſp. Hi ſunt, qui verba, vel ſigna ſacra, benedictiones, ſeù preces cum tot Crucibus, aliiſque vanis circumſtantiis adhibent ad morbos aliquos ſanandos; & quia cum hæc non ſint veræ cauſæ horum effectuũ, & ad hos producendos non habeant virtutem, ſignum eſt continere pactum cum Dæmone, & ſapere ſuperſtitionis peccatum. Ideò, ut ad particularia deſcendamus, dico, quòd ſuperſtitionis peccatum committunt Fabri Ferrarii, qui ex advertentia & deliberatione ſufficienti ad mortale, utuntur verbis, ex pſalmis, vel ex oratione Dominica deſumptis, ad ſanandos equos. Item ruſtici, qui ſcienter, mala fide utuntur ad ſananda pecora, inanibus, & ſuperſtitioſis obſervationibus cũ abuſu rerum Sacrarum &c. Item Obſtetrices, quæ circà Mulieres laborantes in partu, ex matrice vanam, & ſuperſtitioſam adhibent obſervantiam, cum abuſu itidem rerum Sacrarum. Item Mulierculæ, quæ ad dolorem laterum, vel dentium, & ſimilium depellendum, adhibent rem naturalem cum tot numero Crucium, itaut ſi plures, vel pauciores adhibeantur, dolor non tollatur. Et tandem idem

eſt

eſt de Chirurgis, qui curant vulnera, applicando remedia gladio, vel pannis lineis ſanguine vulneratorum infectis; ut ſuperius dixi *ad Reſp. ad Inter.* 3. *&* 4. & maximè ſi ſimul concurrat rerum ſacrarum abuſus. Qui omnes, ſi ſcienter, & cum advertentia, & deliberatione; vel à Confeſſario moniti, non ſe emendant, mortaliter peccant, & incidunt in caſum reſervatum, cum in omnibus Diœceſibus hujuſmodi peccatum ſit caſus Epiſcopo reſervatus. Vide Cabrinum *caſ* 8. *annot.* 3. *pag.* 175. *& ſeq.* qui ità rectè concludit.

TITULUS CCXVI.

De Suſpectis de Hæreſi.

Vide tit. de Apoſt. à Relig. ad quæſ. tit. de Correct. Inter. 7. tit. de Denunc. Inter. 8. 10. 11. 12. tit. de Jejun. ad quæſ. 1. tit. de Irregul. ad quæſ. 2. tit. de Polyg. Inter. 2. 4. tit. de Sigil. Confeſ. Inter. 19.

2097 INter. 1. Confeſſarii ſollicitantes, ſuntne ſuſpecti de hæreſi, leviter, vel vehementer?

Reſp. In noſtra Inquiſitione Romana cenſentur ſuſpecti de vehementi, & ideò torquentur in defectum probãdum, vel ſuper intentione, &c. Item tanquam ſuſpecti vehementer, abjurant de vehementi. In Inquiſitione autem Hiſpanica, tanquam leviter de hæreſi ſuſpecti, abjurant tantùm de levi, neque torquentur. Et ità unuſquiſque ſequitur licitè praxim Inquſitionis ſuæ. Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 7. *reſ.* 7. qui congerit Doctores de hac retractantes, a quibus etiam habetur, quibus pœnis plectuntur dicti Confeſſarii, tam graviſſimum Sacrilegium perpetrantes.

2098 Inter. 2. Si inſordeſcens in excommunicatione per annum, ſic ab Epiſcopo, vel Inquiſitores citatus ad dicendum, quid ſentiat de fide, & nolit comparere: quid faciendum?

Reſp. Dico quòd ſi intrà terminũ ſibi aſſignatum negligit comparere, & reſpondere quid ſentiat de fide, illa levis ſuſpicio, quam habet de hæreſi, tranſit in vehementem; quòd ſi adhuc in illa negligentia per annum perſeverat, ſuſpicio vehemens trãſit in violentam, ut patet ex *cap. cum contumacia de hæreſ. in 6.* & ſic, ut hæreticus formalis erit condemnandus; ut ex Caccia, Menochio, & Farinacio, & aliis apud ipſos, firmat Diana *par.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 18. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Excommunicatio num.* 51.

Quær. 1. An ſint de hæreſi ſuſpecti, qui lacerare audent cedulones, in quibus aliqui declarantur excommunicati, vel qui cenſuras irrident?

Reſp. Qui contemnunt cenſuras Eccleſiaſticas ſunt proculdubio de hæreſi ſuſpecti, ſed qui frangit cedulones contemnit Eccleſiaſticas cenſuras: ergò eſt de hæreſi ſuſpectus, & contra eum poſſunt procedere Inquiſitores, ut ex Homobono *in conſul. moral. par.* 4. *reſol.* 16. *vol.* 1. docet Diana *par.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 123. quibus addo Ricc. *in praxi aur. par.* 1. *reſ.* 433. *verſ. Cedulones*, Carenam *de Offic. Inquiſ. par.* 2. *tit.* 17. §. 2. *num.* 7. & alios, quos dat, & ſequitur Dandinus *de ſuſpect. de hæreſi cap. ult. ſect.* 1. *num.* 6. qui itidem *numer.* 7. *ibidem*, aſſerit, eſſe de hæreſi ſuſpectos, qui ſciẽtes ſe excommunicatos Eccleſiam ingredi præſumunt, etiam dum officia divina non recitantur, vel ſtantes ante fores Eccleſiæ audiunt officia divina, aut ſe immiſcent ſine ullo reſpectu Catholicorum communioni, quàm poſſunt facile vitare. Et tandem omnes qui cenſuras irrident, ut illi, qui dicunt: *Che ſcommunica? Che ſcommunica? ancora li ſcommunicati mangiano*, maximè ſi hæc proferentes, ſint homines peſſimæ vitæ, & pro ſe citat Carenam *loco ſupracit. num.* 7. *&* 8. & de hoc ego non dubito. Cæterum puto excommunicatum denunciatum tunc eſſe de hæreſi ſuſpectum, quando in ſpretum, & con-

contemptum clavium Eccleſiæ, Templum ingrederetur, vel divinis Officiis aſſiſteret, aut communioni fidelium ſe immiſceret, quòd ſanè ex conjecturis, vel indiciis, & ex ejus ante acta vita, & moribus, ſatis colligi poterit; Secus autem ſi non erit ſpretor, & contemptor Clavium Eccleſiæ dicendum erit; licitum eſt enim excommunicato vitando ingredi Eccleſiam ad aliquod negotium peragendum, & etiam ibidem privatim orare, concionem audire, ac etiam, neceſſitate, vel utilitate urgente, cum aliis in humanis communicare, ut docent Doctores communiter. Vide Dianam *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 86. & in pluribus locis me docuiſſe memini, dum de excommunicatione, & excommunicato egi; Et ideò rectè dicit, ſæpè laudatus Dandinus *loc. cit.* tunc aliquē eſſe de hæreſi ſuſpectum, quando ſupradicta facere *præſumat*, quod idem eſt, ſi ſcienter, malitioſe, & in contemptum excommunicationis id faciat, & hoc mihi valdè probatur.

Quær. 2. An de hæreſi ſuſpectus ſit Chriſtianus, fingens ſe infidelem, & faciens ſe rebaptizare propter lucrum, ſeù propter eleemoſynam acquirendā, & abjurare debeat? & ad quid tenetur qui notitiam habet hujus delinquentis?

Reſp. Qui in tali caſu patitur ſe rebaptizare, utique eſt de hæreſi ſuſpectus, & abjurare debet, nàm tale factum per ſe eſt hæreticum, vel ſaltem inducit ſuſpicionem hæreſis, nec purgatur talis ſuſpicio ſine tortura ſuper intentione, & licèt neget id feciſſe ex mala credentia, ſed ex alio fine, adhuc in foro externo, ex ipſo facto remanet ſuſpectus, & abjurare debet omninò. Ità reſolvunt Diana *par.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 9. *& par.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 45. *verſ. & tandem*. Paſſerinus *in cap. ut inquiſitionis nu.* 57. *de hæreticis in* 6. & aliis relatis Dandinus *de ſuſpect. de hæreſi cap.* 3. *ſect.* 4. *num.* 18. *& ſeqq.* qui more ſuo rem perdocte tractat. Undè qui habent notitiā hujuſmodi delinquentis debet, & tenetur illum ad S. Officium denunciare, alias non poteſt à Confeſſario abſolvi.

TITULUS CCXVII.

De Suſpenſione.

Vide tit. de Abſol. à peccat. Inter. 13. *tit. de Aetat. &c. Inter.* 12. *tit. de Alien. &c. Inter.* 5. *tit. de Concubinar. &c. Inter.* 3. *tit. de Confeſſar. Inter.* 6. *tit. de Different. Inter.* 20. 21. *tit. de Elect. &c. Inter. ult. tit. de Ordin. Sac. ad quæſ.* 2. *tit. de Sacram. Ord. ad quæſ.* 4. *tit. de Pecc. mort. Inter. ult. tit. de Viſit. Inter.* 3.

2099 INter. 1. Quid eſt ſuſpenſio?

Reſp. Eſt cenſura Eccleſiaſtica, per quam perſona Eccleſiaſtica impeditur, ne functiones exerceat ſui Beneficii, vel Officii, vel Ordinis, in totum, vel in parte, in perpetuum, vel ad tempus. Ità Bonac. *de Cenſ. diſp.* 3. *pun.* 1. & concordant Navar. *in Man. cap.* 27. *nu.* 151. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 1. Cabrin. *de caſ. Reſer. par.* 2. *caſ.* 1. *annot.* 2. *num.* 4. & alii communiter, licèt diverſis verbis. Vide Lezanam *tom.* 2. *ver. Suſpenſio num.* 1.

2100 Inter. 2. Quotuplex eſt ſuſpenſio?

Reſp. Triplex eſt, alia eſt ab Officio tantùm, alia à Beneficio tantùm, & alia Mixta, quià eſt ab utroque ſimul, ſcilicet ab Officio, & Beneficio. Ita docent præcitati Doctores, & alii omnes: Aliquando verò eſt ab Officio in totum, quia quis privatur omni uſu ſui Officii, aliquando ſolùm in parte, qualis eſt illa, qua quis ſuſpenditur, v.g. ab audiendis Confeſſionibus, à Celebratione, &c. non verò ab adminiſtrandis cæteris Sacramentis, aut aliis, quæ proprium concernunt Officium, & ſic ſuſpenſus à Confeſſionibus

ſionibus audiendis, poteſt Miſſam celebrare,& ſuſpẽſus à celebratione poteſt reliquaSacerdotis onera præſtare, ut per ſe patet, & docet Bonac. *ubi ſupra num.* 2. *& pun.* 2. *num.* 2. *& alii ab ipſo relati*, Lezana *ubi ſupra num.* 2. aliique plures.

2101 Inter. 3. Quam pœnam incurrit ſuſpenſus ab Ordine, vel ab aliquo includente ſuſpenſionem Ordinis, ſi actum talis ordinis exercet?

Reſp. Violando ſuſpenſionem per exercitium ſolemne majoris ordinis, à quo eſt ſuſpenſus, præter peccatum mortale, incurrit irregularitatem Pontifici reſervatam. Vide Dian. *par.* 5. *tract.* 10. *reſ.* 9. & eſt communis ſententia; Si autem exercet actum minorum Ordinum, etiam ſolemniter, non incurrit irregularitatem, ut, ex Sayro, Tabien; & D. Antonino, docet Bonac. *cit. diſp.* 3. *pun.* 4. *num.* 1. ſed quia modò conſuetudo videtur obſtare, ut aſſerit idem Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 5. *num. propè fin.* ideò dicendum eſt cum Navar. *cap.* 27. *num.* 163. irregularitatem incurrere.

2102 Inter. 4. Suſpenſus ab Ordine, ſitne irregularis benedicendo aquam, ceras, fructus, nuptias, aut mulierem poſt partum?

Reſp. Si hoc faciat ſolemniter cũ ſtola, & ſuperpeliceo, utique ſit irregularis, violat enim ſuſpenſionem per exercitium Ordinis Sacri. Bonac. *ibid. n.* 6. *verſ.* ex dictis, & eſt communis ſententia.

2103 Inter. 5. Suſpenſus ab Officiis Divinis, ſi illa audiat, peccatne, & ſitne irregularis?

Reſp. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 45. *ſub num.* 4. *verſ.* 4. aſſerit peccare, ſed irregularitatem non incurrere; quia audire nõ ſpectat ad Ordinem. Sed Diana *eadem par.* 5. *tract.* 10. *reſ.* 12. docet: non ſolùm non incurrere irregularitatem, ſed neque peccatum admittere, ſi tanquam Laicus aſſiſtat: & hoc ego puto verum.

2104 Inter. 6. Tenemurne vitare ſuſpenſos, in rebus, à quibus ſuſpenſi ſunt, ſi fuerint denunciati?

Reſp. Certò tenemur: quià licèt non incurratur aliqua pœna, vel cenſura à participante, & communicante cum eis, etiam in crimine criminoſo, ſcilicet, ob quod ſint ſuſpenſi, tamen mortaliter peccat, quia concurrit ad actionem malam, & prohibitam: Unde, ſi ſunt denunciati nominatim, non licet Sacramenta ab eis recipere, aut eorum Miſſam audire. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 45. *num.* 6. Navar. *in Man. c.* 27. *num.* 162. & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *diſp.* 3. *pun.* 4. *ſub num.* 3. Oppoſitum tamen docet Diana *loc. ſupra cit. reſ.* 20. cũ aliis ibidem congeſtis, aſſerentes, nos poſſe Miſſam audire Sacerdotis, qui eſt denunciatus ſuſpenſus à divinis, modò illi non inſerviamus ad Altare, nec ad celebrandum ille à nobis fuerit inductus: quod quidem valdè probabile puto. Ceterum, communicans in aliis actibus, à quibus non ſunt ſuſpenſi, non peccat, niſi venialiter, ut ait Tolet. *loco cit.* Vide Em. Sà *ver. Suſpenſio num.* 15. Bonac. *loco proximè cit. ſub num.* 4. Lezan. *to.* 2. *verb. Suſpenſio num.* 15. & alios apud ipſum.

TITULUS CCXVIII.

De Tabacho.

2105 Inter. 1. Sumptio tabachi in folio, pulvere, aut fumo, frãgitne jejunium Euchariſticum ſcilicet naturale?

Reſp. Non frangere jejunium naturale, itaut nec Sacram Comunionem impediat, latè, perdoctè, & egregiè probat Dian. *par.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 1. & quoties ſumitur per nares, eſt indubitatum apud omnes, quod non frãgat jejunium naturale. Vide Leandr. *de Sac. tom.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 5. *quæſt.* 10. Sic etiam dicendum eſt, ſi ſumatur in fumo: quia non ſumitur per modum cibi, vel potus; ſi verò dentibus conteratur ad ſputa, & flegmata ex ore proiicienda, adhuc non impedire Cõmunionem, docet Card. de Lugo *in*

Reſp. moral. lib. 1. *dub.* 9. *num.* 6. & 7. & ex eo Dian. *par.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 23. & rectè quidem; nam ut naturale jejunium ſolvatur ad impediendam Communionem requiritur, quòd fumatur aliquid per actionem, quæ ſit comeſtio, & potatio. Vide Bonac. *de Sacr. diſp.* 4. *quæſt.* 6. *pun.* 2. *num.* 6. Nicol. *in floſ. verb. Jejunium num.* 5. Dian. *loco cit. & par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 38. ubi plura refert in defenſionem ſumptionis tabachi, quæ reverà plauſibilia erunt tabachiſtis: licèt ipſe fateatur tabachiſtam non fuiſſe, & ſic non poteſt dici, quòd ſit Judex in propria cauſa. Addit tamen Lugo, & benè, ad hoc, ut licita ſit hujuſmodi tabachi ſumptio, curandum eſſe, ne ſuccus, vel quidquam aliud in ſtomachum traiiciatur. Quòd ſi aliquid ex ſucco mixtum cum ſaliva tranſierit, hoc erit præter intentionem, & caſu, ſicut de guttula aquæ, vel vini, qua os abluitur, dici ſolet, atque adeò non violabitur jejunium naturale. Sed vide Dian. *par.* 8. *tract.* 6. *reſ.* 3.

2106 Inter. 2. Sumere tabachum in Eccleſia, eſtne peccatum mortale?

Reſp. Non in qualibet Eccleſia illum ſumere, eſt peccatum mortale: ſed ſolùm hic Romæ in Eccleſia D. Petri, & ejus Porticu, & Hiſpaniæ ſi ſumatur in Civitate, & Diœceſi Hiſpalenſi, ſtantibus prohibitionibus ſub pœna excommunicationis Urb. VIII. & Innocen. X. teſte Dian. *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 23. Quod etiam dicendũ eſt, ubi adeſt hujuſmodi prohibitio ſub pœna alicujus cenſuræ: nam quidam Epiſcopi in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus prohibent hujuſmodi tabachi ſumptionem in Choro, vel Sacrichriſtia, ſub pęna excommunicationis, vel ſuſpenſionis; ideò conſulendæ ſunt leges municipales locorum. Cœterum, ſumptio tabachi in Eccleſia, & ejuſdem atriis, vel in Choro, aut Sacriſtia, non eſt mala quia mala, ut cenſet Paſqualigus *in qq. Canonicis, cent.* 2. *quæſt.* 175. ſed mala quia prohibita, ut ex Card. de Lugo *loco prox. cit.* tenet Diana *ubi ſupra*, & rectè quidem.

TITULUS CCXIX.

De Teſtamentis Religioſorum.

2107 INter. 1. Poteſtne Religioſus ſuum teſtamentum, ante profeſſionem factum, declarare?

Reſp. Licèt Religioſus non poſſit revocare Teſtamentum, ante profeſſionem confectum, ut rectè probat Sanchez *in ſum. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 5. tamen interpretrationem dubiæ, & obſcuræ ſuæ volutatis in teſtaméto non ſatis explicatæ facere poſſe, non dubitat Sanchez *ibidem num.* 17. quia hoc non eſt de novo diſponere, ſed declarare. Religioſo namque novum teſtamentum facere interdicitur, non autem priſtinam ſuam voluntatẽ dubiam declarare; & ita præter Sanchez, docent Rodericus *in compend. qq. Regul reſ.* 101. *num.* 50. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap. num.* 19. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 75. & alii plures penes ipſos. Vide Bartholomęum de Vecchis *in praxi Novit. diſp.* 18. *dub.* 12. *n.* 2. & Sanchez *loco citat.* latè de hac tractat materia.

2108 Inter. 2. Poſſuntne Religioſi profeſſi teſtamentum condere, ſeù teſtari, ſaltem cum licentia Superiorum, aut rogare Superiorem, ut det alicui ea, quæ habent ad uſum? &, quid dicendum eſt de Monialibus?

Reſp. De Jure communi prohibitum eſt Religioſis profeſſis teſtamentum condere, ſeù taſtari; Conſtat *ex authent. Ingreſſi C. de Sacroſantis Eccleſ. cap. quia ingredientibus* 19. *quæſt.* 3. *cap.* 2. *de teſtam.* Em. Sà *verb. Religioſum num.* 29. Hujus autem ratio redditur *ea authent. ingreſſi*, quia Profeſſi proprium non habent, neque Superiores poſſunt hanc licentiã concedere, quia non poſsũt aliquid cõtra jus cõmune determinare;

nare; ſed ſolus Papa poteſt Religioſis dictam licentiam concedere, cum ſit ſummus Prælatus Religionum, ac etiam ſupra Jus canonicum, ac proinde poteſt diſpenſare in lege poſitiva, prohibente ne Religioſi teſtentur. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.*6. *num.*62. *& ſeqq.* qui plures concordantes refert, & teſtatur de communi: Idem latè tradit Sanchez *ubi ſupra,cap.* 8. *à num.* 1. *uſque ad n.*5. *incluſivè*. Verùm eſt tamen, quòd non videtur prohibitum,poſſe Religioſum profeſſum aliquam ſchedulam facere, qua roget Superiorem, ut det alicui, quæ ipſe habet ad uſum, vel quid faciendum ſit de ſuis bonis poſt mortem, cum hoc non ſit facere teſtamentum, aut codicillum, nec eſt contra votum Paupertatis; quia cum liberum maneat Superiori ſic diſponere, & quod poſteà fecerit, vim non habeat ex defuncti diſpoſitione, non dicitur feciſſe teſtamentum, aut codicillum, ut optimè firmat Navar. *in Man.cap.*27. *n.*272. *& in comment.*2. *de Regul. n.*22. Graffius *prima par. dieiſ. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 38. quibus ſubſcribit Lezana *ubi ſupra cap.* 9. *num.* 19. Alloza *verb. Religioſi ſect.* 3. *num.* 8. Auſonius *in ſum.* Diana *verb. Regulares num.*5. Caſſianus à S. Elia *in Arbore opin. moral. verb. Articulus mortis* §. 9. *num.* 156. & alii communiter. Et licèt Navar. Graffius, & alii dicant,id non eſſe integrum Religioſo, ſi ea ſchedula vim habeat donationis cauſa mortis: tamen, Sanchez probabiliter quidem putat *loco ſupracit.num.*11. *&* 12. poſſe Religioſum,cum licentia Superioris, & etiam donare cauſa mortis,ſicut ex ea licentia poterat donare inter vivos. Et huic ſententiæ ſe ſubſcribit Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſ.*128. Id quod dictum eſt de Religioſis profeſſis, dicendum eſt etiā de Monialibus profeſſis, quia militat eadem ratio,ideò vide Pellizarium *in tract. de Monialibus cap.* 4. *ſect.*1. *n.*23.

2109 Inter. 3. Teneturne Superior, in dicto caſu promiſſionem factam ſuo Religioſo ſervare, ſcilicèt implere eam diſpoſionem, non per modum Teſtamenti,aut codicilli factam à ſubdito de ejus licentia?

Reſp. Hanc difficultatem diſputat, & reſolvit Sanchez *loco ſupracit.à n.*13. *uſque ad num.* 18. *incluſivè,* ubi tandem concludit:Prælatum Religioſi promittentem illi diſtribuere poſt ejus vitam, ſicut Religioſus rogavit, non teneri civiliter ſtare promiſſis, ſed teneri naturaliter, & in foro conſcientiæ, ſicut Dominus naturaliter, ac in foro conſcientiæ eſt obligatus ad ſervandum pactum cum proprio ſervo initum; limitat tamen idem Sanchez hanc doctrinā: niſi promiſſio eſſet diſtribuendi alteri Religioſo,ſibi etiam ſubdito, nā ſicut rem illi datam poſſet auferre, ita non dare: ac præterea limitat quoque in caſu, quo Prælatus promitteret ſe illā rem conceſſurum ad uſum irrevocabilem; quia adhuc revocare poteſt cum repugnet paupertatis voto concedere rei alicujus uſum à Superiore irrevocabilem;& tandem cauſa rationabili poteſt Superior nō ſervare promiſſum, ſed revocare, ut ex Rebellio firmat ipſe Sanchez *ibidem*.

TITULUS CCXX.
De Teſtibus, & Teſtimoniis.

Vide tit. de Accuſ.&c. Inter. 8. *tit. de Cler. &c. Inter.* 6. *tit. de Concubina. Int.* 1. *tit. de Conſuet. Int.*8. *tit. de Homic. Int.*6. 7. *tit. de Imped. dir. Matr. ad quæſ. tit. de Laic. Int.* 10. *tit. de Paroch. Int.* 32. *tit. de Peccat. Int.*21. *tit. de Regul. &c. Int.* 104. 105. 106. *tit. de Reſtit. Ddm. Int. ult. tit. de Sac. Bapt. Int.*12. *tit. de Sac. Matr. ad quæſ. tit. de Sepul partic. Int.* 5. *tit. de Soc. Crim. Int. ult. tit. de ſollicit. Int.* 10. 11. *tit. de Val. Sac. Matr. Int.* 14. 15. 16. *& ad quæſ.*

2110 INter. 1. Poteſtne quis licitè pro redimenda injuſta vexatione aliquid dare, ſeù donare Teſti

ſtibus, aut alteri, nè male ſe gerat contra illum? & alius poteſtne licite recipere id, quod ei datum, fuerit in tali caſu?

Reſp. Pro redimenda vexatione licitum eſt aliquid ſolvere, aut donare, & pro impediendo ne aliquis malè ſe gerat contra ſe ipſum. Lezana *tom. 2. verb. dare, ſeù donare, num. 8. & 36. propè finem*; nam qui dat aliquid pro redimenda vexatione, licitè operatur; quià dat illud pro conſervatione rei ſuæ, ut potè famæ, honoris, vitæ; honor enim, & fama ſunt pretioſiores bonis fortunæ. Vide Marcum Paulum Leonem *in praxi ad litteras M. Pœnitentiarii par. 3. pag.* 270. Item conſervatio ſui, & ſuorum jure naturali eſt licita *leg. ut vim ff. de juſt. & jure & lib. 1. & toto titulo de furtis e. olim. & toto ti. de reſt. ſpoliat. in Decretal. & cap. cum dilecto de ſenten. excom. in 6.* Et ratio eſt: quià quilibet jus habet à natura ſe conſervandi, & ab eadem natura cujus tributum eſt, ut ſe ipſum tueatur, ac defendat eo meliori modo quo poteſt. Ità etiam jus ad propriam famam conſervandam, omni juri poſitivo præponderat, ut docent DD. communiter. Verùm adverte Alexand. VII. in conſtit. incip. *Inter graviſſimas*, quam Conſtitutionem confirmavit, & innovavit Innoc. XII. alia conſtitutione incip. *Sacerdotalem, & Regiam Vrbem*, prohibuiſſe ſub cenſuris, & aliis gravibus pœnis, ne quis apud Sedem Apoſtolicam Judex, Miniſter, Officialis, & alius auctoritatem, & poteſtatem habens, nec quicunque mediator pro defenſione juris quæſiti, ſive executione quærendi, etiam ad redimendam injuſtam vexationem, quicquam promitat, det, vel accipiat. Vide *ſuprà in tit.* 131. *de Largitione munerum, ad Inter. ult.* Cæterùm, turpe lucrum eſt aliquid accipere pro veritate dicenda; immò tenetur reſtituere, qui ſic accipit, ei, qui intellexit per illud donum ſibi juſtitiam miniſtrari. Vide Sylveſtrum *verb. Teſtis num.* 8. §. 5. & jura ab eo citata; nam quilibet tenetur proximum ab injuſto damno liberare, abſque ſpe aliquid recipiendi, quia ad vitandum injuſtum damnum proximi tenetur ex præcepto charitatis facere, quod in ſe eſt, ut veritas innoteſcat. Sylveſt. *loco cit.* Diana *in Sum. verb. Teſtis num. 6.* Lezana *tom. 2. eodem verb. num. 2.* Em. Sà *de Teſtibus num.* 10. Toletus *lib. 5. cap. 59. num. 6.* Vide Doctores alios penes Dianam *par. 3. tract. 6. reſ. 4.* Addit tamen Sylveſter *ubi ſupra*, Teſtem poſſe expenſas accipere ab ipſum producente, & etiam lucrum ceſſans operum ſuorum, quod eſt valdè notandum prò praxi in caſibus occurrentibus. Vide Emm. Sà *de Teſtibus n.* 10. & Armillam *verb. Teſtis num.* 11.

2111 Inter. 2. Eſtne licitum in conſcientia, aperire defectus occultos teſtium ad infirmandum ipſorum dictũ? aut eis obiicere falſum crimem?

Reſp. Licitum eſt Reo, & ipſius Procuratori, aperire hujuſmodi defectus occultos teſtium, ut ipſorum teſtimonia infirmentur, & sè juſtè defendat, ſi fuerit accuſatus, vel denenciatus de aliquo gravi delicto: ſed requitur veritas; nam opponere teſtibus falſum, & non verum, grave peccatum eſt, etiamſi reus juſtè ſe defendat. Rodericus *in compend. qq. Regul. reſ.* 42. *num. 36. & 37.* Toletus *lib. 5. cop. 59. num. 4. & 5.* & præcipuè S. Thomas 2. 2. *quæſt. 70. artic. 3.* & eſt communis ſententia. Quare audiendi non ſunt Doctores, quos ſequitur, & non impugnat Diana *par. 9. tr. 9. reſ.* 44. cum oppoſitum, quod ipſi docent, fuit damnatum ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. & eſt propoſitio 44. inter reprobatas ab eodem Pontifice, & rectè quidem, falsò enim tunc infamatur teſtis, & abſque jure, qnià ad falſum, & mendacium nequit eſſe jus, ut optimè ajunt Salonius, & Argonius in 2. 2. D. Thomæ *loco cit.* undè ſecus facientes peccant mortaliter contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem omnium dã-norum.

norum. Vide Dianam *par. 3. tract. 5. reſ. 4.* qui hanc ſententiam communem eſſe fatetur.

2112 Inter. 3. Ad hoc, ut Teſtes reo præjudicent, eſtne opus, ut ſint jurati? & quid dicendum eſt de Papa, & Cardinalibus teſtificantibus?

Reſp. Requiritur quidem, quòd ſint citati ad teſtificandum, & quòd eis delatum ſit juramentum de veritate dicenda; aliàs reo non præjudicant, ut colligitur *ex leg. ſi quis ff. de adulteriis* & docet Sylveſter *verbo Inquiſitio 2. num. 1.* nam teſti nunquam eſt credendum in præjudicium alterius, niſi teſtimonium cum juramento proferat. Ità habetur *cap. ex nobis, cap. Fraternitas, cap tuis, & cap. nuper de teſtibus* Vide Layman *lib. 3. cap. 4. tr. 6. n. 5.* Bonac. *de legib. diſp. 10. quæſt. 3. pun. 3. num. 2.* Allozam *item eodem verb. ſect. 1. num. 23.* Rodericum *in compend. qq. Regul. reſ. 42. num. 32.* qui hoc probat ex diverſis Juribus. Tandem excepto Papa, nulli creditur in præjudicium alterius, niſi jurato, ut docet Sylveſter *loco cit.* Imò conſuetudo incontrarium, ſi adeſt, inter Regulares præcipiendi tantùm in virtute ſpiritus Sãcti, Sanctæ obedientiæ &c. non eſt admittenda, ut potè Juri communi contraria; quare conſultius eſt accipere etiam à Religioſis juramentum. Vide Rodericum, & Allozam *ubi ſupra*, Syveſtrum *verb. Teſtis num. 6.* ubi ſic habet. *Neque alicui teſti creditur quantumcumque Religioſo, niſi jurato.* Vide etiam Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 27. num. 11.* Sed notandum eſt quòd Sacerdotes, & Prælati jurare non debent in Judicio ſine gravi cauſa, & neceſſitate; quia eſt contra *cap. ſi quis Preſbyteri 2. quæſt. 5.* & quando jurare debent, non tenentur ſacra tangere, ſed ſufficit, ut tangant proprium pectus, prout habetur ex dicto *cap. Si quis Presbyteri*, & docent Layman *lib. 3. tr. 3. cap. 12. num. 5.* & Bonac. *de legib. diſp. 4. quæſt. 1. pun. 10. nu. 1.* An autem credendum ſit Cardinali teſtanti de aliqua re in præjudicium tertii? Vide Dian. *par. 5. tr. 2. reſol. 31.* qui prò utraque parte multos, & graves DD. affert, & Armillã *verb. Teſtis n. 9.*

2113 Inter. 4. Ad hoc, ut Teſtes faciant plenam probationem, & dicantur conteſtes, quid requiritur?

Reſp. Teſtes nunquam faciunt plenam probationem, niſi ſint conteſtes, ſcilicet de eodem numero facto, loco, & tempore teſtificantes; tamen dummodo in ſubſtantia facti conveniant, licèt aliorum accidentium non recordentur, non tollitur conteſtatio, ut docent Rodericus *loco proximè cit. num. 3. & ſeqq.* & Alloza *ea ſect. 1. num. 24. de teſtibus.* Quando igitur teſtes deponunt de eodem numero facto, ſunt cõteſtes, & faciunt plenam probationem in judicio; quando verò deponunt ſuper diverſis factis, ità quod quilibet eſt ſingularis ex dicto ſuo, tunc ſunt teſtes ſingulares, & regulariter non probant delictum, etiamſi eſſent mille, quià omnis teſtis in ſenſu ſuo eſt unicus. Vide Raynald. *to. 1. fol. 460. n. 101. 102.* Sed ponamus exemplum, v. g. ſi duæ mulieres deponant ſe peccaſſe cum Sempronio, jungi non poſſunt ad faciendum indicium perfectum, atque plenam probationem, etiam cum aliquibus aliis conjecturis; nam duæ probationes ſemiplenæ diverſi generis, vel diverſorum actuum, nunquam ad faciendam perfectam probationem conjungentur: unde teſtes, qui deponunt de diverſis numero factis, aut de diverſis temporibus, aut locis non ſunt conteſtes, ſed teſtes ſingulares, qui non faciunt plenam probationem, ut dixit Sylveſter *verb. Indicium n. 7.* Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 33.* Thomas *de Jeſu de Viſitatione Regul. tract. 3. cap. 7. nu. 5.* Rodericus *ubi ſupra num 5.* Lezana *tom. 1. par. 2. cap. 27. num. 15.* qui benè addit, quòd tunc delictum dicitur plenè probatũ, quando ad minus per duos teſtes oculares, & conteſtes, & omni exceptione majores teſtificatum eſt. Vide Armil-

millam *verb. Teſtis numer. 6. & 8.*

2114 Inter. 5. Poſſuntne teſtes licitè deponere in ſcripto, vel tacere aliquid de contingentibus, ſuper quibus interrogantur, & quid dicendum eſt, quando non ſunt conſtantes in depoſitione facta?

Reſp. Dico primò, quòd in cauſis criminalibus nunquam teſtes poſſunt deponere in ſcriptis, quamvis legant ſcriptum, ſed neceſſariò viva voce deponere tenentur. Ità habetur *ex c. Teſtes, 3. quæſt. 9.* Rodericus *in compend. qq. Regul. reſol. 42. num. 29.* Alloza *verb. Teſtis ſect. 1. num. 29.* & alii. Dico 2. quòd, ſi teſtes taceant aliquid de contingentibus, ſunt falſi teſtes, & hoc accidit quando exprimunt id, quod facit pro aliquo, & tacent, quod eſt contra illum; ſiquidem tenentur quoque manifeſtare ea, quæ pro adverſario faciunt, alias ſunt falſi teſtes, ut dixi. Vide *cap. Cum dilectis de accuſat.* & Lezanam *tom. 2. verb. Teſtis num. 3.* Dico 3. Qui eſt incoſtans animo, & varius verbo, committit crimen ſtellionatus, ut docet Sylveſter *verb. ſtellio*: undè teſti varianti, nulla eſt adhibenda fides; quia ſi vacillat, & eſt ſibi contrarius in depoſitione, debet torqueri, aliàs ſine tortura non probat. Vide Rodericum *ubi ſupra num. 9. 10. & 11.* Allozam *loco cit. ſub num. 31.* & alios apud ipſos, & eſt communis ſententia.

2115 Inter. 6. In quo caſu excommunicatus vitandus validè, & licitè poteſt eſſe teſtis?

Reſp. In cauſa Fidei certum eſt, quod excommunicatus vitandus, validè, ac licitè teſtari poteſt, & ejus teſtimonium admittitur, ut patet *ex cap. in fidei favorem, de hæreticis in 6.* & notant ibi Doctores, & docent poſt alios Sayrus *de excommunicat. lib. 2. cap. 8. num. 1.* Coninchius *de Sac. diſput. 14. dub. 11. num. 110.* Suarez *de cenſur. diſput. 16. ſect. 6. num. 6.* & alii, inter quos eſt etiam Bonac. *de cenſ. diſput. 2. quæſt. 2. pun. 7. num. 12.*, qui etiam putat, quòd licitè ferre poſſit teſtimonium in cauſa matrimonii, quia eſt valdè favorabilis, ſed hoc non admittitur à Diana *par. 11. tract. 4. reſol. 21.* nam ut ipſe ait, Doctores ſolù in cauſa Fidei concedunt excommunicato vitando, ut ſe in teſtem, actorem, & accuſatorem ingerere poſſit; quià ſolùm in cauſa fidei, ut potè graviſſima, id expreſſum invenitur; & cum ſit exceptio à generali regula, non debet extendi ad alios caſus, præcipuè cum ratio longè diverſa ſit. Ità Diana, qui etiam rectè reſpondet, quòd licèt cauſa matrimonialis ſit favorabilis, non eſt tamen æquè favorabilis, ac cauſa Fidei; quare certò puto nō poſſe fieri extenſionem per identitatem rationis, quià caſus non eſt ſimilis. Vide igitur Dianam, & non pigebit, ſiquidem ſolidè probat aſſertum: de excommunicato vero tolerando, non eſt dubium, quin licitè poſſit ferre teſtimonium in favorem aliorum, dummodò non ſe ingerat ſua ſpontè.

2116 Inter. 7. Quinam ſunt, qui teſtes de Jure eſſe non poſſunt in Cauſis criminalibus?

Reſp. Multi quidem ſunt, qui de Jure non admittuntur in teſtes, & tanquàm minus idonei repelluntur à teſtificando, præſertim in criminalibus. Hi autem ſunt conſpiratores, ut probat Gloſ. *in cap. Conſtitutionem de verbor. ſignif. in 6.* & docent Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 27. num. 15.* propè finem, Marcus Paulus Leo *in praxi ad litteras M. Pœnitentiarii pag. 517.* qui ex diverſis juribus hoc probat. Item infames, excommunicati, Inimici. Vide Sylveſtrum *verb. Teſtis quæſt. 11.* Bonac. *de legibus diſp. 10. quæſt. 3. pun. 3. num. 3.* Lezanam *loco proximè cit. n. 15. & tom. 2. verb. excommunicatio nu. 38.* Dianam *in Summ. verb. Teſtis num. 1.* Et nota, quòd Infames non ſolùm repelluntur ab accuſando, ſed teſtificando, & poſtulando, & hujuſmodi, & in cauſis criminalibus, neque eis pœnitentia prodeſt, ut docet inter alios Sylveſter *verb. Infamia num. 15. propè finem.*

finem. Ità etiam criminoſi, & perſonæ viles, non ſunt teſtes idonei; quià dubitatur, ne ob timorem, vel malitiam, mendacio veritatem occulturi ſint; & habetur *ex cap. Teſtimonium* 54. *&* *cap. ſuper eo* 13. *de teſtibus*. Imò crimine notatus, & infamis teſtificantes, nunquam probant, niſi cum tortura, quæ purgat eorum maculam, ſeu defectum. An verò vilis perſona probet in cauſa criminali ſine tortura, eſt problema, ideòque relinquitur ad arbitrium Judicis: quamquam certum ſit, quòd nunquam tanta fides adhibeatur hujuſmodi teſtibus, ſicut aliis, qui ſunt omni exceptione majores. Julius Clarus in *pract. crimin.* §. *final. qu.*24. *num.*13. *&* 19. Præteremà Mulieres laicæ non admittuntur in teſtes, niſi quãdo veritas aliundè haberi non poſſit, neque ex dicto duarum fœminarum quis condemnari valet. Ad defenſionem verò Reorum, & ad probandam innocentiam alterius, admittuntur etiã fœminæ. Ità Farinacius *de Teſtibus quæſt.*59. *num.*4. & tandem nec mas eſt idoneus teſtis in criminalibus, ſi non habet 20. annos, licèt ſufficiat ad præſumptionem faciendam. Vide præcitatos Doctores, & Armillam *verſ. Teſtis num.*1. *& ſeq.*

2117 Inter. 8. Ad quid tenetur, qui dixit falſum teſtimonium contra aliquem, ob quod ille eſt in periculo perdendi vitam?

Reſp. Debet, & tenetur ſuum teſtimonium revocare, & omnem ſuam Operam adhibere, ut illum eripiat, quamvis ob id oporteret eum perdere propriam vitam. Navar. *in man. c.*25. *num.*17. Concludendum eſt igitur cũ Bonac. *de præcep. Decal. diſp.*10. *qu.*3. *pun.*3. *num.*16. quod is, cujus falſo teſtimonio inferenda eſt alteri mors, teneatur in conſcientia ſuum falſum teſtimonium retractare, cum periculo ſimilis pœnæ: dummodò tamen peccaverit in falſo teſtimonio ferendo, quia ſi bona fide perniciosam aliquam falſitatem dixit in Judicio, non tenetur, cum tanto ſuo incommodo cognita veritate dictum retractare, item quando credit ſe nihil profuturum, non eſt neceſſaria retractatio, cum ſit opus inutile, licet ad reſtitutionem omnium damnorum teneatur. Si verò falſum teſtimonium dixit ex ignorantia, vel inadvertentia, aut oblivione non mortalitèr culpabili, ad reſtitutionem non teneri probabilitèr docet Cajet. 2. 2. *qu.*70. *art.*4. Pitigianus, P. Navar. & Leſſius, quos refert, & ſequitur Dian. *par.*3. *tr.*5. *reſol.*105. *verſ. Nota etiam.* Vide Em. Sà *verb. Teſtis prop. fin.* & iterùm Dian. *par.*4. *tr.*4. *reſol.*99.

2118 Inter. 9. Qui precibus, minis, aut pretio teſtem corrumpit, ut falſum in Tribunali Sanctiſſimæ Inquiſitionis contra aliquem deponeret: quibus pœnis eſt ab Inquiſitoribus puniendus?

Reſp. Quod Inquiſitores habeant juriſdictionem puniendi mandantes, & corrumpentes teſtes, ut falsò coram ipſis deponant, eſt ſententia communis contra Bertazolium *vol.*1. *conſ.*62. *per totum*, ut videre licèt apud Dianam *par.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 16. *verſ. Reſtat modo*, ubi addit *ità decreviſſe Leonem X. in Bulla edita die* 14. *Decembris* 1518. ibi enim dicitur, *aut alium ad falſum deponendum*. Hoc itaque prænotato, dicendum eſt, iiſdem pœnis coercẽdos eſſe mandantes, & corrumpentes teſtes, ut falsò deponant, quibus ipſimet falſi teſtes plectuntur, nam eadem digni ſunt pœna, qui teſtes pretio, aut minis corrumpunt, & qui hoc fieri mandant. Ità Souſa *in Aphor. Inquiſit. lib.*2. *cap.*8. *num.*28. qui *num.* 27. enumerat etiam pœnas imponendas falſis teſtibus. Vide igitur Dianam aſſerentem: damnatum fuiſſe quemdam Regularem falſum teſtem, qui etiam alios ad teſtificandum falſum corruperat, per decennium ad triremes, cum aliis pœnis, & complices, quia erant fœminæ, damnatas fuiſſe ad fuſtigationem, & ad exilium per ſex annos, &c

2119 Inter. 10. Teneturne teſtis reſpondere Judici in caſu, quo per genera-

neralem inquiſitionem quęrit,qui ſciat auctorem delicti notorii,ſed ignoratur quis fuerit?

Reſp. Quod Judex licitè poſſit inquirere, quis fecerit delictum in genere, ſeu per generalem inquiſitionem, mihi eſt certiſſimum; quià alias ſæpè delicta remanerent impunita,non ſine ſubditorum ſcandalo; undè expedit pro bono communi, ut Judex inquirat in genere auctorem delicti:& hæc ſententia, quæ eſt Malderi, Villalobos, Valentiæ Bannez,& aliorum, quos refert, & ſequitur Diana *par.*2. *tract.*15. *reſol.*63. eſt probabilior,ut aſſerit ipſe Diana. Hoc igitur ſuppoſito,dico cum Aragonio *in* 2. 2. *quæſt.*69. *art.*2. *dub. ultimo*. Valero *in differ. utriuſque fori verb. Inquiſitio num.* 9. Miranda *de ordine judiciario tom.* 2. *qu.*6. *art.* 6. *concluſ.*3. & aliis, qui ſciunt auctorem delicti teneri Judici interroganti, & licitè inquirenti reſpondere, & veritatem aperire. Et ratio eſt, quià cum Judex, in dicto caſu, jus habeat procedendi, & interrogandi propter bonum commune teſtes, ſequitur manifeſtè, quòd teneantur, & ipſi propter idem bonum commune conſervandum,legitimè perquirenti veritatem dicere, & occultum Reum revelare;licèt Bonac. *de legib. diſput.*10. *qu.*2. *pun.*5. *num.*14. & alii plures apud ipſum, & Dianam *ubi ſupra* oppoſitum ſentiant: ſed noſtra ſententia, cum faveat bono publico, ſequenda eſt in praxi, præſertim quià in dubio,an Judex in tali caſu interrogare licitè poſſit,necne, ſtandum eſt pro Judice, non pro Reo, cum Judex ſit in poſſeſſione ſuæ juriſdictionis, & in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, ac proinde ſubditi ei tenentur obedire, nec poteſt dari bellum juſtum inter Superiorem, & ſubditum, ut docet S. Thomas. 2. 2. *qu.* 96. *art.* 1. & ibi expoſitores, teſte Lezana *tom.*2. *verb. Judex,& Judicium n.*9. quidquid dicat Filliucius apud Dianam *loco ſupracitato*: ergo &c.

2120 Inter. 11. Teneturne teſtis ſub peccato mortali,teſtificari,quando ſcit nullum alium ſcire illud delictum, & non conſtat ſibi de alio conteſte?

Reſp. Jo: de la Crux *in directorio conſcientiæ tom.*1. *par.*8. *art.*4. *dub.*13. apud Dianam *par.*3. *tract.*5. *reſol.*100. docet, quòd teneatur in tali caſu, ſub peccato mortali dicere, ſe nihil ſcire, & pro ſe citat Ledeſmam, Bannez, & Orellanam. Idem tenet Octavianus Spatarius, & hanc ſententiam probabilem putat ipſe Diana, Leſſius, Villalobos,& Petignanus aſſerunt,poſſe teſtem in tali caſu teſtari, ſed non teneri. Tamen ſententia affirmativa, ſcilicèt teneri teſtem in dicto caſu teſtari, eſt probabilior; teſte eodem Diana *ubi ſupra*,& eam tradunt Sotus *de juſt. lib.*5. *quæſt.*7. *art.*1. & Panormitanus, quem ſequitur Azorius *par.* 3. *lib.*13. *cap.*27. *dub.* 2. & mordicus illam defendit Sancius *in ſelectis diſp.*43. *nu.*39. Et ratio mihi eſt; quià teſtis interrogatus ſub præcepto, & juramento, tenetur edicere veritatem Judici præcipienti legitimè, ſi procedat ex munere, & eo magis ſi ad inſtantiam partis, ne accuſator ex culpa teſtis, teneatur pœnam talionis ſubire,aut aliam pœnam ob non probatum delictum, ſaltem ſemiplenè, quod re vera fuit perpetratum ab accuſato.Concludendum eſt igitur,teſtem omninò ſub peccato mortali teneri patefacere veritatem; quià licèt ex ſola ipſius depoſitione minimè poſſit condemnari Reus; tamen excuſari non poteſt,ob præceptū & juramentum, quibus arctatur à Judice licitè perquirente veritatem facti, & ne accuſator, tanquam calunniator pœnam luat; ſiquidem in pari cauſa favendum eſt innocenti,& ſi ipſi non favet, peccat mortalitèr, & tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum. Vide ſuprà *in tit.* 187. *de Reſtit. damni, ad Inter.*30.

2121 Inter. 12. Sufficitnè unus Teſtis omni exceptione major,ad hoc ut Judex poſſit delinquentem punire?

Reſp. Unus teſtis,etiam de viſu,& omni

omni exceptione major, non ſufficit ad puniendum. Textus *in cap. veniens, & cap. licet univerſis, de teſtibus*, Lezana *tom. 2. verb. Teſtis num. 5. & verb. Tortura num. 2.* Vox enim unius, vox nullius; & unum, & nihil æquiparantur à Doctoribus communiter, per *cap. cum dilecti 18. 9. fin. de accuſat.* & per *leg. Juſiurandi 9. C. de Teſtibus*; unde, ex unius dicto, Judex neminem judicare, & condemnare poteſt, ex eo quià dictum unius tam parvi fit, ac ſi non eſſet; nam unus facile decipi poteſt, & ſolùm in ore duorum, vel triũ, ſtat omne verbum. Vide Marcum Paulum Leonem *in praxi ad litt. M. Pœnitentiarii par. 2. pag. 372. verſ. Secundo, & adſecundum.* Et quamvis probet ſemiplene unus teſtis omni exceptione major; ut ex Soto docet Em. Sà *du modo procedendi num. 3.* & alii communiter; tamen eſt certiſſimum id, quod aſſerit Sylveſter *verb. Teſtis num. 5.* ſic inquiens. *Teſtimonium unius nec juſtificat, nec condemnat.* Cæterùm ſtandum eſt dicto unius, quando non agitur de præjudicio alterius, imò alteri prodeſt. Vide nunquam ſatis laudatum Raynaldum *tom. 1. pag. 41. n. 42.*

2122 Inter. 13. Peccatne mortalitèr, qui ſuo teſtimonio poteſt proximum liberare ab injuſta morte, pœna damni, vel infamia, aut alio gravi damno, & non vult teſtificari id, quod novit?

Reſp. Utique mortaliter peccat: quia unicuique mandavit Deus de proximo ſuo, quare tenetur in conſcientia id facere, etiamſi non jubeatur, & facere quantum in ſe eſt, denuncians veritatem ei, qui poteſt prodeſſe, aliàs mortaliter peccat contra charitatem. Colligitur ex *c. 1. de Crimine falſi*, & docet S. Tho. 2. 2, *q. 70. art. 1.* Sotus *in 4. diſt. 15. qu. 6. art. 2. concluſ. 7.* quibus ſubſcribit Navar. *in man. cap. 25. num. 17.* Vide Bonac. *de præcep. decal. diſp. 10. quæſt. 3. pun. 3. num. 11.* Sylv. *verb. Teſtis n. 8.* Tamen non tenetur quando grave damnum timet contra ſe, aut ſuos: quia lex charitatis non obligat ad ſubveniendum proximo cùm tanto incommodo, niſi aliud poſtulet commune bonum. Bonac. *ubi ſup. num. 8.*

TITULUS CCXXI.

De Tonſura.

Vide tit. de Abbatib. Int. 1. tit. de Ætat. &c. Int. 11. tit. de Cardinal. Int. 2. tit. de Epiſcop. &c. Int. 66. 67. 68. tit. de Ignor. Int. 13. tit. de Irregul. Int. ult. tit. de Privileg. &c. Int. 6. 8. 9. 12. & ad quæſ. 1. & 2. tit. de Sac. Ord. Int. 8. tit. de val. Benefic. Int. ult.

2123 Inter. 1. Debetne Confeſſarius abſolvere à ſuſpenſione Clericum prima tantùm Tonſura initiatum, quatenùs indigeat?

Reſp. Verior, & probabilior Theologorum ſententia docet: primam Tonſuram non eſſe Ordinem, ſed diſpoſitionem ad Ordines. Zerbi *in Gemma Epiſcopali tit. 1. reſol. 1.* ubi diffusè *de Offic. Epiſcopi.* Vide Leandrum *de Sac. tom. 2. tract. 6. diſp. 1. quæſt. 4.* qui pro hac ſentẽtia, 36. DD. refert. Et ego breviter dicam in hoc titulo, ad Inter. ultimam, cum S. Th. & aliis; Hoc ergo ſuppoſito: dico cum Diana *par. 10. tract. 14. reſol. 14.* initiatum tantùm prima Tonſura, non eſſe à Confeſſario abſolvendum à ſuſpenſione, quatenus indigeat; Immò ait idem Diana, quod ità obſervant ferè omnes Confeſſarii, & rectè quidem; nam Clericus ſolùm prima Tonſura initiatus, nullam contrahere poteſt ſuſpenſionem, quæ ſit cenſura Eccleſiaſtica, conſequenter opus non eſt, ut Confeſſarius illum à ſuſpenſione ad cautelam abſolvat, ſicut facere debet cum illis, qui ordines habent.

2124 Inter. 2. Qui ſuſcepit Ordines, omiſſa Tõſura, teneturne neceſſariò illam ſuſcipere.

Reſp. Sylvius in *reſolut. variis verb. Ordo* 2. affirmativè reſpondet: quià ſicut contrà mentem Eccleſiæ eſt, quòd nõ tonſuratus Ordines ſuſcipiat, ità contrà illam eſt, quòd non ſuſcepta tonſura in iis miniſtret. Verùm Jo: Baptiſta de Fabris *in Man. Ordinandorum de Sac. Ordinis cap.* 4. *quæſt.* 13. tenet, quòd non teneatur, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti, quòd prima tonſura præcedat ſuſceptionem Ordinum: nam omiſſa prima tonſura, adhuc eſt validè ordinatus, ſed tantùm eſt de neceſſitate præcepti: ergò, &c. Mihi tamèn prima ſententia placet, quià adhuc poteſt ſervari præceptum. Vide Dianam *par.6. tract.8. reſ.*29.

2125 Inter. 3. Epiſcopus poteſtne licitè conferre primam Tonſuram illi, qui ſcit legere Italicè, non autem Latinè? &, quid dicendum eſt, ſi ſcribere neſciat?

Reſp. Diana *par.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 27. affirmativè ad utrumque caſum reſpondet: & primò, quià qui ſcit ſaltem legere Italicè, ſeù vulgari lingua, non poteſt dici, quòd legere neſciat; ergò cum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 12. dicat, ut non initietur prima tonſura, qui neſcit legere, ſequitur, quòd qui legere ſcit Italicè, ſeù vernacula lingua, non prohibetur prima tonſura initiari, quia non poteſt dici, quòd legere neſciat. Et pro hac ſentẽtia ſunt Sanchez *in opuſ. tom.* 2. *lib.* 7. *dub.* 46. *num.* 11. Azorius *tom.* 2. *lib.*6. *cap.*6. *num.*2. & Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 11. *num.*5. *in fine*, apud Dianam *loco citato.* Item qui characteres ſcit formare, licèt ſcribere perfectè neſciat, initiari poteſt prima tonſura: quia non poteſt dici, quòd nullo modo ſcribere neſciat. Et ità declaraſſe Sac. Congregationem, refert Sellius *in ſelectis canon. cap.* 5. *num.* 9. *ſub die* 13. *Octobris* 1593. cui concordat Diana *ubi ſupra.*

2126 Inter. 4. Peccatne mortaliter Epiſcopus, qui confert primam Tonſuram ſuis ſubditis in alia Diœceſi, abſque Ordinarii loci licentia?

Reſp. Non peccat ullo modo, ſequitur enim opinionem certò probabilem, quæ docet, Epiſcopum poſſe in alterius Diœceſi conferre primam Clericalem Tonſuram ſuis ſubditis, abſque facultate Epiſcopi illius loci. Et ratio eſt: quia Concil. Trident. loquitur de Epiſcopo conferente Ordines: Prima tonſura autem non eſt Ordo, ut docent communiter Theologi, vide Dianam *par.* 10. *tract.*14. *reſ.* 1. §. *Verum hic, &c.* inter quos præcipuus eſt S. Thomas 3. *par, quæſt.*40. *art.*2. Prætereà Tonſura concedi ſolet ſine exercitio Pontificalium; ergò Epiſcopus in caſu propoſito nullum peccatum committit, nec ullam pœnam incurrit: Ità expreſsè tradunt Azorius *par.*2. *lib.*3. *c.* 48. *qu.*5. Bonac. *de Sacr. diſp.*3. *qu. unic. pun.*2. *num.*12. Dian. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 143. *& par.*5. *tract.*10. *reſol.*45. Rebuff. Henriquez, Molfeſius, Villalobos, Alzedo, & alii, licèt oppoſitum cenſeat Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. par.*2. *alleg.*6. *tom.*15. *& in Collect. ad Trident. ſeſſ.* 6. *de reform. cap.*5. *n.* 9. ubi utriuſque Partis Aſſertores refert; ſed mihi non probatur.

TITULUS CCXXII.

De validitate Abſolutionis.

Vide tit. de Caſ. reſer. Int. 2. *tit. de Soccrim. Int.*16.

2127 Inter. 1. Si Confeſſarius abſolvens Epiſcopum, vel alium Prælatum, diceret Abſolvo Illuſtriſſimam Dominationem tuam à peccatis tuis, vel &c. eſſetne valida talis abſolutionis forma?

Reſp. Utique valida foret, quia mutatio eſt tantùm accidentalis, tamen hoc licitè minimè fieri poteſt. Eſt comm. ſententia.

2128 Inter. 2. Poſito, quòd Confeſſarius priùs ipſum excommunicatum à pec-

peccatis abſolvat, quam à cenſura: eſtne valida talis abſolutio ſic impenſa?

Reſp. Nequaquam, nec ullo modo abſolutio tenet, imò mortaliter peccat Confeſſarius, ac ſimul pœnitens, ſi ſcienter uterque ſic ſe gerant, undè prorſus iteranda erit Confeſſio. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 82. & alii communiter. *Vide in tit.* 230. *de Validitate Sacramentorum ad Int.* 2.

2129 Inter. 3. Cujus eſt quadam excommunicatione reſervata irretitus, ſed ignorat ſe eſſe excommunicatum, & bona fide confitetur, & abſolvitur à peccatis, & non ab excommunicatione: eſtne valida talis abſolutio?

Reſp. Referendo affirmativè reſpondebo, & quod non teneatur reiterare talem confeſſionem, quando advertit, dixi *in tit.* 44. *de Confeſſ. Sacrament. ad Int.* 27. ſed ſolùm petere abſolutionem ab excommunicatione, confitendo peccatum, cui ipſa excommunicatio eſt annexa; Et hanc ſententiam præter Doctores *in tit.* 229. *de Validit. Sacr. Pœnit. ad Int.* 2. plures dicam *ad Int. ſeqq. necnon in tit.* 88. *ad Int.* 2. *& in tit.* 222. *pariter ad Int.* 2. *præcipuè verò in tit.* 230. tenent etiam Layman. *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 12. *nu.* 12. Coninchus *de Sacr. diſp.* 8. *dub.* 3. *concluſ.* 4. *num.* 104. & Suarez *de Cenſ. diſput.* 10. *ſect.* 3. *num.* 6. qui citat Cajet. Covarruviam, & alios reſte Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 78. quidquid alii in contrarium dicant apud ipſum Dian. *loc. cit.* ſed hæc, quam ſequimur opinio, eſt probabilis, & tuta in praxi. Vide Dianam *par.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 82. ubi idem confirmat cum aliis multis à ſe citatis.

2130 Inter. 4. Si Mulier, aut non Sacerdos, communi errore legitimus Confeſſarius reputaretur eſſentne validæ abſolutiones ab illis impenſæ?

Reſp. Nullo modo eſſent validæ, quia tales, jure divino, & naturali ſunt incapaces ad abſolvendum, ideò nec Eccleſia in dicto caſu, poteſt ſupplere juriſdictionis defectum, & de hoc minimè eſt dubitandum. Vide *in tit.* 224. *de Validitate Confeſ. ad Inter.* 12.

2131 Inter. 5. Eſtne valida abſolutio impenſa ab illo Sacerdote, qui communi errore putatur eſſe Parochus, vel Confeſſarius, etiamſi non habeat titulum coloratum?

Reſp. Quidam affirmant, Eccleſiam ſupplere juriſdictionis defectum, quando adeſt error communis vulgi, etiam ſine titulo colorato, & conſequenter, eſſe validas Confeſſiones illorum, qui neſciunt, an talis Sacerdos revera ſit Parochus, vel ſaltem ad audiendas confeſſiones ſit deputatus à ſuo Superiore: ergo juxta hanc ſententiam valida eſt abſolutio impenſa ab illo Sacerdote, qui communi errore putatur eſſe Parochus, vel Confeſſarius, licèt titulum coloratum non habeat. Ita docet Baſilius Pontius *de Matrim. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 46. Sancius *in ſelect. diſp.* 44. *num.* 3. quibus ſubſcribit Dian. *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 43. *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 122. *& par.* 8. *tract.* 1. *reſ.* 94. §. *Sed his non obſtantibus*, ubi alios concordantes adducit, Sanchez *de Matrimon. lib.* 3. *diſp.* 22. *num.* 48. Bordonus *tom.* 1. *var. reſ.* 36. *ſub num.* 50. Cardenas in Criſi Theol. *diſſert.* 2. *num.* 151. ubi ſic ait. Error cõmunis probabiliter dat juriſdictionẽ licèt deſit titulus, vel non ſit à legitimo Superiore collatus, Nicolius *in Floſ. verb. Confeſſarius num.* 5. & alii penes ipſos. Sed reverà non eſt recedendum à contraria ſententia, ut potè probabiliori, & tutiori, ac magis communi: nam ut geſta valeant, non ſatis eſt error communis, ſed neceſſarius eſt titulus collatus à Superiore, quamvis invalidus ſit ob aliquod vitiũ latens; quare dum aliquis ſine titulo, & Superioris auctoritate in officium Judicis, Parochi, vel Confeſſarii ſe intruſit, licèt communis error facti accedat, geſta per illum ad utrumque forum pertinentia, ſunt prorſus invalida, ac nulla. Vide Sanchez *loc. cit. nu.* 49. & alios plures, quos citat Dia-

na *ea par. 2. tract. 16. reſ. 43. in principio*, & habetur *ex cap. Infamis verb. Verumtamen 3. quæſt. 7. & l. Barbarius, ff. de Officio Prætoris*, & luculenter firmat Cardenas *ubi ſupra*, Paſſerinus *to. 2. de Statib. pag. 82. num. 348. & ſeqq*: Tandem vide Bonac. *de Matrim. diſp. 2. pun. 8. num. & 35.*

2132 Inter. 6. Qui non habet ſcientiã ſufficientem, poteſtne ſaltem validè, etſi non licitè, pœnitentem abſolvere?

Reſp. Validè abſolvere poteſt, tamen certò mortaliter peccat, niſi in neceſſitate extrema id faciat. Ita etiam ſi pœnitens bona fide ad eum acceſſit, validè abſolvitur; ſed ſi inſufficiẽtiam noverit Confeſſarii, & data opera ad illum acceſſerit, procul dubio ejus confeſſio, atque abſolutio invalida foret. Vide Bonac. *de Sac. diſp. 5. quæſt. 7. pun. 4. §. 2. num. 5. 13. & ſeqq. in tit. 224. de Validit. confeſſ. ad Inter. 5.*

2133 Inter 7. Confeſſarius ſæcularis poteſtne validè abſolvere à peccatis reſervatis in Religione, Novitios Regulares?

Reſp. Valdè abſolvere poteſt, tam à non reſervatis, quam à reſervatis in Religione: dummodo ſit Confeſſarius ab Ordinario loci approbatus. Vide Lezanam *tom. 2. verb. novitii ſub n. 40. & 44.* Novitii enim ante profeſſionem in hoc ſunt ad inſtar ſæcularium: ideoque, ſi confiteantur Confeſſario approbato ab Ordinario, valida erit confeſſio, etiam de peccatis reſervatis in Religione, quia reſervatio caſuum in Religione facta, ſicut non comprehendit ſæculares, ita neque Novitios, quidquid in contrarium dicant aliqui: nam Novitii in odioſis, pœnalibus non comprehenduntur ſicut Profeſſi, ut de communi teſtatur Cabrinus *de caſib. reſer. par. 1. reſ. 29.* Diana *par. 1. tr. 6. reſ. 27.* Nec obſtat huic noſtræ reſponſioni Decretum Clementis VIII. quod adducit Peregrinus apud Dianam *loco mox adducendo*, quia illud Decretum, ut probabiliter docent alii, non eſt latum à Pontifice per modum præcepti irritantis confeſſionem aliter factam, ſed per modum regulæ, & conſilii. Ita rectè firmat ex aliis Diana *par 3. tr. 2. reſ. 4.* & probabiliter quidem, quamvis fateatur, quòd talis Novitius deberet à Religione expelli, ut tenent etiã Molfeſius, Cariolanus, & Rodriquez: Cæterum confeſſio, in dicto caſu, valida foret. Vide Dianam *par. 4. tr. 4. reſ. 5.* ubi mordicus hanc ſubſtinet ſententiam, & meritò. Vide etiam *ſuprà in tit. 151. de Novitiis, ad Inter 1.*

2134 Inter. 8. Confeſſarius ſimplex poteſtne validè abſolvere à reſervatis cum præſumpta Epiſcopi ratihabitione?

Reſp. Doctores communitèr docent invalidè abſolvere: quia hoc Sacramentum nullo modo poteſt pendere à conditione futura, nec ratihabitio poteſt efficere, ut abſolvens jam antè verè habuerit juriſdictionem, aut ut Sacramentum invalidè collatum convaleſcat. Doctores ita aſſerentes refert Barboſ. *in Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 15. num. 37.* Itaque in tali caſu ſemper requiritur verè actualis voluntas Superioris expreſſa, vel tacita, exterius aliquo ſigno manifeſta; quæ ratihabitio de præſenti, vel de præterito appellatur. Vide Doctores, quos ſequitur Diana *par. 6. tract. 6. reſ. 57.*

2135 Inter. 9. Poteſtne licitè, & validè ſuperior abſolvere pœnitentem à reſervatis, & illum ad inferiorem reremittere pro non reſervatis?

Reſp. Non poteſt Superior, auditis ſolis peccatis reſervatis pœnitentem abſolvere, tranſmittendo illum ad inferiorem pro non reſervatis, preciſa neceſſitate, & rationabili cauſa. Em. Sà *verb. Abſolutio num. 24.* Bonac. *de Sac. diſp. 5. quæſt. 7. pun. 5. §. 3. nu. 1.* qui ait etiam, quod, ſi fortè paſſim apud aliquos introducta ſit conſuetudo, Sacramentalitèr abſolvendi prius à reſervatis abſque juſta cauſa, corrigenda ſit, quia non poteſt conſuetudo legitimè introduci contrà Jus divinum, quod

quod præcipit confeſſionis integritatem, & ſic cautè procedendum eſt in caſu,cum non ſit frangenda ità facilè confeſſionis integritas, ut benè notat P. Simeon à S. Cruce *in Memor. Theol. tom. 2. pænit. quæſ.* 53. Imò abſolutè dicunt quidam, quòd nullo modo ex parte Superioris poſſit dari juſta cauſa, ut pœnitentem abſolvere queat à reſervatis, remittendo illum ad inferiorem prò non reſervatis:quia ſuperior poteſt pœnitenti facultatem concedere, ut abſolvatur,vel eum audire non Sacramentalitèr,& pœnitentiam imponere, & ad Confeſſarium inferiorem pro confeſſione Sacramentali remittere, & hoc quidem eſt tutius, & probabilius. Immò in praxi omnino ſervandum. Vide Suar. *tom.* 4. *de pænit. diſp.* 31. *ſect.* 4. Filliuc. *tr.* 7. *num.* 292. *& ſeq.* Hieron. Roderic. *in Compend. qq. Regul. reſ.* 3. *num.* 20. & aliios, quos refert,& ſequitur Cutill. *in Append. ad pract.* 3. Mancin. *dub.* 30. cum D. Thom. Vide etiam Lezanam *tom.* 2. *verb. Caſus reſervati nu.* 21. *& ſeqq.* & ibi plura circa præſentem caſum.

Quær. 1. An validè, & licitè poſſit Confeſſarius abſolutionem impendere Pœnitenti cum conditione, aut ratihabitione, & quotuplex ſit conditio, quæ poteſt apponi abſolutioni, & an valide, licitèque in aliquo caſu poſſit apponi?

Reſp. Nullo modo quidem abſolutio debet impendi à Confeſſario cũ conditione, aut ratihabitione; unde ſi Confeſſarius diceret. Ego te abſolvo,ſi Epiſcopus poſtea conſenſerit,quæ dicitur abſolutio cum ratihabitione de futuro, nihil certò hujuſmodi abſolutio valeret: quia talis ratihabitio nequit facere, ut Confeſſarius jam ante verè habuerit juriſdictionem, & quòd talis abſolutio invalidè impenſa ex defectu juriſdictionis, ſuum ſortiatur effectum;etenim eſſentia Sacramẽti non pendet ex aliquo futuro,ac proindè non poteſt validare, aut invalidare Sacramentum, quare rectè facit ad propoſitum illa regula Juris in 6. ubi dicitur. *Quæ fuerunt nulla à principio, tractu temporis non convaleſcunt.* Vide ergò quæ dixi *in hoc tit. ad Int.* 8. Conditio autem,quæ poteſt apponi in proferenda forma abſolutionis, eſt triplex, una dicitur de præterito, altera de preſenti,& tertia de futuro. De præterito eſt quãdo Cõfeſſarius dicit v.g. *Si feciſti hoc,vel ſi feciſti examen conſciẽtiæ ego te abſolvo.* De præſenti, *ſi ità eſt, vel ſi es capax, ego te abſovo.* De futuro verò. *Si reſtitueris, aut ſi feceris talem pœnitentiam, aut feceris hoc &c. Ego te abſolvo.* Verùm, ut dixi nullatenus eſt apponenda conditio abſolutioni: tamen ſi duæ priores, nempè de præterito, aut de præſenti apponerentur,valida,ſi extiterit, vel exiſtat conditio, ſed non licita foret abſolutio, niſi in caſu neceſſitatis impenſa. Si autem apponatur conditio de futuro, omninò invalida foret abſolutio, & nil valeret. Ratio eſt:qu'à Sacerdos non poteſt differre, aut ſuſpendere effectum abſolutionis. Quandò verò Confeſſarius dubitaret,an dederit pœnitenti abſolutionem, non perperam ageret,ſi in tali caſu conditionem apponeret dicens: *Si non es abſolutus, ego te abſolvo*, nam ratione dubii id licite, & validè facere poteſt. Itèm ſub conditione poteſt abſolvere puerum,quãdo dubitat,an uſum rationis habeat, ut ex Bardi docet Diana *loco mox citando reſ.* 54. & memini me docuiſſe *in tit.* 177. *de Pueris ad Inter.* 3. Ità etiam probabiliter poteſt abſolvere ſub conditione moribundum, etiam ſi nulla contritionis ſigna oſtendere valeat, ſi conſtet fuiſſe ſolitum vivere more Chriſtiano, ut firmavi *in tit.* 146. *ad Interr.* 14. De tali dubio videri poſſunt Cajetanus *in Summ. verb. Abſolutio, verſ. circa appoſitionem conditionalem* Armilla *verb. Abſolutio n.*6. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 3. Em. Sà

verb.

verb. Abſolutio n. 11. & P.Campionus *in Inſtruc. prò ordin. cap.* 40. *num.* 22. At notandum eſt, opus non eſſe, quòd conditio, quando licitè poteſt apponi, & ne probabili irritationis periculo exponatur Sacramentum) verbis exprimatur, nam ſufficit, ut ſiſtat in mente, prout de communi breviter docui *in tit.* 5. *de Abſolut à peccatis ad Int.* 5. & docet Diana *par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 55.

Quær. 2. An habens caſum reſervatum, & occaſione alicujus negotii, aut feſtivitatis eò appellans ubi non eſt reſervatus, validè abſolvi poſſit? Et quid, ſi dictus caſus habeat annexam excommunicationem?

Reſp. Si talis pœnitens in fraudem reſervationis, & declinandi judicium ſui Ordinarii id non faciat, utique poteſt à peccato reſervato abſolvi, ut patet *ex Conſtit. Clem. X. quæſt. incipit ſuperna*, & ego alibi dixi, & docent P.Capionus *in ſua Inſtruct. Ordin. c.* 40. *num.* 38. Fagnan. *in c. Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſ. n.* 73. *& ſeq.* quos refert, & ſequitur P. Auguſtin. Matthæuccius *in Caut. Confeſs. lib.* 1. *cap.* 8. *prop.* 12. *num.* 5. Si verò pœnitens malitiosè diſcedat à ſua Diœceſi, in qua caſus eſt reſervatus, & tendat ad Confeſſarium alterius Diœceſis, non poteſt validè abſolvi, etiamſi talis caſus ibi non ſit reſervatus. Declaravit Sac. Cardinalium Congreg. *die* 19. *Novemb. anno* 1616. teſte Zabellio *in Reper. mor. verb. caſus reſervati n.* 26. Verùm ſi caſus habeat excommunicationem annexam, à nullo Confeſſario poteſt abſolvi ſine Ordinarii penitentis facultate: quia Ordinarius, propter cauſam in ſua Diœceſi inceptam, jus ſemper habet in excommunicatum privativè quoad alios. Ità juribus cit. reſolvit idem Matthæuccius *loco cit. ſub num.* 7. & rectè quidem: nam eſt diverſa ratio de caſibus reſervatis, ac de reſervatione cenſuræ, & à diverſis non valet illatio *ex l. Papinianus ff. de minor* Et in facti cótingentia, ſic etiam pluribus rationibus, & auctoritatibus rectè reſpondit Reverendiſs. P. D. Joann. Maria Magnonus Abbas meritiſſimus Congreg. Canonicorum Regularium Lateranenſium, Vir eximiæ literaturæ, & morum integritate ornatiſſimus, cui fateor me plurimum debere, ac vidi ejus eruditiſſimum conſultum, quod à Viris doctis nunquam ſatis fuit laudatum.

TITULUS CCXXIII.

De Validitate Beneficiorum.

Vide tit. 6. *de Abſolut. à reſer. ad quæſ.* 2.

2136 Inter. 1. Præſentatio, vel collatio Beneficii Eccleſiaſtici, facta excommunicato, eſt ne valida?

Reſp. Communis ſententia docet, eſſe invalidam, quamvis ſit excommunicatus toleratus ab Eccleſia, ut latè probat Bonac. *de cenſur. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 4. §. 1. *num.* 1. & alii ibidē ab eo relati, & *num.* 5. aſſerit obtinentem Beneficium, vel penſionem tituli Clericalis in excommunicatione, non poſſe fructus percipere. Vide etiam Dianam *par.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 99. ubi more ſuo, pro utraque parte Doctores adducit. Sed à communi ſententia nè diſcedas, ſi non vis errare: favet huic noſtræ ſententiæ Toletus *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 2. *&* 12. Undè tenetur petere abſolutionem ab excommunicatione, & ea obtenta curare, ut beneficium ſibi denuò conferatur ab eo, ad quem pertinet illius beneficii collatio, Bonac. *ubi ſuprà num.* 11.

2137 Inter. 2. Titius tempore Collationis Beneficii non erat excommunicatus, ſed craſtina die tempore acceptionis, incidit in excommunicationem: acceptat ne validè tale Beneficium?

Reſp. Pluribus relatis affirmat Bonac. *loco proximè cit. num.* 9. Et ratio eſt: quia Jura ſolùm irritant collationem, & electionem Beneficii, non verò acceptationem, ac proindè acceptatio valida eſt, nam cum verſemur

in

in materia odioſa, extendi non debet ad caſus non expreſſos in Jure. Vide Dianam *par.*4. *tract.*4.*reſol.*56. & Toletum *lib.* 1. *cap.* 13. *ſub num.* 4. *propè finem.* Itaque dicendum eſt poſſe acceptare beneficium ſibi ante excommunicationem collatum, & poſt abſolutionem licitè poſſidere, ut docet Em. Sà *verb. excommunicatio ſub num.* 28.

2138 Inter. 3. Ignorans ſe eſſe excõmunicatum, recipit ne valide beneficium?

Reſp. Doctores communitèr docent, quòd invalidè recipiat beneficiũ, teſte Bonac. *ubi ſuprà num.* 2. idem tenet Toletus *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 4. Emm. Sà *verb. Excommunicatio n.* 28. licèt oppoſitum ſentiant quidam apud Dianam *par.*5. *tract.* 9. *reſol.* 99. *verſ. Notandum eſt etiàm, propè finem reſol.* tamen non eſt recedendum à communi ſententia. Et ratio noſtra eſt: quià, quamvis ignorantia invincibilis excuſet à nova culpa, à nova pœna, & à nova cenſura; non tamen facit actum validum, qui aliàs erat invalidus; nam quod eſt invalidum à principio, tractu temporis non convaleſcit. Vide *cap. Apoſtolicæ, de Cler. excomm.* Bonac. *loco cit.* & Toletum *ibidem.* Itàq; dicendum eſt, quòd quando advertit ſe eſſe excommunicatum debeat procedere, ac ſi nulla fuerit ipſi facta collatio, niſi diſpenſetur.

2139 Inter. 4. Collatio Beneficii, quod Epiſcopus contulit cuidam Clerico alioquin idoneo ad Beneficiũ, ſed affecto aliquibus defectibus, quos ſi Epiſcopus cognoviſſet, non ei beneficium contuliſſet, debetne cenſeri valida?

Reſp. Validam cenſendam eſſe puto, quià cauſa finalis collationis Beneficii eſt idoneitas, & Epiſcopus voluntariè confert Beneficium ob illam cauſam finalem, quæ revera ſubſiſtit, & cum collatio beneficii facta fuerit abſolutè abſque conditione non obſtat habitualis voluntas non conferendi beneficium, ſi Epiſcopus cognoviſſet vitia Clerici; quia illa habitualis voluntas non facit diſpoſitionem conditionis, cum ſubſiſtat cauſa finalis, & motiva; aliàs omnes ferè traditiones, & contractus vitiarentur, nec ullus eſſet abſolutus, ſed omnes conditionales, cum ferè ſemper ignorarentur, quibus cognitis celebratus non fuiſſet. Ità ex Leſſio, Sanchez, Trullench. & Facundez. reſolvit Diana *par.*8. *tract.*6. *reſ.*89. *verſ. Hinc infertur.* Vide Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.*8. *ſect.*1. *num.*12.

2140 Inter. 5. Collatio Beneficii, aut Eccleſiaſticæ juriſdictionis facta non habenti ſaltem primam tonſuram: eſtne valida?

Reſp. Minimè valida cenſeri poteſt, niſi ex ſpeciali Summi Pontificis diſpenſatione. Toletus *lib.* 5. *cap.*79. Em. Sà. *verb. Beneficium num.* 32. & alii communiter. Habetur *ex cap. cum adeo de reſcrip.* Vide *tit. de Beneficiariis, & Beneficiis Eccleſiaſticis, ad Inter.* 3. *ſuprà in tit.* 20.

TITULUS CCXXIV.

De Validitate Confeſſionis.

*Vide tit. de mem. pec. Int.*1. *tit. de Regul. &c. Int.*108.111.112.

2141 INter. 1. Si aliquis ex negligentia, & ignorantia culpabili oblitus eſt quorundam mortalium, ut ſi multis peccatis, & variis negotiis irretitus cõſcientiæ ſuæ latebras accuratè non perquiſivit, & tamen in animo habet facere integram confeſſionem: eſtne reverà valida talis confeſſio, vel debet iterari?

Reſp. Pro parte affirmativa ſunt plures Doctores, ut Victoria *in Sum. de Confeſſione num.* 147. Nugnus apud Dianam *par.*2. *tract.*17. *reſ.* 31. Henriquez *in Sum. lib.*5. *c.*11. *nu.*1. quem refert Diana *par.*3. *tr.* 4 *reſol.*65. Gabriel à S. Vinc. *de Sac. Pœnit. par.* 3. *diſp.*6. *qu.* 1. *fol. mihi* 234. & alii. Dicunt enim, quòd licet pœnitens ex negligentia, & ignorantia mortaliter culpa-

pa-

Digitized by Google

pabili non adhibuerit ſufficientem diligentiam, ſcilicet quanta neceſſaria erat ad memoriæ revocanda peccata, ut integrè confiteatur: tamen dummodò dicta negligentia non fuerit craſſa, ſupina, ſeù affectata, & bona fide putet ſe eſſe ſufficienter diſpoſitũ, quoad ſubſtantiam valida ſit ejus confeſſio, nec iteranda, quia eſt confeſſio valida, ſed informis; Alios pro hac ſententia citat Cutillus *in Append. ad pract.* 4. Jacobi Mancini *dub.* 5. Sed oppoſitum cenſet Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 6. *pun.* 5. *num.* 4. Joan. Baptiſta Gonet *tom.* 5. *de Sac. Pœnit. diſp.* 10. *art.* 1. §. 2. *n.* 6. Et hoc mihi magis placet: quia Sacramentum pœnitentiæ non poteſt eſſe validum cum actuali peccato mortali, ultra quod, ut ait ipſe Gonet, integritas formalis confeſſionis eſt de ſubſtãtĩa Sac. Pœnit. ut omnes fatentur, unde ſi ignorantia eſt vincibilis, & mortalitèr culpabilis, confeſſio non erit integra formalitèr, & conſequenter Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt habere quidquid ad ejus ſubſtantiam requiritur, ideòque invalidũ erit. Hæc opinio mihi magis probatur, quià puto ſolùm ignorantiam invincibilem, quæ culpa caret, reddere poſſe Sacramentum validum, & informe. Vide *in tit.* 85. *de Examine conſcientiæ reſponſiones ad Inter.* 1. *&* 2. Verùm ſententia affirmativa, eſt etiam probabilis.

2142 Inter. 2. Confeſſio in quibus caſibus eſt valida, licèt integra non ſit facta materialitèr?

Reſp. Multi ſunt caſus, in quibus Confeſſio fieri poteſt validè formalitèr, & non materialitèr, nempè de omnibus peccatis commiſſis. Primus eſt, quando quis omnia peccata explicare nequit, quià aut eſt mutus, aut ſurdus, balbutientis linguæ, aut ignoti idiomatis. Secundò, ſi inter confitendum, periculum ſit, ne pœnitens moriatur, tunc etiam poteſt abſolvi, licèt poſteà, ſi ſupervivat, debeat omnia peccata aperire, & iterùm abſolvi. Tertio, tempore peſtis, naufragii periculoſi, prælii, ſi Confeſſarius integras multorum Confeſſiones non poteſt audire, poteſt ſimul confitentes audire, & abſolvere: extra tamen neceſſitatem, grave eſſet peccatum Sacerdotis plurimum ſimùl Confeſſiones audire. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 20. *ſub num.* 2. Quarto, quando quis habet caſus reſervatos, & urget neceſſitas communicandi, & adire non poteſt Superiorem, tunc dicunt aliqui poſse ſolùm non reſervata confiteri, quod ego tamen non admitto prout dixi *in tit.* 34. *De celeb. Miſſæ, ad Inter.* 7. *& in titulo* 194. *de Sacramento Euchar. ad Inter.* 5. nam tenetur confiteri omnia, tàm reſervata, quàm non reſervata, & directè abſolvitur à non reſervatis, & indirectè à reſervatis. Quintus caſus eſt, quando neceſſitas urget confitendi cum aliquo Confeſsario, cui ſit grave periculum Animæ, corporis, famæ, aut furtunarum proprio, vel alieno, peccatum aliquod confiteri: tunc enim eo prætermiſſo, reliqua explicare tenetur, & abſolutionem recipere. Verum eſt tamen, quod in his, & ſimilibus caſibus, in quibus licitè dimidiari poteſt Confeſſio, tenetur pœnitens ceſſante cauſa, & ſublato periculo cõfiteri ea peccata non confeſſa: ſed non tenetur quam primum confiteri, ſed quando commodè poteſt, dummodò non ſit Sacerdos, juxtà ea quæ dixi ſupra *in tit.* 130. *Int.* 5. Vide Dian. *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 131. *& par.* 5. *tract.* 3. *reſolut.* 74. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 4. *num.* 1. *& ſeqq. ad Inter.* 7. *ſuprà in tit.* 44. *de Confeſs.* Sacramentali.

2143 Inter. 3. Poteſtne quis validè, ac licitè præſenti Sacerdoti ſua peccata per ſcriptum confiteri, ſcilicèt tradendo illi ſua peccata ſcripta, & ab eo præſente abſolvi?

Reſp. Dico primo: Confeſſionem Sacramentalem nullo modo fieri poſſe, niſi Confeſſario præſente, & ab eo præſente abſolvi, & oppoſitum veluti teme-

temerarium, & ſcandaloſum, meritò reprobarum fuiſſe a Clem. VIII. anno 1602. vide Cabrinum *de caſ. reſeru. par.* 1. *reſol.* 123. *verſ. Nunquam tamèn.* Dico ſecundo: quòd Confeſſio fieri debeat ore proprio, ex inſtitutione Eccleſiæ, nàm in Conc. Floren. in Decreto Eugenii declaratum fuit materiam proximam Sac. Pœnitentiæ eſſe Confeſſionem oris. Vide Suarez *to.* 4. *de pœnit. diſput.* 21. *ſect.* 3. *ſub num.* 1. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 2. §. 2. *ſub num.* 25. *in fine*, & eſt communis ſententia. Dico tertio non eſſe de neceſſitate Sacramenti propriis verbis confiteri, quià peccata poſſunt quidem ſufficienter manifeſtari per nutus, ſigna & per ſcriptum, nam, ut docet S. Thomas, teſte Sylveſtro *verb. Confeſſio ſub num.* 16. de neceſſitate Sacramenti eſt, quòd quis ſua peccata manifeſtet: ſed quòd fiat verbo non eſt de neceſſitate Sacramenti, ut aſſerit etiàm Bonacina *ubi ſuprà*, & alii communiter; ideò per Confeſſionẽ oris intelligitur præſentia pœnitentis confitentis coram Sacerdote: ut docet idem Bonac. *loco ſupracit. num.* 25. *in fine*, qui ſatis reſpondet ad id, quod obiicitur de Conc. Florentino. Concludendum eſt itaque: non poſſe quem licitè, ſine rationabili cauſa mutare conſuetudinem Eccleſiæ de confitendo peccata proprio ore, aliàs peccaret mortalitèr ſecundùm quoſdam, quià dicta mutatio eſt gravis, & in re gravi: tamèn quando adeſt aliqua juſta cauſa, conceduht DD. id poſſe fieri, ſcilicet dando peccata ſcripta confeſſario præſenti, qui legat, annuente pœnitente, atque expreſſe de eis ſe accuſante. Ita docent Villalobos *tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 31. *num.* 1. apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 127. & *in Sum. verb. confeſſionis modus num.* 16. Navar. *in Man. cap.* 21. *n.* 98. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 6. *nu.* 5. Em. Sà *verb. confeſſio num.* 15. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 6. *num.* 3. Alloza *verb. Abſolutio diſp.* 5. *ſect.* 1. *num.* 6. Chaves *in Summa Victoriæ*, ubi *de confeſſione n.* 160. & alii apud ipſos. Unde, ſi quis in dicendis peccatis magnum pudorem ſentiret, juſtam haberet cauſam ſcribendi peccata, & ſic ſcripta præſenti Sacerdoti, & ea legenti confiteri, maximè ſi eſſet puella nimis verecunda. Ità rradunt Canus. Valentia, Ricardus, Angelus, & alii, quos ſequitur Em. Sà *ubi ſupra in Additione*, & ità etiam tenent Layman, Bonac. Diana, Alloza, & alii *locis cit.* ſupra: quidquid in contrarium dicat Bontempius *in Flaſc. Flor. moral. tract.* 10. *de Sac. pœnit. tit.* 12. *num.* 106. *Vide tit.* 44. *de Confeſſione Sacramentali ad Inter.* 41.

2144 Inter. 4. Eſtne valida confeſſio, ſi Pœnitens per litteras peccata ſua traſmittat ad confeſſarium, deinde in præſentia abſolvatur?

Reſp. Si penitens in præſentia ejuſdem Confeſſarii dicat, ſe de omnibus illis peccatis accuſare, & ab eodem Confeſſario abſolutionem obtineat in præſentia, dicit Bonac. *de Sacr. diſ.* 5 *quæſt.* 4. *pun.* 5. *num.* 2. eſſe validam, quia tam abſolutio, quàm confeſſio cenſetur in preſentia Pœnitentis, & Confeſſarii fieri, ità ut nil aliud deſiderari poſſit ad ejus validitatem, dum Pœnitens, cum dolore, integrè ſe accuſet de omnibus peccatis ſuis, & pro hac ſententia citat Nugnum, Petigianum, & alios, & ego eam probabilem puto per ea, quæ dixi *ad Inter. antecedentem*, & *in tit.* 44. *de Confeſſ. Sacramentali ad Inter.* 41. & 42. Vide Dianam *par.* 11. *tract.* 7. *reſ.* 30.

2145 Inter. 5. Confeſſio facta Sacerdoti ingnoranti ea, quæ communitèr ſcire tenetur, eſtne valida, vel debet iterari apud alium?

Reſp. Si pœnitens ignorantiam dicti Confeſſarii neſcit, & bona fide confeſſus ſit, cum eo, eſt valida, & conſequenter non repetenda, & pro hac ſententia, inter alios à Valer. *in Differ. utr. fori verb. nullitas, differ.* 6. *num.* 1. citantur D. Thom. & ita quoque docent Sylveſt. *verb. Confeſſio* 1.

Digitized by Google

num. 6. Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 69. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 3. *num.* 14. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 121. *& par.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 21. ubi plures pro hac citat ſententia. Vide, quod dixi *in tit.* 222. *de Validitate Abſolutionis, ad Inter.* 6. & hoc puto certum, niſi Confeſſarius eſſet notabiliter ignorans, neſciens diſcernere inter mortale, & veniale, & quod v. g. juramentum falſum, vel vendicare ſe de injuria accepta, non ſint peccata: rarò tamèn contingit talis Sacerdos Confeſſarius prorſus ignarus, & quod non ſciat communia, ſcilicet homicidium, furtum, adulterium, &c. eſſe peccata mortalia Non oportet igitur formare novos ſcrupolos, ut benè docet Victoria *in Sum. ubi de Confeſſ. num.* 155. Bonac. *ubi ſuprà & alii*.

2146. Inter. 6. Confeſſio facta cum complice peccati: eſtne valida?

Reſp. Eſt valida, ſed non licita, niſi urgeat neceſſitas: & ſi eſt caſus reſervatus, omninò invalida erit. Vide *in tit.* 41. *de Concubinariis, & Concubinatu ad Inter.* 6. *& in tit.* 207. *de ſociis criminis, ad Inter.* 2. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 15. 16.

2147 Inter. 7. Confeſſio facta cùm Cõfeſſario excommunicato, eſtne valida?

Reſp. Si Confeſſarius fuit nominatim denunciatus excommunicatus, vel fuerit notorius, & publicus Clerici percuſſor, abſolutio (ſecluſo periculo mortis) ab eo impenſa, non tenet: imò mortaliter peccat abſolvendo, & etiam ipſe pœnitens, ſi ſcienter hoc fecerit. Verùm, ſi neutro iſtorum modorum fuerit excommunicatus, licèt alias omnibus notus eſſet, abſolutio quidem teneret, nam ſic ab Eccleſia toleratur, ut ejus actus ſint legitimi, & teneant; deducitur ex Concil. Conſtantienſi. Navar. *in Man. cap.* 9. *ſub num.* 7. & eſt ſententia communis, ſed vide ea, quæ dicit Diana *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 83. per totam, ubi pulchra invenies, Vide etiam *in tit.* 42. *de Confeſſariis, ad Inter.* 6. *&* 7.

2148 Inter. 8. Eſtne valida confeſſio facta Confeſſario excommunicato vitando, ſi Confeſſio fiat in eo loco, ubi ignoratur Confeſſarium eſſe excommunicatum?

Reſp. Valida eſt, ſi fiat in eo loco, ubi ignoratur talem Confeſſarium fuiſſe nominatim denunciatum excommunicatum, vel fuiſſe publicum Clerici percuſſorem, poſito communi errore, & titulo colorato; tunc enim Eccleſia ſupplet juriſdictionem, qua caret excommunicatus, denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor. Verùm notandum eſt: quod ſi pœnitens ſciret Confeſſarium eſſe excommunicatum vitandum, & nihilominus vellet cum ipſo confiteri, ejus confeſſio nulla foret, & invalida abſolutio, non defectu juriſdictionis, cum Sacerdos illam habeat per errorem communem cum titulo colorato: ſed quia talis pœnitens peccat mortaliter participando in Divinis, abſque neceſſitate, vel alio juſto titulo, cùm excommunicato vitando: undè quia ponit obicem ad abſolutionem, & ad gratiam per participationē in Divinis cum excommunicato vitãdo, ideò invalidè abſolveretur, niſi eum excuſaret neceſſitas, aut alius juſtus titulus, ut rectè docet Bonac. *de Matrim. diſp.* 2. *pun.* 8. *n.* 31. *& ſeqq.* & eſt communis ſententia. Vide, quod dixi *ad Inter. antecedentem*.

2149 Inter. 9. Confeſſio facta cũ Confeſſario minori Excõmunicatione ligato, eſtne valida, vel debet iterari?

Reſp. Non debet iterari; quia valida cenſetur, ut apertè patet *ex cap. ſi celebrat, de cler. excommunicat.* Verba enim textus ſunt hæc: *Peccat enim conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed ab eo collata, virtuti non carent effectu*: Et quamvis peccet excommunicatus minori excommunicatione, Sacramẽta aliis miniſtrando, tamen non peccat mortaliter, ſed venialiter tantùm, & ratio eſt, quia, ut obſervat Philip. Faber apud Dianam *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 45. Pontifex *in Canon. cit.* dicit, quòd

quòd ſi ligatus excommunicatione minori, celebret *graviter peccat*: ſed loquens de collatione activa Sacramentorum, dicit, quòd peccat, nec apponit illam particulam, *graviter*; Ergò videtur peccare ſolùm venialiter: licèt Dian. *ubi ſupra reſ.* 3. & 45. & Bonac. *de cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 3. *num.* 4. dicant, nec venialiter peccare, quod aliis non placet, quia peccat nõ ſolùm quoad Deum, ſed quoad Eccleſiam, cum contra ejuſdem prohibitionem agat, prout patet *ex tex. ſupracit.* Verùm Lezana *tom.* 2. *verb. Excom. n.* 20. adhæret opinioni Dianæ, & Bonacinæ; & ego ſimiliter dico, peccare mortaliter, non quatenus confert Sacramentũ, ſed quatenus recipit illud. Sed vide Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 56. qui pluribus citatis, reſolvit, ut dixi ſupra, ſcilicet peccare venialiter in dicto caſu. Vide etiam *in tit.* 88. *de excommunic. minori, ad Inter.* 3. & 6.

2150 Inter. 10. Confeſſio facta Confeſſario irregulari, eſtne valida?

Reſp. Neceſſariò, in tali dubio, adhibenda eſt diſtinctio, vel eſt nominatim denunciatus irregularis, vel non; ſi eſt nominatim denunciatus, confeſſio valida non eſt, nàm ſicut confeſſio facta nominatim denunciato excõmunicato, vel ſuſpenſo ab Ordine non eſt valida, itá invalida eſt confeſſio facta irregulari nominatim denunciato, cum ſit evitandus ſicut excommunicatus, ultra quòd, pœnitens ponit obicem ad gratiam cooperando peccato Sacerdotis exercẽtis functionem Ordinis contra pœnam irregularitatis. Si verò Confeſſarius non eſt nominatim denunciatus, confeſſio facta cum eo eſt valida, quia non eſt privatus juriſdictione, nec pœnitens peccat communicando cum illo; quia cum non ſit nominatim denunciatus irregularis, non eſt evitandus, ac proinde valide abſolvit. Itá, ex Avila, & Suarez docet Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *pun.* 4. *num.* 19. & teſtatur de communi. Poteſt tamen pœnitens peccare cooperando peccato Confeſſarii irregularis, ſi ſine ſufficienti neceſſitate confiteatur cũ illo.

2151 Inter. 11. Si pœnitens ignorat Confeſſariũ eſſe irregularem denunciatum, & confitetur illi, eſtne valida talis confeſſio?

Reſp. Bonac. *loco cit. num.* 20. aſſerit validam eſſe, quia pœnitens non peccat participando cum irregulari, quem ignorat eſſe talem, & confeſſarius licèt ſit irregularis denunciatus, tamen non amiſit poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis; nam irregularitas nõ tollit juriſdictionem, ſicut tollit excõmunicatio, ut patet ex definitione irregularitatis, & etiam quia irregularis obtinens diſpenſationem ſuper irregularitate, non indiget nova conceſſione juriſdictionis, conſequenter valide abſolvere poteſt, quamquã mortaliter peccet exercens ordinis functionem cum irregularitate: ſed pœnitens ignarus impedimenti, quòd ſe tenet ex parte Confeſſarii non peccat, & valide recipit abſolutionem ab eo, dummodò ſit diſpoſitus ad illam recipiendam, ut ſuppono.

2152 Inter. 12. Eſtne valida confeſſio quæ fit ei, qui vere non eſt Sacerdos, ſed errore communi, & titulo colorato habetur pro vero Sacerdote, & confeſſario?

Reſp. Non eſt valida, quia adeſt impedimentum Juris divini, quod ab Eccleſia ſuppleri non poteſt, cum facultas abſolvendi de Jure divino cõpetat dũtaxat veris Sacerdotibus. Bonac. *de Matrim. diſp.* 2. *pun.* 8. *n.* 36. Nicolius *in Floſ. verb. Confeſſarius num.* 5. & alii communiter. Vide, quod dixi *in tit.* 222. *de Validitat. Abſolut. ad Inter.* 4.

2153 Inter. 13. Qui confitetur cum Sacerdote, quem ſcit eſſe in ſtatu peccati mortalis, & habet commoditatem confitendi cum alio: peccatne mortaliter, & eſtne valida talis confeſſio?

Reſp Dicunt aliqui: quòd nunquam ſit licitum petere Sacramenta à malo Miniſtro, nàm eſſet accedere cum obice, inducendo confeſſarium

ad peccatum mortale, nempè ad indignam adminiſtrationem Sacramenti, & conſequenter, ſi pœnitens confitetur cum Confeſſario, quem ſcit eſſe in peccato mortali, peccat mortaliter, & invalida erit confeſſio, maximè ſi abſque neceſſitate confiteatur cum illo. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 1. *q.* 6. *pun.* 5. *num.* 2. Alii tamen putant, quod ſi Sacerdos, ſive proprius, ſive alienus ſit paratus, & non ſit privatus juriſdictione, ſcilicet impeditus per aliquam cenſuram, liceat exigere, & inducere, petere ab illo Sacramentum pœnitentiæ: nàm dicunt, non eſſe peccatum mortale, ſed veniale tantùm, niſi Confeſſarius eſſet tàm publicus peccator, ut confeſſio illi facta, eſſet ſcandalum allatura. Doctores pro utraque parte refert Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 59. *& par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 21. & ipſe ſecundam ſententiam amplectitur cum Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 8. *num.* 23. & Soto *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 6. Suarez *in* 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 18. *ſect.* 2. & aliis. Quæ reverà probabilitate non caret: Sed prima mihi videtur ſequenda in praxi niſi pœnitens probabiliter credere poſſit Confeſſarium per actum contritionis ſe diſpoſuiſſe ad Sacramentum pœnitentiæ licite miniſtrandum. Vide Sylv. *verb. Confeſſor* 3. *ſub num.* 4. & etiam Dianam *par.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 4.

2154 Inter. 14. Confeſſio facta ſimplici Sacerdoti, ab Ordinario non approbato: eſtne valida, vel neceſſariò debet iterari?

Reſp. Nullo modo poteſt dici eſſe validam, conſequenter, cognito errore, omninò eſt iteranda. Et hoc etiam procedit, quamvis pœnitens bona fide confiteretur cum tali Sacerdote non approbato: nam Greg. XV. in declar. 12. ſuper Bullam latam Nonis Februarii 1622. quæ incipit *Inſerutabili &c.* ſtatuit: Confeſſariis non approbatis confeſſiones factas, eſſe nullas, ut docet Zambell. *in Rep. Moral. verb. Confeſſor quoad auctoritatem*, & Franciſ. Zipæus *in conſul. canon. lib.* 5. *de pænit. & remiſ. conſ.* 2. & tandem Theſaurus *de pœnis par.* 2. *verb. Abſolutio Sacramen. cap.* 2. ita clare loquitur, ſcilicèt: *Etiamſi Pœnitens, bona fide confiteatur non approbato, ſeù alieno Sacerdoti; ſine licentia competente, vel Sacerdos illum bona fide audiat, & abſolvat, non perficitur Sacramentum, cum hæc irritatio actus, non ſit pœnalis, ſed definitiva, & ex natura rei ab defectum Juriſdictionis, ſine qua hoc Sacramentum nullatenus perfici poteſt*: Vide Theſa. *loco cit.* Suarez. *tom.* 4. *diſp.* 34. *ſect.* 2. Dianâ *par.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 52. & me ipſum *in Reſponſione ad Inter. ſequentem, ubi agam* de tali dubio. Vide etiam Tolet. *lib.* 3. *cap.* 10. *ſub num.* 2. & Armillam *verb. Abſolutio ſub num.* 31.

2155 Inter. 15. Confeſſio Sacramentalis facta cum Confeſſario, qui cum falſa licentia Ordinarii excipit aliorũ confeſſiones: eſtne valida, aut debet iterari?

Reſp. Aliqui dicunt eſſe validam, ac proinde non reiterandum, quia putant, quod ex errore communi conferatur juriſdictio, etiam ſine titulò colorato à legitimo poſſeſſore, & itâ tenent Molfeſius, & Baſilius, Pontius quibus ſubſcribit Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 122. *& par.* 8. *tract.* 1. *reſ.* 64. Tamen ut dixi *in tit.* 222. *de Validit. Abſolutionis, ad Inter.* 5. ubi late de tali dubio egi. Sententia contraria, quam ſequor, eſt magis communis, immò in praxi tenenda, nam non ſufficit ſolum communis error, ſine titulo, à legitimo Superiore collato, ut docent, præter DD. quos citavi, Homobonus, Reginaldus, & Megala apud Dianam, *ubi ſupra in princ. reſolut.* unde, quia in caſu, de quo loquimur, Confeſſarius non habet titulum à legitimo Superiore; ideò, ut intrutſus invalide abſolvit, ac per conſequens cognito errore, reiterandæ ſunt confeſſiones factæ cum eo; ut rectè tradunt Molfeſius Coriolan; & Valerius teſte Barboſa *in Colect. ad Tridentinum ſeſſ.* 23. *de reform.*

form. cap. 15. *num.* 5. licet ob bonam fidem, qui ei ignoranrer Confeſſus eſt, apud Deum ſit abſolutus, ſi vere erat contritus, addo ego. Vide Barb. *loco citato*, & Dianam *par. 9. tract. 9. reſ. 29. & par. 11. tract. 4. reſ. 16. verſ. ſed his &c.*

2256 Inter. 16. Sacerdotes Regulares non approbati à ſuo Prælato, poſſuntne ſola Epiſcopi authoritate, confeſſiones ſæcularium audire, & valide conficere Sacramentum? & quid juris ſit, ſi id faceret aliquis hujus noſtræ Congreg. Sacerdos?

Reſp. Eſt quidem gravis quæſtio inter DD. an valide confeſſiones exciperent, ideo hic breviter ſingulorum opiniones referam, & primo dico, quod ſi loquatur de Sacerdotibus Ordinis Prædicatorum, certum eſt, invalide confeſſiones excipere nec conficere Sacramentum ob Breve Julii III. conceſſum Generali ejuſdem Ordinis, quo revocat licentias, & immunitates conceſſas Religioſis prædictis, quos ipſe Ordinis Generalis revocandas dijudicaverit, undecumque emanatas. Miranda *in man. tom. 1. quæſt.* 45. *art.* 12. Lezana *tom. 1. par. cap. 19. nu.* 12. Si vero fiat ſermo de Sacerdotibus Ordinis Minorum, excommunicationem incurrerent, ut docet Alloza *loco mox citando*, & Caſſianus à S. Elia *in Arbor Opin. moral. verb. Abſolutio* §. 28. *prope finem*, qui citat Villalobos. In aliis Ordinibus autem, ubi non irritantur confeſſiones, aut tales confeſſarii non reprobantur, ſuſpenduntur, vel coarctantur, quidam tenent valide conficere Sacramentum, etiamſi non approbati à ſuis Superioribus. Sylveſt. *verb. Confeſſor 1. quæſt.* 5. Miranda *loco cit.* Rodericus *in compend. qq. Regular. reſ.* 31. *num.* 12. Villalobos *to. 1. tract. 19. diffic. 50. num.* 4. Conradus *quæſito 66. verſ. ad ultimum*, Lezana *ubi ſupra, & tom. 2. verb. Confeſſarius num.* 2. Diana *par. 1. tract. 11. reſ. 13. & par. 5. tract. 12. reſol.* 49. Alloza *verb. Abſolutio diſp. 5. ſect. 1. num.* 18, *& verb. Confeſſio ſect. 9. num. 12. & ſeqq.* Euſtachius à S. Ubaldo, *quodlib. 13. dub. 3. num.* 145. & alii penes ipſos; Et horum rario eſt: quia in dicto caſu habent poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis, cum juriſdictio non promaneat à Prælato Regulari, ſed ab Epiſcopo, & conſenſus Prælati Regularis non eſt conditio neceſſaria, ut confeſſio ſit valida, ſed ſolum, ut licitè fieri poſſit; Ita Diana *locis cit.* An vero mortaliter, aut venialiter tantùm ſuorum Superiorum, vel ipſis invitis, eſt problema. Molfeſius, & Megala apud Dianam *ubi ſupra reſ* 13. citata, dicunt: hoc eſſe determinandum ex ſtatutis, conſtitutionibus uniuſcujuſque Religionis, ut ſi obligant ſub mortali, mortaliter peccabunt dicti confeſſarii, ſi ſub veniali, venialiter ſolum peccabunt. Et ita tenent etiam Andreas, Mendo *Epitome opin. moral. verb. Regulares num.* 26. ubi præterea inquit, Regularem prohibitum à ſuo Superiore, dummodo ſit ab Ordinario approbatus, validè confeſſiones excipere, nam Superior illam juriſdictionem ſuſpendere nequit, ait ipſe: Ego tamen cum Bordono, & Paſſerino, quos citavi *in tit. 180. de Regularibus, ſeù Religioſis, ad Inter.* 112. probabilius eſſe puto, nec valide, nec licite poſſe Regulares contra voluntatem ſuorum Superiorum, aut ſine eorum licentia, & approbatione confeſſiones audire; deducitur enim *ex Clem. Dubium de ſepult.* §. *ſtatuimus* non poſſe Epiſcopum approbare Regularem ſine conſenſu, ſaltem interpretativo ſui Superioris; ſiquidem Religioſus, ut recte, & luculenter probant Bordonus, & Paſſerinus, eſt incapax juriſdictionis habendæ inſcio, vel inviro ſuo Prælato, & hoc ſane eſt probabilius, & tutius per ea, quæ ſupra dixi *in tit. 25. de Bullis, ad Inter.* 1. Quod autem noſtri Religioſi invalide audirent confeſſiones in dicto caſu: tenet noſter P. Euſtachius à S. Ubaldo *loco ſupra citato*, & hoc deducit ex noſtris Conſtitu-

ſtiturionibus *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. ubi habetur, quòd nullus Sacerdos, abſque licentia Vicarii Generalis, & Prioris confeſſiones alicujus audiat, ſecus per trienniũ ab hoc munere ſuſpenſus exiſtat; Et quia ſuſpenſus ipſo facto caret juriſdictione actuali, ſequitur invalidam eſſe abſolutionem ab eo impenſam. Sic inquit P. Euſtachius; Sed pace viri docti, hæc doctrina ſic abſolute prolata non placet; neceſſario enim erat adhibenda diſtinctio, vel eſt ſuſpenſus denunciatus, vel non, ſi eſt ſuſpenſus denunciatus, proculdubio juriſdictionis uſu caret, ſi autem non eſt denunciatus, & conſequenter ab Eccleſia toleratus, in dubio valide agit, quæ ſpectant ad juriſdictionem, ut docent Navar. *cap.* 27. *num.* 21. Moronus *Reſp* 76. *num.* 38. Bonac. *tom.* 1. *de cenſur. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 2. §. 8. *n.* 3. *& ſeq. & diſp.* 3. *pun.* 4. *num.* 3. *&* 7. Alloza *verb. ſuſpenſio ſect.* 1. *num.* 11. & alii communiter; habetur enim clare ex Extravag. Martini V. *Ad evitanda*, & quæ eſt Concilii Conſtantienſis, *ex cap. ad probandum de re judicata*, & tandem deducitur *ex l. Barbarius*, *ff. de officio Prætoris*, *& ex c.* 1. §. *verum* 3. *quæſt.* 7. Propterea Confeſſarius, licèt ſit excommunicatus, aut ſuſpenſus, dummodo non ſit denunciatus, ſemper valide abſolvit, prout, ex Suarez, Corneo Tannero, Diana, & aliis firmat Lezana *tom.* 2. *verb. Excommunicatio num.* 33. *& ſeqq. & verb. ſuſpenſio ſub num.* 14. & teſtatur de communi: idem docuit *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *num.* 13. etiam Cardenas *in Chriſ. Theol. diſſert.* 2. *num.* 453. Et ratio eſt: quia Eccleſia ſupplet juriſdictionis defectum, in favorem animæ pœnitentium. Diana *par.* 5. *tract.* 10. *reſ.* 11. Immo nec peccat, nec fit irregularis exercendo talem juriſdictionem, modo non ſe ſpontè ingerat. Diana eadem *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 83. & eſt communis ſententia. Ergo non omnis ſuſpenſus, juriſdictione actuali caret, ut dixit P. Euſtachius, alioquin vir doctus, ac meus magiſter, ſed is dumtaxat, qui eſt denunciatus ſpecialiter, ſeù nominatim. Vide quæ dixi *hoc tit. ad Int.* 7. *& ſuprà in tit.* 42. *de Confeſſariis, ad Int.* 6. *&* 7. Præterea immerito idem P. Euſtachius ſupponit, illam ſuſpenſionem eſſe cenſuram, cum revera non ſit propriè cenſura, ſed pura pœna, quia in ratione pœnæ inflicta principaliter eſt, non in emendationem, & medicinam. Eſt itaque pura pœna vindicativa, ſeù punitiva inobedientiæ, & non medicinalis, & præſervativa, quæ propriè cenſura dicitur, imponitur namque propter delictum præteritum, & ad illud puniendum, non vero, ut à contumacia recedatur, nec tollitur per abſolutionem, ſed elapſo triennio ceſſat abſque alia Judicis actione, & ſic dicitur ſuſpenſio purè pœnalis non autem medicinalis, quæ habet rationem cenſuræ. Vide quæ dixi *in tit.* 5. *de Abſolut. à peccatis, ad Int.* 13. Concludendum eſt igitur: quòd Religioſus noſter, qui ſervatis ſervãdis, non eſt approbatus in Religione pro excipiendis confeſſionibus Fratrum, & Sæcularium, invalide conficiat Sacramentum pœnitentiæ, quamvis ab Ordinario fuerit approbatus, & per triennium à munere confeſſarii, poſt ſententiam, remanet ſuſpenſus. Qui verò eſt approbatus, & habet licentiam à P. Vicario Generali, vel Provinciali valide abſolvat, nec illi pœnæ ſubjaceat, quamquam ſine conſenſu Prioris illa facultate utatur, ut in ſequenti reſponſ. firmabo. Vide quæ ſo ſuprà *in tit.* 182. *de Religionibus aliquibus particularibus ad Inter.* 4. præſertim in fine.

2157 Inter. 17. Sacerdotes hujus noſtræ Congregationis poſſune valide confeſſiones Fratrum, & ſæcularium audire, cum licentia dumtaxat Vicarii Generalis, vel Provincialis Religionis & Epiſcopi, vel neceſſa rio requiritur etiam licentia Prioris Conventus?

Reſp.

Reſp. Licèt facultas audiendi confeſſiones, quæ à P. Vicario Generali, vel Provinciali conceditur hujus noſtræ Congregationis Sacerdotibus, intelligatur quoad uſum, & exercitium, pendere à voluntate Prioris,ut decernunt Conſtitutiones *par.* 1. *cap.* 3. *n.* 3. tamen licentia, ſeù Prioris conſenſus, non cenſetur ſimpliciter neceſſarius, ita ut irritas reddat confeſſiones aliter factas; quia ſolùm ex æquitate, & honeſtate requiritur, ſicut quando Epiſcopus concedit facultatem audiendi confeſſiones,de licentia tamen Rectorum in Eccleſiis eorum, ſeù conſentiente Rectore Eccleſiæ, non cenſetur conditio, ſeù forma: quod ſi Parochus non conſenſerit invalidas reddet confeſſiones, quia tantùm connotat modū ad licitè excipiendas confeſſiones, ut rectè probat Bonac. *de Sac. diſput.* 5. *qu.* 7. *pun.* 4. §. 1. *num.* 17. & 18. Præterea confeſſio facta in domibus ſæcularium non eſt invalida, quamvis à Synodo Diœceſana id eſſet prohibitum, ut docet Diana *in Summ. verb. Confeſſionis modus ſub num.* 31. *par.* 8. *tr.* 7. *reſ.* 73. Ita dicendum eſt in caſu noſtro,propter eandem rationem. P. Vicarius Generalis, & Provincialis dumtaxat valent inſtituere confeſſarios, nec ullo modo competit Priori actio inſtituendi illos, ut latè probat heù noſter quondam P. Euſtachius à S. Ubaldo *quod lib.* 12. *dub.* 4. *ſub num.* 1219. & *quod lib.* 13. *dub.* 3. *num.* 1426. Ac proinde Confeſſarius habens facultatem à P. Vicario Generali,vel Provinciali, una cum Epiſcopi licentia, habet poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis, conſequenter validè excipit confeſſiones ſæcularium, & à fortiori noſtrorum Religioſorum, cum pro illis audiendis non ſit neceſſaria approbatio Ordinarii, ut docent DD. communiter: licentia autem Prioris requiritur ſolùm pro uſu, & exercitio, & debito honeſtatis, & ex congruentia, non neceſſitatis, ac per conſequens nō eſt neceſſaria ſimpliciter, cum confeſſarius ſine illa adhuc retineat juriſdictionem, ut per ſe patet. Nec relevat ſi dicatur, quòd conſtitutiones *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. mandant,ut nullus Sacerdos,abſque licentia Vicarii Generalis, & Prioris audire poſſit confeſſiones ſub pœna ſuſpenſionis, ipſo facto incurrenda per triennium à munere Cōfeſſarii; & qui ei confeſſus eſt graviori pœna puniatur.Non obſtat inquam, primò, quia licèt regularitèr diſpoſitio loquens generaliter, etiam quod eſt minimum,includere videatur juxtà *cap.* 2. *de appell.* fallit tamen, quando ratio, quæ militat in magno, non militat in parvo, & eſt Textus *in cap. Si queſtiones de Simon. & cap. Terrulas*, 22. *qu.* 2. Sed ratio, quæ militat in licentia ſupremi Prælati, non militat in licentia Prioris, nam illa requiritur ex neceſſitate, tamquam conditio ſine qua non, iſta verò ex congruentia,ſeù debito honeſtatis: ergo licentia Prioris,tamquam non ſimplicitèr neceſſaria, includi non debet in caſu noſtro. Secundo,quia etſi diſpoſitio copulativa utramque partem veram requirat, intelligitur tamen, niſi ad illius eſſentiam altera ſufficiat, ut habet *gloſ. in cap. ex parte de reſcript.* quàm latè exornat Fælinus *ibi à num.* 23. & refert Navar. *conſil.* 23. *de præbend.* Tertiò,diſpoſitio conſtitutionum,cum ſit pœnalis,non debet extendi, ſed potius reſtringenda eſt ad caſum, quo Confeſſarius nullam haberet licentiā à Vicario Generali, vel Provinciali: ergo pœna ordinaria non poteſt puniri, quia ratio legis, quæ duplicitèr apte intelligi poteſt, juxtà benignum intellectum accipi debet. *l. benignus, ff. de legibus*. Siquidem una pars copulativa dubia, per aliam partem declaratur,juxtà *l.* 1. *ff. de rebus dubiis.* Itaque dicendum eſt, quod tunc ſubjaceret dictæ pœnæ, quando abſque ulla licentia confeſſiones exciperet. Confirmatur aſſertum ex eo quod conſtitutiones eadem *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 3 dicunt, quod nullus licentia Vicarii

Ge-

Generalis utatur abſq; expreſſo Prioris conſenſu, nullam pœnam contrafacientibus imponunt. Item *par.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. ubi eſt ſermo de confeſſariis, & Concionatoribus decernunt conſtitutiones prædictæ ſic. *Nullus ſine licentia Vicarii Generalis concionari, aut Ordinariis ſe præſentare audeat, ſub pœna gravis culpæ, & interdictionis muneris*. Nec ullam de Prioris licentia faciunt mentionem, ex quo ſequitur, minimè neceſſariam eſſe ſimpliciter, ſed tantùm debito honeſtatis, & convenientiæ, ut ſupra dictum fuit, ac proindè talis confeſſarius non ſolùm validè excepit confeſſiones (etſi non licitè) ſed neque pœna ordinaria in conſtitutionibus ſupra relata puniri poterit, nec qui ei confeſſus eſt, ſubjacet pœnæ graviori prætaxatæ, quia non ponunt obicem Sacramento, nec quoad ſubſtantiam, ſunt traſgreſſores Conſtitutionum; Sed vide *Reſponſionem antecedentem*.

2158 Inter. 18. Sacerdotes hujus noſtræ Congreg. Diſcalceatorum S. Auguſtini, poſſuntne validè, liciteque confeſſiones audire, cum licentia dumtaxat P. Vicarii Generalis, vel Provincialis, licèt prius, juxtà diſpoſitionem Conſtitutionum Religionis, à Capitulo Conventus, quoad mores, & prudentiam, & à Priore, & Examinatoribus, quoad ſcientiam approbati non fuerint?

Num. 1. *Reſp.* De tali dubio interrogatus quid ſentiam, hic igitur clarè, atque ſincerè exponam. Non immerito quidem noſtræ Conſtitutiones, tàm in *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. quàm in *par.* 2. *cap.* 7. *nu.* 3. decernunt: quod antequam P. Vicarius Generalis alicui licentiam concedat Confeſſiones Fratrum audiendi, aut ad Confeſſiones Sæcularium audiendas ſe exponendi, per Priorem, & Examinatores coram Sacerdotibus, & Sacro Ordine inſignitis, rigidè examinetur, & quoad ſcientiam ab eis per ſecreta ſuffragia, & quoad mores, & prudentiam à toto Capitulo approbetur; Siquidem cumulata manu docent Scribentes, ſcientiam, prudentiam, & bonitatem eſſe conditiones neceſſarias pro confeſſionibus audiendis licitè. Rectè itaque mandant Conſtitutiones *loc. cit.* quòd *antequam* ad hujuſmodi munus aliquis aſſumatur, priùs examinari debeat, quoad ſcientiam, & reſpective, quoad mores, & prudentiam approbari, cujus autem approbationis Vicarius Generalis certior factus, licentiam in ſcriptis concedere valeat. Non aliter igitur ſe gerere debet Vicarius Generalis, vel Provincialis, quià talis licentia non concederetur legitime, ſcilicèt juris ordine ſervato; ideòque nec validè, nec licitè concedi poſſe puto: atq; ita breviter probo.

Num. 2. Poteſtas Prælatis eſt in ædificationem, & non in deſtructionem conceſſa, ut benè probat S. Th. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & concors Doctorum ſententia tenet; quapropter debent eſſe cuſtodes, & obſervatores conſtitutionum Religionis, non autem violatores, & deſtructores; ſed exponendo Sacerdotem, non ſervata forma conſtitutionum, in deſtructionem, & diſſipationem agerent: ergo nullo modo eis licet, quia debent zelo zelare, & non diſſipare.

Prætereà non poteſt inferior in lege Superioris diſpenſare, ut clamant jura *can. inferior*, 21. *diſt. cap. cum inferior, de major. & obed. Clem. ne Romani de elect. leg. fin. Cod. de leg. l. formam, Cod. de offic. Præfecti*. Undè cum Conſtitutiones Religionis, præſertim à Sede Apoſtolica confirmatæ, ut ſunt hæ, de quibus nunc loquimur, ſint leges Superiorum, nullatenus valebunt in illis inferiores Prælati diſpenſare, ac proindè, nec ad officium Confeſſarii aliquem non approbatum aſſumere, tum quia obſervantia conſtitutionum pertinet ad perfectionem, bonum commune, & complemētum Religionis. Tum etiam, quia Superiores non poſſunt diſpenſare ſuper conſtitutiones, niſi quantum eis

cis à conſtitutionibus ipſis,privilegio, vel à Jure permittitur. Tum denique, quia nec Vicarius Generalis poteſt auferre facultatem Capitularibus, Priori,& Examinatoribus à lege datam, nec derogare juri, eiſque præjudicare. *Argum. cap. ſuper eo de offic. deleg.* Itaque in poſſeſſione approbandi confeſſarios manutenendum eſſe Capitulum, & Examinatores Conventuum, videtur quidem juri conformius.

Num. 3. Non autem currit paritas de Vicario Generali Congregationis, ac de Epiſcopis, qui approbare poſſunt Confeſſarios,examine prætermiſſo, quià Tridentinum *ſeſſ.*25. *de refor. cap.*15. ſic diſponit. *Ab Epiſcopis per examen, ſi illi videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur.* Unde Epiſcopus ſciens, aut prudentet credens, aliquem eſſe idoneum, poteſt illum ad audiendas confeſſiones admittere, abſque examine: Conſtitutiones autem Religionis non ad libitum Vicarii Generalis id relinquunt, cum aliter diſponant; ſicque non currit paritas in utroque caſu, nec poteſt extendi per identitatem rationis, cum ſit omninò diverſa, & à diverſis non valet illatio; ergo &c. Ultra, quod diſpoſitio conſtitutionum in præſenti puncto videtur forma præſcripta, pro expoſitione ad confeſſiones audiendas ac proinde exactè ſervanda.

Num. 4. Accedit etiam, quòd limitata cauſa, limitatum producit effectum, ut dicitur *in leg. in agris, ff. de acquir. rerum dom. & in leg. cancellaverant de iis, quæ in Teſtam. deſ.* apud Manticam *deciſ.*232. *num.*9. Ideò cum auctoritas Vic. Generalis in hoc limitata ſit per Conſtitutiones Religionis, niſi limitatum non poteſt producere effectum, quod eſt,non poſſe ſine examine, & approbatione Capituli Conventus exponere aliquem ad excipiẽdas confeſſiones, nec validè, nec licitè, quia limites ſuæ facultatis excedens, non rectè ageret, ſed inficeret actum, dum ageret contra formam in Conſtitutionibus præſcriptam,ut mox oſtendam.

Num. 5. Siquidem quando lex requirit aliquid fieri ante actum ipſum, id requirit tanquam formam; & acta contra illam, ipſo jure ſunt nulla: habetur *ex leg. hoc jus porrectum, Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis,leg. cum hi, §. Si Prætor, ff. de tranſact. leg. hac conſultiſſima in princ. Cod. de Teſtam.* & Gloſ. *in cap. dudum de Elect.* Caſtren. *conſ.*71. apud Moronum *reſp.* 28. *n.* 55. Lezana *conſ.*10. *n.* 25. Quod autem ſupradicta approbatio Confeſſariorum,ſit pro forma in Conſtitutionibus appoſita,apud me eſt certiſſimum; attamen negari non poteſt,quòd illa clauſula *antequã,* ſive importet formam,ſive modum, vel conditionem, ſemper requirat, quòd adimpleantur ea,quibus adjungitur. Undè Barboſa *dictione* 33. *num.*8. inquit,quod dictio(*ante*) propriè ſumpta limitat, quòd illud cui adijcitur, debet intervenire, ſecus autem non aſſequitur effectum,& nullus cenſetur omninò. Et deducitur ex *cap. cum dilecta de reſcriptis*; imò ea forma, ſeù conditio non ſervata in parte, quantumvis minima totus actus corruit, ut in ſimili firmant jura, & Doctores, quos refert,& ſequitur Lezana *loc.cit. n.*16.

Num. 6. Nec obſtat,ſi dicatur,hoc eſſe verum, dum agitur de forma ſubſtantiali, non autem de accidentali, ut ſupponitur hæc, de qua in præſenti ſit ſermo. Nam reſpondetur, quòd in dubio,forma præſumitur ſubſtantialis,& non accidentalis, ut docent Doctores, quos dat, & ſequitur idem Lezana *ubi ſupra num.*19. quibus addo Bordonum *tom.*3. *reſ.* 100. *num.*6. P. Euſtachium à S. Ubaldo *quodlib.* 11. *dub.*9. *num.* 1097.& alios penes ipſos. Ultra quòd, forma ſubſtantialis nil aliud eſt,quam ordinata ſeries,rem deducens ad ſubſtantiam,ut poſt Baldum tradit Decius *in leg. hac conſultiſſima n.* 10. *Cod. de Teſtam.* ſed approbatio, & examen per conſtitutiones requiſitum,eſt ſeries

rem deducens ad ſubſtantiam, cum morum integritas, ſcientia, & prudentia ſint conditiones in ſpecie requiſitæ, antequam. Vicarius Generalis alicui licentiam concedat audiendi confeſſiones; ergo non poſſunt omitti, & ſi omittantur, acta ſunt nulla, & corruunt: primò, quia præcipua Sacramenti pœnitentiæ Miniſtri qualitas, eſt integritas vitæ, ac morum honeſtas, ut ait Clem. Papa X. in conſtit. quæ incipit *Superna*; Secundo, quia nullus poteſt admitti ad audiendas Fratrum Confeſſiones, niſi prævio examine, quale fieri debet ab Examinatoribus Religionis juxtà decreta Clementis VIII. *de reform. Regul. nu.* 37. Tertio, quia approbatio eſt Teſtimoniũ publicum idoneitatis, probitatis, doctrinæ, & morum; & ſuper id cadit juriſdictio, ut rectè notat Mendo *Epit. opin. moral. verb. Confeſſio, num.* 23. Quare cenſenda erit forma ſubſtantialis, quæ dat eſſe rei. Ex quo ſequitur, quod etiam Docti examinandi ſunt, quia quando approbatio eſt de forma, non poteſt omitti, præterquàm quòd illorum peritia, occaſione experimenti, notior fit, & laudata concreſcit. Bart. *in leg.* 2. *Cod. de Atletis. lib.* 10. Lambertinus *de Jurepatron. lib.* 2. *par.* 1. *quæſt.* 11. *art.* 3. *num.* 1. Felinus, & alii. Undè Gloſ. *in cap. conſideret de pœnit. diſt.* 5. dicit, Confeſſario debere ineſſe ſapientiam, & conſequenter examen, quæ eſt forma, ſi ſapientia habetur pro materia in Confeſſario, & forma omitti non poteſt. Pariſius *in tract. de recept. benefic. lib.* 7. *quæſt.* 9. Gonzal. *Gloſ.* 5. §. 3. *num.* 8. *& ſeqq.* & ſic quando examen requiritur pro forma, non ſufficit præſentatio virtualis, ſed perſonalis. Bald. *in cap. Conſtitutus* 2. *num.* 4. *de appellat.* & ibi Decius, Felinus, Anania, & alii.

Num. 7. Cum ergo ſit de forma actus, quod approbatio Confeſſorum fiat à Capitulo, & Examinatoribus reſpective, quoad mores, & ſcientiam, debet ſervari, etiamſi ceſſet ratio, ob quam inducta eſt, quia ceſſante ratione, ob quam forma eſt inducta, adhuc forma ſervanda eſt, ut tradunt Doctores apud Moronum *eadem Reſp.* 28. *num.* 68. alias, tali forma non ſervata, minimè dici poteſt Confeſſarium fuiſſe approbatum, cum licentia dumtaxat Vicarii Generalis; & per conſequens juriſdictione careret, & invalidè Confeſſiones audiret, præſertim quia Sac. Congregatio *anno* 1580. ad petitionem DD. Examinatorum Leodienſium, reſpondit in his verbis. *Confeſſionem non approbato Sacerdoti factam eſſe nullam, & iterandam.* Teſte Pace Jordano *tom.* 1. *de re ſac. lib.* 3. *tit.* 4. *ſub num.* 104. Barb. *in collect. in Trid. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 15. *num.* 4. cum aliis ab ipſo relatis.

Num. 8. Item neque obſtat, quod ex non ſervata forma, non reſultat nullitas actus, niſi quando addita eſt clauſula irritans, ut vult Hoſtienſis, & alii, quos refert P. Euſtachius *loco cit. num.* 1081. quia hoc eſt omninò contra mentem Gloſ. *in cap. novit. de his, quæ fiunt à Prælatis* ubi habetur, Epiſcopum agentem ſine conſenſu Capituli, inutiliter agere, quia agit contra diſpoſitionem Juris; & tamen ibi non eſt appoſita clauſula irritans, ſicuti neque *in leg. non dubium, C. de leg. & in cap. quæ contra jus fiunt pro infectis habentur De reg. juris in* 6. *& cap. vides, diſt.* 10. ergò ad rem noſtram non facit præfata ratio, ſed in puncto Profeſſionis, de qua loquitur ibi P. Euſtachius, videlicet non admitti nullitatem, niſi lex prohibens fulciatur decreto irritante, cui ipſe minimè contradico.

Num. 9. Immò mecum ſentire videtur idem P. Euſtachius, in caſu noſtro; nam *quodlibet* 13. *dub.* 3. *n.* 1427. ſic inquit. *Nullus ergo, niſi approbatus à Capitulo, & obtenta à P. Vicario Generali facultate, atque Prioris licentia, poteſt confeſſiones ullas etiam Religioſorum, ſub pœna ſuſpenſionis audire: & in caſu controventionis, habent locum dicta de.*

de nullitate. More ſuo egregiè loquitur talis Author; nam licèt conſtitutiones Religionis, dum dictam ſuſpenſionem imponunt, non faciant mentionem de approbatione Capituli Conventus, quippe neceſſarium non erat, cum ſupponant nulli poſſe licentiam concedi audiendi confeſſiones, niſi priùs à Capitulo, & Examinatoribus fuerit approbatus, prout locis ſupracitatis, clarè decernunt.

Num. 10. Clarè igitur videtur in licentia, quæ datur à Vicario Generali, neceſſariò debere ineſſe approbationem prærequiſitam, veluti circumſtantiam, conditionem, ſeù formam eſſentialiter neceſſariam ad hoc, ut quis ad munus Confeſſarii cenſeri debeat idoneus; Forma enim eſt de genere indiviſibilium juxtà *leg. Si veritas, C. de fideicomm.* Rot. *deciſ.* 30. *n.* 5. apud Farinac. *par.* 1. *recent.* ideòque inſeparabiliter unum debet includi in alio.

Num. 11. Concludendum eſt igitur: non approbatum à Capitulo, & Examinatoribus Religionis, nequaquam Confeſſiones audire licitè, aut validè poſſe de licentia dumtaxat Patris Vicarii Generalis, vel Provincialis, quià idem eſt, ac ſi eorum non haberet licentiam, cum inconfeſſo ſit apud omnes, actum non ſervata forma non valere, atque fieri invalidè, & nullo modo fieri, parificari; nam quæ contra Jus fiunt pro infectis haberi debent, *cap. de reg. juris in* 6. aut quæ ritè nõ fiunt, pro non factis habentur, ut docent Hyppol. Tiraquel. & Perez allegati per Moronum *reſp.* 11. *num.* 2. Vicarius autem Generalis, ſicut non poteſt indignum, vel minus idoneum ad officium confeſſarii admittere, ita non examinatum, & approbatum a Capitulo ad audiendas confeſſiones exponere. Et ratio eſt evidens: quia ejus facultas in hoc eſt conditionalis, conditio verò neceſſariò ſervari debet in faciendo, aliàs actus erit nullus, & invalidus, cùm certi juris ſit, quòd diſpoſitio conditionalis, omiſſa conditione, non ſortitur effectum. *leg. qui hæredem, leg. Mævius, ff. de condit. & demonſtrat.* Rota *deciſ.* 315. apud Farinacium *par.* 1. *recent.* Tiraquellus *de retract. tit.* 2. *Gloſ.* 1. *nu.* 3. & 4. Thuſcus *pract. concluſ. tom.* 2. *litt. C. concluſ.* 483. Baldus *conſ.* 434. *in princ.* Oldrad. *conſ.* 244. Angelus *conſ.* 373. *num.* 2. & alii.

Num. 12. Hæc tamen, quæ dicta ſunt, & dici poſſunt circa tale dubium, videntur tutiora, ideoque ſervanda juxtà regulam generalem: In dubio tutior pars eſt eligenda, *cap. ſignificaſti* 2. *de homicid. & cap. Juvenis in verb. dubio, de ſponſal.* & ubi periculum vertitur, in tutiorem partem interpretandum eſt. Gloſ. *in cap. Aliter legitimum in verb. Contubernia* 30. *q.* 5. Et ſicut in dubio facti, eſt neceſſariò ſequenda tutior pars, gratia periculi Animæ vitandi, idem dicendum eſt in dubio juris, cum idemmet periculum in utroque dubio verſetur, ut latè probat Sanchez in *Summ. lib.* 1. *cap.* 10. *nu.* 10. cui ſubſcribit Hieronymus Rodericus *in compend. quæſtionum Regul. reſol.* 3. *ſub num.* 25. *in princip.* Ergò ſi res ità ſe habet in caſu noſtro, à diſpoſitione Conſtitutionum recedendum non erit: & eo magis, cum ſimus in materia Sacramentorum, agitur enim de validitate Confeſſionum.

Num. 13. Verùm, licèt hæc apud me vera ſint, non nego tamen, quòd in aliquibus caſibus, poſſit quilibet Sacerdos, ſine dicta approbatione validè, ac licitè confeſſiones audire, & è contra poſſit eligi in confeſſarium. Primus eſt in itinere, quia tunc quivis ſimplex *Sacerdos Idoneus* ex diſpoſitione noſtrarum Conſtitutionum *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. poteſt ſocii confeſſiones audire, eique beneficium abſolutionis impendere, excepto tamen à reſervatis. Secundò, quando ex aliquo accidenti in aliquo Conventu nullus adſit Confeſſarius deputatus, præter ipſum Superiorem localem, tunc certò poſſunt

Religioſi confiteri cuivis ſimplici Sacerdoti illius Conventus, ex declaratione Capituli Generalis anno 1632. Tertio, in articulo, ſeu in probabili mortis periculo (quod eſt idem, quoad Jura facientia facultatem abſolvendi, ut ſatis probat *cap. eos qui de ſent. excom. in 6.*) Quilibet Sacerdos etiam Regularis valet abſolvere ab omnibus peccatis, & cenſuris in dicto periculo conſtitutum, quia pro tali caſu omnes Sacerdotes habent facultatem delegatam ab Eccleſia. Triden. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. abſente tamen approbato, ut dixi in *tit. de Moribund. & morti proximis* ad Inter. 17.

Hoc eſt, quod ego ſentio circa talem difficultatem, ſalva tamen Doctiorum ſententia.

2159 Inter. 19. Confeſſarius Regularis, deſignatus pro uno loco, ſeu Monaſterio à Superiore ad confeſſiones audiendas: poteſtne validè audire confeſſionem Religioſi alterius Monaſterii ejuſdem ordinis? & quid de Confeſſariis noſtris dicendum ſit?

Reſp. Ex præſumpta voluntate Superioris illius Religioſi, vel ſi adeſt conſuetudo in Religione, ut hoc fieri poſſit, dico, quod validè abſolveret. Verum eſt tamen, quod præſumptio debet fundari in aliquibus ſignis, quæ ſufficienter indicent præſentem voluntatem Superioris, concedendi facultatem, quæ ratihabitio de præſenti appellatur: nam ſi eſt tantùm exiſtimatio de futuro conſenſu Superioris, quæ ratihabitio de futuro dicitur, certò non erit ſufficiens, ut concors Doctorum ſententia tenet, & ego jam breviter dixi *in tit.* 222. *de Validitate Abſolutionis, ad Inter.* 8. Omnes autem Doctores aſſerunt ad excipiendas confeſſiones non ſatis eſſe ratihabitionem de futuro, ſed opus eſſe, ut ſit pro ſe de præſenti, ut ex Beccano, Homobono, Facundez, Toleto, Henriquez, Coninchio, Villalobos, & aliis, docet Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 11. Sed hic ponamus exemplum v. g. quidam Religioſus Conventus S. Nicolai de Urbe confitetur cum aliquo Confeſſario Conventus Jeſus, & Mariæ ejuſdem Urbis, & Religionis, aut, e contra: eritne valida talis confeſſio? nam Conſtitutiones Religionis *in prima parte cap.* 3. *num.* 2. ſic decernunt. *Nullus Sacerdos abſque licentia Vicarii Generalis, & Prioris confeſſiones alicujus, etiam Sacerdotis noſtri, audire poſſit, quod ſi fecerit per triennium ab hoc munere ſuſpenſus exiſtat, & qui ei confeſſus eſt, graviori pœna puniatur.* Nec ſufficit, quòd Sacerdos in noſtra Congregatione habeat facultatem audiendi confeſſiones à Provinciali, aut Vicario Generali noſtro, nam illa nemo uti poteſt abſque expreſſo conſenſu Prioris Conventus; ut patet ex Conſtitutionibus ibidem *num.* 3. *in fine, & num.* 4. dicunt, quod ex his confeſſariis à Vicario Generali conſtitutis; Prior eliget juxta numerum fratrum, aliquos, qui confeſſiones fratrum audiant. His ergo poſitis, & prænotatis, dico: quod quandò adeſt ratihabitio de præſenti, & præſumptio modo, quo ſupra dictum eſt, non ſolùm valida, ſed etiam licita erit talis confeſſio; ita quoque validam, & licitam cenſendam eſſe, quando Priores ſciunt, & non contradicunt, ut fere ſemper contingit, & poſſunt cōmodè contradicere; nam illa ſcientia, & patientia Prælatorum, ut notant DD. quos refert Diana *loco cit.* habetur pro licentia; quia cum Superior non contradicit, intelligitur tacitè conſentire, ut ait Em. Sà. *verb. Religio num.* 54. Tandem video ita eſſe uſu receptum, etiam inter Patres graves, doctos, & rimoratæ conſcientiæ, nec ullum ſcrupulum faciunt, minimeque dubitant de validitate confeſſionis; nam revera dicti confeſſarii habent poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis, ut melius viſum fuit *in Reſp. ad Inter.* 17.

2160 Inter. 20. Confeſſarii deſignati à Superiore ad excipiendas fratrum cōfeſſiones, poſſuntne validè excipere etiam

etiam confeſſiones Clericorum profeſſorum, manentium ſub cura Magiſtri?

Reſp. Quamvis Religioſi cujuſcumque Ordinis non poſſint ſibi eligere confeſſarium aliquem, præter illum, vel illos, qui à ſuis Prælatis, eorum confeſſionibus audiendis deſtinati ſunt, (exceptis Pœnitentiariis Romæ conſtitutis, ut breviter dixi *in tit.* 180. *de Regularibus, ſeù Religioſis, ad Inter.* 111. quod docet ex Peyrino, Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *ſub num.* 26.) Tamen non ſequitur ex hoc, quod Clerici profeſſi, ſtantes ſub cura Magiſtri non poſſint valide confiteri cum aliquo confeſſario à Superiore Conventus deſignato pro aliis omnibus Religioſis: quia de jure communi quilibet confeſſarius deſignatus à Superiore ad excipiendas fratrum confeſſiones, poteſt validè excipere etiam confeſſiones Clericorum manentium ſub Magiſtro; nullibi enim videtur expreſſum contrarium, non in Decreto Clementis VIII. quod incipit *Cum ad Regularem*, datum Romæ die 9. Martii 1603. quia tale Decretum loquitur de Novitiis formalibus, & non profeſſis; ſed etiam quia, ſicut diximus *in tit.* 222. *de Validitate Abſolutionis, ad Inter.* 8. ibi Pontifex loquitur, non per modum præcepti irritando confeſſiones aliter factas, ſed per modum regulæ, & conſilii: ut præter citatos Actores, tenent etiam Alphonſus de Leone *in tract. de officio, & poteſt. Confeſſ. tom.* 2. *recollect.* 11. *n.* 151. *& ſequen.* contra Peregrinum, oppoſitum docentem: Immò idem Clemens VIII. in alio ſuo Decreto ſuper caſuum reſervatione, incip. *Sanctiſſimus Dominus noſter*, mandat Superioribus, ut deputent pro ſubditorum numero duos, tres, aut plures confeſſarios, & hoc, ut probabiliter credo, ne Religioſi, propter verecundiam, ſagrilegas confeſſiones efficiant; ſed hoc magis militare poteſt cum dictis Clericis profeſſis, quam cum aliis; ergo cum Pontifex abſolute loquatur in illis verbis, *pro ſubditorum numero*, non ſunt reſtringenda ad ſubditos antiquos, excludendo juvenes profeſſos; nam ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, juxta *legem Pretio §. de plublic.* & ibi Gloſ. & verba generaliter prolata generaliter intelligenda ſunt. Tandem pro noſtratibus non obſtant noſtræ conſtitutiones, ut videre licet *in prima parte cap.* 3. *num.* 5. ubi dumtaxat loquuntur de noviriis, & dicunt ſic: *Novitii ſolummodo illorum Magiſtro confiteantur.* Concludendum eſt igitur: Confeſſarios deſignatos à Superiore Regulari, validè excipere poſſe etiam confeſſiones Clericorum, qui ſub cura Magiſtri manent, prout optimè firmat Diana *eadem par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 5. *per totam.* Siquidem hæc doctrina tradit languenti animæ medicinam, vel de duobus malis minus eſſe eligendum concludit, ut conſideranti patebit. Vide iterum Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 5. ſed ut cũ ſecuritate procedatur, conſulendæ ſunt omnino leges peculiares ſingulorum Ordinum; nam *in* 2. *parte noſtrarum conſt. cap.* 3. *num.* 9. habetur, quod Supprior hoc eſt Magiſter, illorum confeſſiones audiat: ſed non per modum præcepti, puto eſſe dicendum.

2161 Inter. 21. Si in aliqua Synodo Diœceſana prohibeaturne audiantur Confeſſiones Mulierum in Eccleſia ante ortum, vel poſt occaſum ſolis, vel extra Sedé Confeſſionalem, aut in domibus privatis ſub pœna ſuſpenſionis ſuntne dictæ Confeſſiones, validæ contra talem prohibitionem factæ?

Reſp. Generaliter loquendo, hujuſmodi Confeſſiones irritæ non cenſentur, quià in decretis Synodalibus editis non ſolet apponi clauſula irritans, & intentio Epiſcopi non eſt irritare tales confeſſiones, quaſi abſque juriſdictione, vel approbatione factas: ſed ſolùm prrhibere, ut cum majori decẽtia Sacramentum pœnitentiæ adminiſtretur. Ità docet Averſa *de Sac. Pœnitentiæ quæſt.* 16. *ſect.* 4. cui ſubſcribit Diana *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 73.

Sed

Sed hoc intelligendum eſt, quando pœnitentes bona fide,& cum ignorantia invincibili confiteantur; nam Confeſſarius, qui excipit confeſſiones contra hujuſmodi prohibitionem, graviter peccat, & prætereà ſuſpenſionem latam in Diœceſana Synodo, procul dubio, incurrit, ac etiam fit irregularis, ſi poſt incurſam ſuſpenſionem iterum actum Ordinis exerceat: licèt talis Confeſſarius non ſtatim incurrit ſuſpenſionem impoſitam, dum incipit confeſſiones audire: ſed ſolùm perficit impendendo abſolutionem; quià pœnæ opus conſummatum expoſcunt. Cæterum, ſi penitens ſciret Confeſſarium in illo actu incurrere ſuſpenſionem, certò invalidè efficeret confeſſionem; quià cooperaretur peccato Confeſſarii, & poneret obicem ad gratiam, quam confert Sacramentum,& conſequenter invalida eſſet abſolutio ſic impenſa.

2162 Inter. 22. Suntne validæ, & licitæ confeſſiones ſcrupoloſi, qui verè ſcit ſe proferre numerum exorbitantem peccatorum in confeſſione, ita,ut non poſſit acqueſcere ejus conſcientia ſi certum proferret numerum, vel circum circa; tamen interius non intendit mentiri, ſed ſolùm conſulere ſecuritati, & tranquillitati ſuæ mentis?

Reſp. Si talis bona fide putat,ſe non mentiri, ſed ſolum tali modo conſulere tranquillitati, & ſecuritati ſuæ conſcientiæ, ſeù mentis, ejus confeſſio non poteſt dici, quod ſit infidelis, & peccaminoſa;non enim decipit Cōfeſſarium, niſi materialiter, & in ſui præjudicium, & incommodum, cum ratione majoris numeri expreſſi ſe exponat periculo recipiendi majorem pœnitentiam à Confeſſario. Favet Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 1. §. 2. *numer.* 9. Diana *par.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 25. & Cajet. *in Sum. verb. Confeſſio nu.* 4. Verùm tamen eſt, quod tenetur obedire monitis Confeſſarii, ejuſque dictis acquieſcere, ita & diligentiam adhibere, ne ſuis vanis ſcrupulis obruatur, & mentiatur, quod ſi fuerit à Confeſſario monitus, ut veritatem circa numerum ſuorum peccatorum aperiat,& obedire recuſet: puto certò, tunc invalidas efficere Confeſſiones, cum bona fides ei amplius ſuffragari non poſſit.

2163 Inter. 23. Ad hoc, ut Confeſſarius validè confeſſiones audire poſſit, quid requiritur?

Reſp. Requiritur omninò, quod ſit Sacerdos, & nullo præterea canonico impedimento præpeditus: & tandem, quod habeat poteſtatem juriſdictionis ordinariam, vel ſaltem delegatam. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 1. & 2. & *alii communiter*.

TITULUS CCXXV.

De Validitate Diſpenſationum.

2164 Inter. 1. Quas conditiones debet habere Confeſſarius,ad hoc ut validè, & licitè poſſit exequi Brevia Sac. Pœnitentiariæ,in quibus conceditur ei facultas diſpenſandi cum aliquo in impedimentis matrimonii?

Reſp. Primò debet eſſe approbatus ab Ordinario loci, in cujus Diœceſi executurus eſt hujuſmodi brevia, & diſpenſare in ipſa confeſſione, vel ſaltem immediatè poſt, nam hoc importat illa clauſula, *audita prius ejus Sacramentali Confeſſione*. Secundo,debet quidem eſſe Vir valdè doctus,aliàs pro negotio tali erit ineptus;imò pœnitens, qui repererit Confeſſarium electum eſſe ignorantem, licitè eum mutare poteſt:plura enim debet Confeſſarius examinare, anteqnam diſpenſationem concedat, & primo an res ità ſit, ſicut expoſita fuit Sac. Pœnitentiariæ, & an preces veritate nitantur, verum credere debet pœnitenti etiam non jurato: tamen, ſi vult, poteſt etiam ab eo exigere juramentnm: Si verò contrarium ſciverit extrà con-

ſeſ-

feſſionem,aut tacitum ſit aliquid,quod erat explicandum,nequaquam debet ei credere. Secundò ſcire debet, quod opera, quæ præſcribuntur in dictis Brevibus, apponuntur pro forma, ideòque non eſſe in ejus poteſtate illas omittere, licèt, poſſit aliquando ea moderari, ſi expedire videbitur; Tertiò, fines Diplomatis diligenter obſervare debet, etiam in minimis, præſertim quoad ſubſtantialia, quandò tamen pœnitentiæ non ſunt taxatæ à Sac. Pœnitentiaria, prudentiæ ipſius Confeſſoris relinquitur. Quartò notare debet, quod delictum pœnitentis debet eſſe occultū in ratione delicti, & tunc dicitur occultum, quandò pœnitens non laborat publica infamia, aut quando nõ eſt deductum ad forum contentioſum: Quintò poſt diſpenſationem, ſeù abſolutionem nullo pacto reddere debet pœnitenti Breve, ſeù Diploma, ſed lacerare, ſaltem ſigillum, quià nullatenus ſuffragatur pœnitenti in foro externo. Tandem, nec quidquam recipere poteſt pro ipſa diſpenſatione, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, & ideò ponitur in Brevibus particula illa, *gratis ubique*. Hæc ſcire debet Confeſſarius, ut rectè muneri ſuo ſatisfacere valeat, ut docent plures DD. mox citandi in ſequenti Reſp. Vid Dianam *par.4.tract.4. reſ.7. & par.8. tract.3. reſ.*103. *uſque ad* 111.

2165 Inter. 2. Confeſſarius, qui non eſt ad Doctoratus Lauream in Theologia, vel in Jure Canonico promotus, poteſtne exequi litteras in forma Brevis Sac. Pœnitentiariæ, Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori directas?

Reſp. In hoc caſu eſt certiſſimum, Confeſſarium, cui demandatur executio Diplomatis majoris Pœnitentiarii, debere eſſe Magiſtrum in Theologia, aut in jure Canonico Doctorem, nec ſufficit, quod ſit Profeſſor, aut Licentiatus, quià nomine Magiſtri, & Doctoris, intelliguntur illi dumtaxat, qui lauream Magiſterii, ſeù Doctoratus in aliqua approbata Academia, vel Univerſitate ſuſceperunt. Verùm eſt tamen, quod ſi Confeſſarius ad id electus, ſit Regularis ex Ordine Mendicantiū licèt non ſit Magiſter in Theologia, aut in Jure Canonico Doctor, nihilominus poterit hujuſmodi Brevia exequi. Ità Marcus Paulus Leo *in Praxi ad litter. M. Pœnit. par.* 1. *pag.* 15. Sanch. *de Matrim. lib.*8. *diſp.*34.*n.*11. Rodriq. *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 63. *art.* 8. Bonac. *de Legibus diſp.* 1. *q.* 2. *pun.* 2. *nu.*3. Roderic. *in Compendio qq. Regul. reſ.*31. *num.*34. Sorbus *in Compend. verb. Confeſſores, in fine*, Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *num.*38. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 71. Poyrin. *tom.* 1. *de Subdito quæſt.* 1. *cap.*21. §.2. Nicol. *in Floſc. verb. Abſolutio ſub num.* 8. Mancin. *in Append. ad pract.* 3. *dub.*59. Angelus à Lantuſca *in Theatr. Regul. verb.Brevia Pœnit.* & alii comm. Hoc autem privilegium fuit conceſſum à Greg. XIII. PP. Societatis Jeſu: ſed per communicationem privilegiorum illo fruuntur etiam Mendicantes, ſed debent ad hoc ſpecialem facultatem habere à ſuis Generalibus, alioquin diſpenſatio erit nulla, nec Provinciales dare poſſunt hanc licentiam, niſi ex commiſſione, vel delegatione Generalis, & quibus conceditur debent eſſe viri valdè docti. Rodriquez *loco cit.* Portell. *in dub. Regul. verb. Confeſſor aperiens litteras Papæ num.* 15. Lezan. *tom.* 2. *verb. Litt. Apoſt. num.* 19. à quibus plura haberi poſſunt ad intentum. Ego enim more meo brevitati ſtudeo. Et nota eã, quæ dixi in præcedenti Reſp. Vide Marcum Leonem *loco cit.* qui latè, & doctè de hac tractat materia.

2166 Inter. 3. Quando delictum non eſt ad forum contentioſum deductum, & ſecuta eſt Epiſcopi diſpenſatio: valetne talis diſpenſatio, ſi poſtea ad forum contentioſum deducatur delictū?

Reſp. Tolet. *lib.* 1. *cap.*89. *num.*5. dicit non prodeſſe, niſi in foro conſcientiæ. Sed Pax-Jordanus *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 4. *num. num.* 81. putat valere in utroque foro, quia cum debitè imparti-

tita

Digitized by Google

tita fuerit, non videtur irritari ex ſuperveniente notorietate, & hoc mihi magis probatur.

TITULUS CCXXVI.

De Validitate Electionis.

Vide tit. de Elect. &c. Inter. 3.

2167 INter. 1. Quando fit aliqua electio, & non vocantur omnes, qui debent, & volunt, poſſunt commodè, & legitimè intereſſe, eſtne valida talis electio?

Reſp. Omnes abſentes, qui commodè vocari poſſunt, neceſſariò vocandi ſunt, aliàs non vocati ad electionem, cum deberent, poſſunt eam irritare, vel ratam habere; nam electio non eſt irrita ipſo jure, ſed ad petitionem illius, vel illorum, qui non fuerunt vocati, caſſanda eſt, & caſſari debet, niſi libere conſentiant, cedendo juri ſuo. Sylveſter *verb. Electio 1. q. 5. ſub num. 6.* Em. Sà *eodem verb. num. 4.* Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 15. ſub n. 7.* & alii communiter. Quando verò intimata electione, aſſignato tempore, aliqui non compareant, poſſunt, qui præſentes ſunt ad electionem procedere; quia jus ſuum perdere non debent propter aliorum abſentiam. Vide Mirandam *tom. 2. man. quæſt. 23. art. 6.* Peyrinum *tom. 1. de ſubdito quæſt. 1. cap. 31. §. 6.* & Lezanam *loco citato & tom. 2. verb. electio num. 5. & 6.* qui bene addit, hoc intelligendum eſſe, ſi ſine incommodo expectari non poſſint, aut non adſit aliqua rationabilis cauſa detentionis eorum, pluvia ſcilicet, vel ſimilis, & præſidens Capituli pro certò haberet eos longe abeſſe, aliàs dolosè credi poteſt acceleratio electionis. Et nota: quod infirmorum vota accipi debent, ſi commodè id fieri poteſt, & ipſi voluerint. Azorius *tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæſt. 7.*

2168 Inter. 2. Eſtne valida electio, ſi aliqui eligentes per ſchedulam illam ponunt in urnam aliquo patenti ſigno ſignatam, ut innoteſcat ſcrutatoribus, aut uni ex illis, quod illum nominatum in ſchedula elegerunt?

Reſp. Supponendum eſt primò: indubitatum eſſe, quod electio omninò debet eſſe ſecreta, itàut ſingulorum eligendorum nomina nunquam publicentur, ut decernitur in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 6.* nec ignorantia talis decreti Concilii excuſat aliter facientes, pront à Sac. Congreg. referunt deciſum Riccius *par. 4. deciſ. 197.* & Novarius *in Lucen. Regul. verb. electio num. 5.* teſte Lezana *tom. 2. verb. electio n. 11.* Hoc itàque ſuppoſito, & prænotato, dico, non ſolùm peccare mortaliter qui in caſu noſtro ſignant ſchedulam, quia faciunt electionem non ſecretam: ſed etiam ſic electum poſt habitam talem notitiam teneri reſignare Prælatiam, ſive officium; quia nulla fuit electio, aut ſaltem petere debere à Sac. Pœnitentiaria confirmationem cum diſpenſatione, aliàs non erit tutus in conſcientia; quia non fuit canonicè electus, ſed intruſus: & ità deciſiſſe Sac. Congregationem teſtatur Barboſ. *collect. Bullar. verb. elector* apud eumdem Lezanam *loco cit.* Vide iterum Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 15. num. 7. & par. 2. cap. 12. num. 34.* & Barboſ. *in collect. ad Trid. loco cit. à n. 9.*

2169 Inter. 3. Oſtenſio unius ſchedulæ, ſi fiat per malitiam, aut per errorem officitne ſecretæ electioni, itaut illam irritam reddat?

Reſp. Dicunt quidam, quod non, niſi eſſet realis cauſa, vel præſumptiva rationabiliter, quod electio ſequatur in hanc, vel illam perſonam particularem ex vi illius oſtenſionis, aut niſi major pars ſuffragiorum oſtenderetur, ex qua ante publicationem ſcrutinii electio manifeſtaretur contra formam Concilii. Sed oppoſitum cenſuit Sac. Rota in Trever. Abbatiæ S. Maximi 20. Novemb. 1624. coram Coccino impreſſa per Maſſobrium *in* ra-

praxi habendi concurſum, prælud io 8. *in princ. num.* 53. & 67. Siquidem dixit, nullam eſſe electionem,quamvis unum tantùm ſuffragium publicetur, & ità refert Sigiſm. de Bononia *in tract. de elect. dub.* 31. *num.* 4. apud Barboſ. *in collect. Triden. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 6. *à num.* 5. Vide etiam Lezanam *tom.* 2. *verb. Electio ſub num.* 11.

TITULUS CCXXVII.

De Validitate Sacramenti Baptiſmi.

Vide tit. de Sep. Eccl. Inter. 1.

2170 Inter. 1. Quid requiritur in Miniſtro Baptiſmi ad hoc, ut validè baptizet?

Reſp. Primò requiritur, ut habeat intentionem baptizandi, vel faciendi, quod facit Eccleſia, non jocandi, vel irridendi: Verum eſt tamen, quod ſi haberet intentionem baptizandi, & ſimul etiam jocandi, validè baptizaret: & hoc comprobatur ex facto S. Athanaſii,qui cum joco baptizaſſet aliquos pueros, judicatus fuit ab Alexandro Patriarcha validum fuiſſe Baptiſmum illis ab Athanaſio collatum. Ita Bonac. *de Sac. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 13. & 14. Item Baptiſmus collatus à quocumque, etiam infideli, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, eſt validus,etiamſi baptizans eum pro ludrico haberet. Navar. *in man. cap.* 21. *num.* 7. Tolet. *lib.* 2. *num.* 20. *ſub num.* 1. & alii. Secundo requiritur, ut Miniſter, quicumque ſit, debitam materiam, & formam adhibeat, & illum applicare ſciat. Vide quod dixi *in tit.* 120. *de Intentione ad Inter.* 1. Itaque Baptiſmus ſine concurſu materiæ, formæ, & intentionis actualis, aut virtualis, faciendi quod Eccleſia prætendit, non valet, & iterandus eſt, juxta communem Theologorum ſententiam.

2171 Inter. 2. Qui putat ſe baptizare fœminam, & baptizat maſculum, aut putat baptizare Cajum, & baptizat Sempronium: eſtne validus talis baptiſmus?

Reſp. Dicit Toletus: quod error perſonæ, vel ſexus, non impedit baptiſmum, dummodo tamen Miniſter baptizare intendat,nàm, licèt Miniſter ſpeculativè erret, practicè tamèn non errat, cum dirigat, & dirigere debeat ſuam intentionem in præſentem perſonam, ne irritum faciat Sacramentum; Ergo Baptiſmus in dicto caſu eſt validus. Vide Sylv. *verb. Baptiſmus* 3. *n.* 12. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 20. *prop. fin.* Bonac. *ubi ſupra pun.* 4. *num.* 26. & alios apud ipſum, & Emm. Sà *verb. baptiſmus, num.* 2.

2172 Inter. 3. Si quis in caſu neceſſitatis baptizaret Infantem Signo Crucis,impreſſo in fronte digito aqua madefacto: eſtne validè collatus talis baptiſmus?

Reſp. Comitulus, & Fillincius, quos refert, & ſequitur Dian. *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 5. *verſ. dicendum eſt igitur,* dicunt quod ſic, quia in tali baptiſmo adeſt contactus aquæ ſucceſſivus:& ita etiam tenet Bonac. *de Sac. diſp.* 2. *q.* 2. *pun.* 3. *ſub num.* 14. Vide Dian. *par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 5. ubi docet,quamcumque guttam aquæ ſufficere ad valorem baptiſmi. Sed hæc omnia intelligenda ſunt in periculo mortis, & quando alia quantitas aquæ haberi non poteſt, ac proindè hi omnes baptiſmi, ceſſante periculo,ſunt repetendi ſaltem ſub cōditione. Nam in primis baptiſmus collatus digito, aut linteo madefactis, eſt ſolùm Sacramentum probabile, ut benè obſervat P. Antoninus Maria Sieri Pepuli *in Corollariis Moralibus n.* 123. Et hunc baptiſmum verum non eſſe docent Angelus, Aureolus, Poſſevinus, Graffius, Molfeſius, & Reginaldus. Quamcumque verò guttam aquæ ſufficere ad valorem Baptiſmi, rectè negant quindecim Doctores, relati à Leandro *de baptiſmo diſp.* 2. *quæſt.* 3. &

præterea Gamachæus, & Moſcoſus apud Dian. *par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 5. Ratio hujus eſt, quia ille, cui una tantùm gutta aquæ infunderetur, propriè dici non poſſet, nec lotus, nec propriè baptizatus. Imò P. Pepuli *ubi ſuprà num.* 118. docet, non licere extra caſum neceſſitatis deducere in praxim baptizare cum duabus guttis, etiamſi aqua fluat per corpus. Si autem dubitetur, quod baptiſmus, conſueto modo collatus, acceleret mortem, aut inferat notabile damnum (licèt videatur hic caſus metaphyſicus, ſi circumſpectè miniſtretur baptiſmus) non licebit illum miniſtrare cum una, vel duabus guttis, ſed conſueto modo, ſi alioqui credatur abſque Baptiſmo puer moriturus; quia rectè poteſt quis exponere manifeſto vitæ diſcrimini vitam infantis propter ejus ſalutem æternam: quæ in hoc caſu ex Baptiſmo pendet. Neque id eſt directè necare puerum, ſed indirectè, ſcilicet permittere vitæ detrimentum, quod aliqua ratione provenit ex actione licita, ſcilicet baptiſmo.

2173 Inter. 4. Eſtne validus Baptiſmus adminiſtratus verbis Italicis, ſub hac forma: *Io ti battezzo, col nome del Padre, col nome del Figlio, e col nome dello Spirito Santo?*

Reſp. Bonac. *ubi ſupra de Sacam. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 4. *num.* 5. & alii ab ipſo allegati, dicunt non eſſe validum, quia non oſtenditur unitas divinæ eſſentiæ, quæ eſt de ſubſtantia Baptiſmi, ſed tantùm Trinitas Perſonarum. Oppoſitum ſuſtinet Dian. *par.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 15. citans pro ſe Suarez 3. *par. to.* 3. *diſp.* 21. *ſect.* 3. *concluſ.* 2. Coninchium, & alios, quia licèt, qui baptizaret in nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti non conficeret Sacramentum: tamen baptiſmus ſub hac forma collatus, ſcilicet; *Ego te btptizo in nomine Patris, in namine Filii, & in nomine Spiritus Sancti*, eſt validus, quia non aſſerit eſſe plura nomina, ſicut qui diceret in nominibus, ſed idem eſſentiale Dei nomen commune tribus perſonis ter repetit, quod rectè fieri poteſt abſque pluralitate. Ità Dian. *loco cit.* & favet etiam Tolet. *lib.* 2. *cap.* 19. *ſub num.* 2. Hæc poſterior ſententia eſt valdè probabilis ſpeculative loquendo, ſed in praxi omninò ſequenda eſt prior ſententia propter primam propoſitionem damnatam ab Innoc. XI.

2174 Inter. 5. Baptizaretne validè: qui diceret, Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati?

Reſp. Quidquid nonnulli dicant, reſpondendum eſt cum D. Thom. 3. *par. quæſt.* 66. *art.* 5. quod non validè baptizaret, quia Chriſtus Dominus videtur inſtituiſſe, ut baptiſmus ſub his nominibus relatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, adminiſtraretur, & pro hac ſententia ſunt Tolet. *loco ſup. cit. ſub num.* 2. Scotus, Sotus, Ledeſma, & alii multi apud Bonac. *ubi ſupra num.* 12. & hæc ſententia eſt in praxi omninò tenenda propter primã propoſitionem reprobatam ab Innoc. XI. valeret tamen Baptiſmus ſi quis diceret; Ego te Baptizo in nomine Patris, Chriſti, & Spiritus Sancti, inquit Tolet. *ibid. in fin.* Sed hoc tempore oppoſitum eſt tenendum propter rationem allatam.

2175 Inter. 6. Eſtne validum Sac. baptiſmi adminiſtratum ſub hac forma. Ego te Baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta?

Reſp. Validum eſſe aſſerunt Doctores communitèr. Sic D. Thom. 3. *par. quæſt.* 60. *art.* 7. *ad* 3. D. Antoninus 3. *par. ti.* 14. *c.* 13. *n.* 3. Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 7. Sylv. *ver. Baptiſmus* 5. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 4. Bonac. *de Sac. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 2. *num.* 20. Dian. *par.* 2. *tra.* 17. *reſ.* 14. *propè finem*, & alii penes ipſos, & habetur *ex capi retulerunt de conſecrat. diſt.* 4. ubi Zacharias Papa, ſic habet; Si ille, qui baptizavit non errorem introducens, aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infrigendo linguam uti ſupra fati ſumus bap-

baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, ut de novo baptizentur. Et ratio eſt:quia depravatio, & corruptio dictæ formæ non cenſetur ſubſtantialis, ſed tantùm accidentalis, ſicut ob eamdem rationem dicit Diana *loco cit.* Sacerdotem conficere Sacramentum, ſi in conſecratione Calicis, *s* pro *x* utendo, nam illa littera s. communi modo concipiendi,non tollit ſignificationem ſubſtantialem formæ, quamvis in rigore vox illa *Calis*, habeat aliam ſignificationem, quam *Calix*. Ita Diana, ergo &c.

2176 Inter. 7. Si aliquis Latinus baptizaret aliquem cum forma græca, dicens baptizetur Servus Chriſti in nomine Patris &c. eſſetne validus talis baptiſmus?

Reſp. Omnes Doctores, paucis exceptis, dicunt, quod ſic.Verum eſt tamen, quod, qui uteretur tali forma, mortaliter peccaret,quia faceret contra morem, & præceptum Eccleſiæ Latinæ in gravi, ut docet Tolet. *loco prox.cit. ſub num.*5. & alii plures,quos refert,& ſequitur Bonac. *de Sac.diſp.*2. *pun.* 4. *num.* 10.

TITULUS CCXXVIII.

De validitate Sacramenti Matrimonii.

*Vide tit. de Ignor. Int.*11. *tit. de Met.Int.* 2.3.4. *tit. de Paroch. Int.*33. 34. *tit. de Reis Mort. Int.ult. tit. de Sacr. Matr. Inter.*13. *tit. de Simul. Inter.* 8. *tit. de Vot. Int.*10.

2177 INter. 1. Titius duxit Bertam in uxorem exiſtimans eſſe Virginem, vel putàs eſſe nobilem, vel divitem, & non erat: eſtne validum Matrimonium, cum tali errore contractum?

Reſp. Omnes dicunt eſſe validum, quamvis erroris cauſa ſit ipſa Berta: quia ſe talem eſſe mentitur:& ratio eſt: quia error in qualitate perſonæ non diſſolvit matrimonium: Habetur ex *Can.* 1. 29. *qu.* 1. §. *Error.* Navar. *in man. cap.*22. *num.*32. Tolet. *lib.*7. *c.*3. *num.*2. Bonac. *de Matrim.qu.*3. *pun.*2. *ſub num.*1. & alii communiter. Imò Em. Sà *verb. Matrimonium num.* 26. ſic inquit. Corrupta nubens ei, qui ſciret non eſſe virginem, non eam duceret, non peccat mortaliter.Et ratio eſſe poteſt:quià nemo tenetur prodere ſe ipſum.Vide Sylv. *verb.Matrimoniū* 8. *qu.* 1. §. 3. ubi hoc notabile ponit, ſcilicèt, quòd, qui de futuro deſponſavit corruptam, quam Virginem credebat, comperta poſtmodum veritate, ante copulam, non eſt compellendus conſummare matrimonium cum ea, quia per hoc impediretur ejus promotio ad Ordines Eccleſiaſticos: Nam,ſi ipſam cognoſceret matrimonialitèr, fieret bigamus, & conſequenter irregularis, quod eſt valdè notandum.

2178 Inter. 2. Si aliqua nobilis mulier Romana contrahat cum aliquo ruſtico Germano, aſſerente ſe eſſe filium alicujus Ducis: eſtne validum Matrimonium?

Reſp. Utique validum cenſeri debet tale matrimonium: quia quando creditur indeterminatè, quòd quis ſit filius Regis, aut Ducis nobilis, aut divitis, non eſt error perſonæ, ſed fortunæ, aut qualitatis: qui error certè non impedit, nec dirimit matrimoniū: Secus dicendum eſſet, ſi dixiſſet ſe filium eſſe talis Regis, aut Ducis, cujus cognitio habeatur; Nam ſi cognitio talis Regis, aut Ducis non habetur, adhuc validum eſſet matrimonium, ut docet Navar. *loco cit.* Sylv. Tolet. & Bonac. *ubi ſupra n.* 7. & 8.

2179 Inter. 3. Impotentes,cum impotentia perpetua, & cognita, poſſuntne licitè, & validè matrimonium inire ad caſtè vivendum?

Reſp. Affirmant nonnulli, & probabiliter, ut videre licet apud Dianā *par.*4. *tract.*4. *reſol.*75. Tamen negativa ſententia eſt communior,& probabilior, ut aſſerit idem Diana, & tenen-

da, nam de intrinſeca ratione matrimonii eſt traditio poteſtatis in uſum, & copulam matrimonialem, cujus immutatio non pendet à voluntate contrahentium, ubi deeſt potentia generandi, ſicut non poteſt vendi domus ab eo, qui domum non habet. Ultra quod Sixtus V. in Bulla *edita anno* 1587. apertè videtur definire hanc ſententiam, cum ibi declaret, matrimonium cum Spadonibus, vel Eunuchis, utroque teſte carentibus, eſſe ſemper, ac nullum fuiſſe cum quibuslibet mulieribus, ſive talem defectum ſciverint, vel ignoraverint. Et hoc quidem, quia præfati carent potentia generandi; ergò ubi deeſt talis potentia, nec licitè, nec validè poteſt conſiſtere matrimonium. Vide Sanchez *de Matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 97. *num.* 2. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 12. *num. ult.* Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 4. *cap.* 21. & alios allegatos per Dianam *loc. cit.* quibus ipſe adhæret. Et rectè quidem: nam finis primarius matrimonii, eſt procreatio filiorum, qui ſaltem exiſtere debet in potentia.

2180 Inter. 4. Qui valida ſponſalia celebravit cum Berta, poteſtne validè contrahere matrimonium cum illius ſorore, vel matre, vel filia, aut ſaltem cum illius conſobrina, vel cum ea, quæ fuit uxor fratris Bertæ?

Reſp. Ex ſponſalibus validis oritur juſtitiæ publicè honeſtatis impedimentum dirimens matrimonium, cum conſanguineis in primo gradu, ut decernitur in Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrimonii cap.* 3. ergo poſt ſponſalia validè celebrata, non poteſt quis, abſque diſpenſatione Pontificia matrimonium contrahere, cum Conſanguineis in primo gradu illius, cum qua ſponſalia celebravit, ac proindè non poteſt ducere in uxorem nec illius ſororem, nec matrem, nec filiam; ſed quidem illius conſobrinam, vel affinem non prohibetur in uxorem accipere; quia impedimentum publicæ honeſtatis, conſurgens ex ſponſalibus validis poſt Conc. Tridentinum, non excedit primum gradum conſanguinitatis. Vide Bonac. *de Matrim. qu.* 3. *punct.* 11. *num.* 2. & Barboſam *in Collect. ad Trident. loco ſupra cit. num.* 12. qui alios id aſſerentes refert: ſed vide *in tit.* 110. *de Impedimento publicæ honeſtatis, ad Inter. ultimam.*

2181 Inter. 5. Poteſtne Matrimoniũ validè fieri inter Raptorẽ, & Raptam?

Reſp. Minimè, ſed debet priùs in loco tuto, & libero poni, ut ſi velit conſentiat; tamen licèt conſentiat, & fiat Matrimonium, legum pœnæ incurruntur à raptore. Tolet. *lib.* 5. *c.* 12. *ſub num.* 2.

2182 Inter. 6. Quando mulier conſenſit in raptu, & præceſſit tractatus matrimonii cum raptore, ſed Parentes non conſentiunt: poteſtne validè celebrari Matrimonium, dum Mulier eſt in poteſtate raptoris?

Reſp. Maximè: quia non dicitur raptus quando præceſſit tractatus Matrimonii, & mulier conſenſit, nec officit reclamatio Parentum. Habetur *cap. Cum cauſa, de raptor.* Tolet. *lib.* 1. *cap.* 41. *ſub num.* 4. Em. Sà *verb. Matrimonium num.* 9. & alii communiter.

2183 Inter. 7. Socrates cauſa explendæ libidinis rapuit virginem, & adhuc in ſua poteſtate exiſtentem, duxit eam in uxorem, eſtne validum hujuſmodi matrimonium.

Reſp. Affirmat Sanchez *de Matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 13. *num.* 4. & alii, quos dat, & ſequitur Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſp.* 261. & dicunt Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ſolùm loqui de raptu, qui fit cauſa contrahendi matrimonium, non cauſa explendæ libidinis, & conſequẽter inter raptorem, & raptam ſubſiſtere matrimonium, dum fuit rapta ad explendam libidinem, & non ad contrahendum matrimonium. Oppoſitum tamen puto verius cum Bonac. *de Matrim. diſp.* 4. *pun.* 18. *num.* 2. Emm. Sà *verb. Matrimonii n.* 9. qui ita deciſiſſe Sac. Congregatione m teſtatur; Nam Trident. loquitur generaliter de rapto-

ptoribus: ſed qui rapit fœminam, ſive ſit virgo, ſive conjugata, ſive ſoluta, cauſa libidinis, dicitur raptor, incurritque pœnas contra raptores impoſitas, ut bene probat Bonac. ex aliis ab eo allegatis: ergo dicendum eſt, non eſſe validum matrimonium in dicto caſu, dum rapta erat in poteſtate raptoris, etiamſi liberè conſenſerit. Vide quæ dixi *in tit.* 179. *de Raptu Mulierum ad Int.*1. *& in hoc titulo ad Int.*5. & præcipuè Tolet. *lib.*1. *cap.*41. *num.*4. qui cum Panor. *in cap. cum cauſa num.*1. *de rapt. ait*, tunc dici raptum, cum rapitur mulier etiam cauſa libidinis. Et hoc mihi valdè probatur.

2184 Inter. 8. Titius necavit propriam Uxorem, poteſtne aliam Uxorem accipere, & ſi de facto accipiat, eſtne validum matrimonium?

Reſp. Reſpondendum eſt cum diſtinctione, quia duplex eſt genus impedimentorum: Alterum enim impedit, ſed non dirimit, alterum verò impedit, & dirimit. Unde ſi Titius, necavit Uxorem cum intentione aliam ducendi, & cum homicidio junctum eſt adulterium, utique eam ducere nequit; nam adeſt impedimentum, cum adultera contrahendi dirimens contrahendum, pariterque contractum, & eſt præterea perpetuum impedimentum. Tolet. *lib.*7. *cap.*10. *num.*1. & alii communiter. Si verò Titius Uxorem necavit publica authoritate, vel propter adulterium, vel odium, & non ob deſiderium adulteram accipiendi, itidem non poteſt aliam ducere ſine diſpenſatione, ſed ſi defacto matrimonium cõtrahi, matrimonium validum eſt, & tenet, licèt ipſe mortaliter peccet. Eſt communis ſententia. *Vide in tit.* 103. *de Homicidio, ad Inter.* 4.

2185 Inter. 9. Si Titius Uxoricidium commiſerit, cum animo contrahendi cum Berta, ſine patrato adulterio, ſed ambo in mortem conjugis Titii machinantur, ut poſtea matrimonium ſimul contrahant; matrimonium inter Titium, & Bertam poteſtne validè ſubſiſtere?

Reſp. Nequaquam: nam tale homicidium ſine præcedente adulterio etiam ſufficit ad dirimendum matrimonium, ſi ſit contractum: Verum eſt tamen, quod non ſufficit machinatio, ſed requiritur, quod defacto homicidium ſit ſecutum. Tolet. *lib.* 7. *c.*10. *ſub num.* 1. *& alii communiter*. Vide etiam Navar. *cap.*22. *num.*46. qui idem docet: quibus addo Bonac. *de Matrim. quæſt.* 3. *pun.* 6. §. 3. *à num.* 5. *verſ. Secunda conditio*.

2186 Inter. 10. Si Uxor Virum ſuum occiderit, ut contrahat cum Adulterio: poteſtne inter eos Matrimonium eſſe validum?

Reſp. Putant quidam, ſi Vir Uxorem occidat, ut ducat Adulteram, matrimonium dirimi, non autem ſi Uxor occidat Virum ſuum, quia in Jure de hoc nihil eſt cautum, nam de viro tantùm loquitur Lex. Ita dicunt quidam. Vide Emm. Sà *verb. Matrimonii impedim. ſub num.* 7. Tamen videtur probabilius incurrere impedimentum dirimens, ut docent plurimi; quos refert, & ſequitur Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.*78. *num.*8. ubi etiam ſolvit fundamentum ſententiæ negativæ, vide *can. ſi quis vivente* 31. *quæſt.* 1. ex quo habetur id quod aſſerit Sanch. & ita tenet etiam Bonac. *de Matrim. quæſt.* 3. *pun.* 6. §. 3. *num.* 7. *alii ibi citati*.

2187 Inter. 11. Poſſuntne ſervi, & ancillæ invito Domino validè matrimonium contrahere?

Reſp. Doctores communiter affirmativè reſpondẽt: nam matrimonium fuit conceſſum à jure naturali, & Divino in remedium concupiſcientiæ, & ad propagationẽ ſpeciei humanæ, nec tale jus poteſt illis à Domino auferri ſine gravi peccato. Et licèt ſervus, aut ancilla per matrimonium non eximatur ab obligatione ergà Dominum, tamèn ſi daretur caſus, quod ſervus, vel ancilla non poſſet ſimul ſatisfacere conjugi, & Domino ſuo, cœteris paribus præferendum eſſet debitum conjugale

jugale

jugale. Ita Sanchez, Perez, Filiuc. Em. Sà, & alii quos dat, & ſequitur Boac. *quæſt. 3. pun. 3. num. 7.* Vide Sà *verb. Im. dirim. num.* 1.

2188 Inter. 12. Quomodo poteſt fieri validum matrimonium, quando fuit invalidum ex defectu interioris conſenſus unius conjugis.

Reſp. Doctores infra referendi docent fieri validum, ſi poſtea conſentiat, nec opus eſt, quòd iterum contrahatur coram Parocho, & teſtibus, imò nec aliquid dicere tenetur alteri conjugi, qui verè conſenſit, aut aliquo ſigno externo exprimere conſenſum, quem de novo tunc præſtat, nàm ſufficit internus conſenſus ex parte ipſius, cum ex parte alterius conjugis jam ſupponimus non fuiſſe revocatum; ſufficit ergo in dicto caſu ſupplere, id quod deerat, ſcilicèt interiorem conſenſum, & ſic fit validum matrimonium, quod invalidum erat defectu interioris conſenſus alterius conjugis. Em. Sà *ver. Matrim. n.* 12. Sanchez *tom.* 1. *de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 32. *n.* 9. *&* 13. Navar. *in man. cap.* 22. *num.* 52. & alii plures, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Matrim. quæſt.* 2. *pun.* 9. *num.* 1. *& ſeqq.* Favet etiam Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 292. *ſed par.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 87. adducit alios aſſerentes non ſufficere, quod ille cui defuit conſenſus verus, & legitimus, de novo conſentiat, ſed neceſſarium eſſe, quòd uterque de novo conſentiat: Verùm omninò eſt tenendum eſſe neceſſarium novum conſenſum, utriuſque coram teſtibus, & Parocho, admonito priùs alio conjuge de matrimonii nullitate: Ita namque reſpondit Clem. VIII. de hoc caſu interrogatus à P. Stephano Tuccio Romanæ Pœnitentiariæ Rectore, teſte Paulo Comitulo *in Reſp. moral. lib.* 1. *q.* 120. qui hanc doctrinam validis rationibus confirmat.

2189 Inter. 13. Titius contraxit matrimonium cum Berta, ſed poſtea advertit invalidum eſſe matrimonium, propter aliquod impedimentum dirimens, quare impetrata diſpenſatione rogavit Bertam inſciam illius impedimenti, ut de novo conſentiat, non detegendo ei impedimentum, nec invaliditatem matrimonii. Quæro an Titius præfatus ſit tutus in conſcientia?

Reſp. Valdè quidem difficilis eſt quæſtio iſta. Multi enim dicunt, quod quando impedimentum ſublatum eſt per diſpenſationem, ſufficit, ut conjux impedimenti conſcius, obtineat de novo conſenſum ab altero conjuge, inſcio impedimenti, & curet utriuſque conſenſus renovari, ut diſſimulanter petẽdo ab altero, quod pro ſua cõſolatione ipſum habeat in conjugem, nec opus ſit aperire priùs matrimonium fuiſſe irritum; Ergo juxtà hanc opinionem, Titius erit tutus in conſcientia, prout tradunt Cajet. Sotus, Paludanus, & alii plures apud Dianam *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 49. & alii penes Bonac. *de Matrim. qu.* 2. *pun.* 9. *num.* 7. Alii verò, nec numero, nec auctoritate inferiores ſuſtinent non ſufficere, poſt ablatum impedimentum obtinere de novo conſenſum, vel cum eadem ignorantia antiqua accedere ad uxorem per copulam affectu maritali, &c. ſed manifeſtandum eſſe ei impedimentum, ſeu notificandum, fuiſſe, & eſſe matrimonium inter eos invalidum, & pro hac ſententia ſunt Sanchez *tom.* 1. *de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 36. *num.* 3. & alii allegati per ipſum. Villalobos, Ochagavia, Pontius, Comitulus, aliique plures comulati à Diana *ubi ſupra.* Ratio quorum videri poteſt apud ipſum Dianam, & Bonac. *loc. cit.* Verùm pro hujus reſponſionis coronide, mihi dicendum videtur, hanc poſteriorem ſententiam eſſe ſequendam, & quando commodè, & abſque periculo, aut ſcandalo manifeſtari non poſſit matrimonii impedimentum, aut ipſius invaliditas, petendam eſſe diſpenſationem, & præterea petendã eſſe etiam diſpenſationẽ de præſentia Parochi, & teſtiũ, quam præſentiam diſpenſavit Papa in caſu præcedentis Reſponſionis. Vide Abb. Zerbi *in Gemma Epiſc. ti.* 33. *reſ.* 1. ubi perdoctè diſſerit.

Inter.

Digitized by Google

2190 Inter. 14. Teſtes pro validitate matrimonii: debentne eſſe omni exceptione majores, ſicut in aliis cauſis?

Reſp. Licèt Teſtes minus idonei in aliis cauſis non benè probent, & ſæpè à teſtimonio dicendo repellantur, ut ſunt Infames, aut alio vitio notati, & qui non ſunt omni exceptione majores;tamen in cauſa matrimoniali,Concilium Tridentinum nullum excipit:& ſic non eſt reſtringendum ad teſtes omni exceptione majores; quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Quapropter, Doctores communiter dicunt ad contrahendum validè matrimonium, neceſſarium non eſse, ut adhibeantur teſtes omni exceptione majores: ſed ſufficere, ut non admittantur illi, quos Jus naturale repellit, puta Infantes, Amentes, & Ebrii; Cæterum alii omnes cenſentur idonei teſtes in matrimonio, ut aſſerit Diana *par.*11. *tr.*3. *reſol.*33. qui teſtatur de communi. Vide Barboſ. *in Collect. ad Triden. ſeſſ.*24. *de reform.cap.*1. *num.* 121. & ego plures allegando, docebo *in Reſponſione ad Inter. ſequentem*, ad quam lectorem remitto. Vide Emm. Sà *verb. matrimonium ſub num.* 1. & Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.*9. *ſect.*13. *num.*12.

2191 Inter. 15. Debetne cenſeri validum Matrimonium, ſi Parochus admittat in teſtes Patrem, & Matrem Sponſi, vel Sponſæ, aut alios Conſanguineos,& Familiares?

Reſp. Utique validum cenſeri debet: quia ad Matrimonii aſſiſtentiam ſufficiunt quilibet Teſtes,quos Jus naturale non arcet, ut ſunt infantes, Amentes,& Ebrii: Cæterum alii omnes admitti poſſunt, ut ſunt Conſanguinei, Affines, Pater, & Mater Sponſi, vel Sponſæ, Viri, Fœminæ, Chriſtiani, Infideles, Infames, Excommunicati, non rogati, ſpontanei,coacti,dummodo, quòd fit, intelligant; nullum enim genus hominum excluditur à Tridentino. Ita Ledeſma, Riccius, Reginaldus,Sanchez,Coninchius,& Filliucius, quos citat, & ſequitur Bonac. *de Matrim. diſp.*2. *pun.*8. *num.*43.qui teſtatur de communi;idem docet Mendo *Epit. opin. moral. verb. Matrimonium n.* 47. Nicol. *in Floſ. eodem verbo num.* 10. Alloza *in Floribus Summ. verb. Matrim. ſect.*2. *n.*19. Tamen addit, quod tutius ſit, idoneos teſtes adhibere ad tollendum inconvenientia, & diſſenſiones: quia non deſunt, qui docent, Teſtes idoneos neceſſarios eſſe etiam in matrimonio. Vide eumdem Zerbi, qui ſupra *tit.*39. *reſ.*8. *num.*6.

2192 Inter. 16. Ad valorem matrimonii ſufficitne, ut Parochus, & teſtes audiant contrahentes, vel opùs eſt, ut illos etiam videant?

Reſp. Hanc pulchram difficultatem invenio apud Dianam *par.*8. *tr.*7. *reſol.* 68. qui nominatim inſurgit contra Barboſam *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *allegat.*32. *num.*86. aſſerentem,præſentiam Parochi in matrimonio ità requiri, ut ne dum intelligere oporteat, cum quid agitur, ſed ut videat. Quæ ratio militat etiam de Teſtibus: quià facilè decipi poſſunt, ſicque non ſunt integri teſtes, &c. At ipſe Diana ſine formidine adhæret illis, qui abſolutè tenent,non eſſe neceſſarium Teſtes videre partes contrahentes: ſed ſufficere illos verba contractus, etiam inter media cortina, vel pariete, audire, quando habent notam vocem contrahentium, & ità ſenſiſſe Sac. Rotam *deciſ.*634. *num.*4.coram Buratto, refert ex Ferentillo: & hanc ſententiam teſtatur tenere Sanchez *de matrim.lib.*3. *diſput.* 39. *num.* 3. Guttierez *cap.* 69. *num.*4. Filliucium *tom.*1.*tract.*10. *c.*6. *num.*224. Rebellium *par.*2.*lib.*2.*qu.*8. *num.*7.Fernandez *in exam. Theol.par.*3. *cap.*18. §.1. *num.* 9. & Baſilium Pontium *de matrim. lib.* 5. *cap.* 21. *num.*8. & tandem rectè reſpondet ad argumentum Barboſæ. Quæ quidem ſententia mihi valdè probatur per ea,quæ docet Sylveſter *in verb. Teſtis num.*4. ubi Juribus,& Doctoribus relatis aſſerit,quod Teſtes exiſtentes juxtà parietem, vel cortinam de auditu fidem faciunt,

ciunt, ſi habent notitiam vocum, & quod ſit ſpeciale in teſtamento, ut nō valeat teſtimonium, niſi Teſtes audierint, & viderint teſtatorem loquentem: quia ſolet infirmantium vox mutari, & faciliter poteſt fingi, & hoc aſſerit etiam Armilla *verb. Teſtis ſub nu. 6.*

2193 Inter. 17. Eſtne validum matrimonium initum coram Parocho ad id non ſpecialiter vocato, ſed caſu illàc tranſeunte?

Reſp. Quamplures Doctores dicunt, non eſſe validum Matrimonium celebratum coram Parocho, & teſtibus tranſeuntibus: quià non cenſentur præſentes humano modo, nec formalitèr, ſed ſolùm materialiter, & ità deciſum fuiſſe à Sac. Congreg. aſſerit Bonac. *de Matr. diſp*: 2. *pun.* 8. *n.* 20. *&* 45. aliique plures allegati per ipſum: ſiquidem ad hoc, ut Parochus dicatur præſens, neceſſariò requiritur, ut ſit ad eum caſum formalitèr adhibitus, vocatus, & rogatus. Ita Leander *de Sac. to.* 2. *tr.* 9. *diſp.* 7. *qu.* 38. qui alios concordantes adducit. Idem docet Fagn. *in cap. quod nobis, de clandeſt. deſponſat. num.* 54. aſſerens ipſe, id eſſe deciſum à Sac. Congregat. Oppoſitum ſuſtinent alii, ut Sanch. *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 39. *n.* 11. Layman. *lib.* 5. *tr.* 10. *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 6. *num.* 224. Barb. *de Officio Parochi cap.* 21. *num.* 50. & alii, quos citat, & ſequitur Diana *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 16. dicunt enim validum eſſe matrimoniū, etiamſi celebretur coram Parocho, & teſtibus caſu tranſeuntibus: quia dicuntur præſentes, dùm ſufficienter advertunt ad id, quod agitur, & poſſunt de hoc ferre teſtimonium. Et ita deciſſe Sacr. Congregationem in facti contingentia, refert Boſſius *de Matrim. cap.* 3. §. 3. *num.* 6. apud Dianam *loc. cit.* Perez *de Matrim. diſp.* 4. *num.* 9. qui reſpondet ad argumenta in contrarium adducta, & explanat ſenſum declarationum Sac. Congreg. Vide etiam Averſa *de Matrim. q.* 6. *ſect.* 6. ſed hæc poſterior ſententia intelligenda eſt, dummodo Parochus intelligat rem ſeriò agi; Nam ſi Parochus conſultò nollet intelligere conſenſum contrahentium, ut ſi clauderet aures, & oculos, & reverà non attenderet, nec intelligeret conſenſum, nullo modo valeret matrimonium, ut benè concludit Diana *ubi ſupra reſol.* 20. *prop. fin.* Fagnan. etiam *in cap. quoniam de Conſtit. n.* 25. refert Sac. Congreg. declaraſſe, validū eſſe matrimonium, coram Parocho, etiam invito, & per vim adhibito, quamquam nihil eorum, quæ agebantur vidit, & intellexit, ſi affectavit non intelligere, ut in Parocho, qui ſibi aures obturaret, etiamſi ex alia cauſa vocatus, adhibitus tamen ad illum actum. Ubi nota hæc ultima quinque verba. *Nam ſi non eſſet adhibitus ad illum actum, atque inſuper nihil intellexiſſet, omni procul dubio matrimonium non eſſet validum.* Denique dico, priorem ſententiam in praxi tenendam eſſe, pro qua Baſilius Pontius *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 21. *num.* 4. poſtquam retuliſſet tres declarationes Cardinaliū, ſubjecit hæc verba: *Quare de hoc amplius dubitare non licet.* Et Sacra Congregatio Concilii anno 1700. expreſsè reprobavit opinionem docentem, ad validitatem matrimonii, ſufficere preſentiam Phyſicam Parochi, quæ eſt eadem, ac præſentia materialis, cum ſcilicèt Parochus nihil intellexit.

2194 Inter. 18. Qui alicubi habitat non animo permanendi: poteſtne valide matrimonium contrahere ſub illo Parocho?

Reſp. Certum eſt, quod matrimonium celebrari debet coram proprio contrahentium Parocho, ut decernitur in Concil. Trident. *ſeſſ.* 24: *de reform. cap.* 1. quamquam ſufficiat, ut ſit Parochus viri, vel fœminæ teſte Emm. Sà *verb. Matrimonium ſub num.* 1. Barboſ. *in Collect. ad Trid. loco cit. num.* 14. qui plures concordantes refert, & ego ipſe jam breviter dixi *in tit.* 196. *de Sacramento Matrim. ad Inter.* 8. *in principio Reſponſionis*. Quis autem dicatur proprius

prius Parochus ad hunc effectum, non conveniunt Doctores; Quidam enim cenſent illum dici, in cujus Parochia habitant contrahentes tempore matrimonii. Ita Bonac. *de Matrim. quæſt.* 2. *pun.* 8. *num.* 1. Riccius, Guttierez, & alii apud Barboſ. *loco cit. num.* 5. quibus addo Emm. Sà *ubi ſupra num.* 2. & verb. *Parochus num.* 2. ubi ſic inquit. *Ad matrimonium verò ſufficit vel modica habitatio.* Baſilius Pontius *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 13. §. 1. *num.* 4. Ferentillus *in annot. ad deciſ.* 713. Buratti *num.* 15. & Rota *in Toletana matrimonii* 1625. coram Merlino, nec diſſentit Barboſa *de poteſt. Epiſcopi par.* 2. *alleg.* 32. *n.* 64. cum Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſput.* 23. *num.* 14. Vide eumdem Barboſam *in Collect. Trident. loco ſupra cit. num.* 6. *& ſeq.* Immò Sac. Congregatio apud Pontium *ubi ſupra num.* 5. declaravit ſic. *Proprius Parochus eſt, in cujus Parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur.* Et tamen omnes Doctores fatentur, quod Sponſi Rus profecti recreationis cauſa, non poſſunt ibi matrimonium contrahere: & pro hac communi ſententia Menochius quatuor Sacræ Rotæ deciſiones adducit, teſte Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 231. ergo non ſufficit quædam modica habitatio in aliqua Parochia ad hoc, ut ibi validè quis matrimonium contrahere valeat; quia tale matrimonium non dicitur celebratum coram Parocho ſponſi, vel ſponſæ, ſed requiritur præſentia Parochi, in cujus Parochia contrahentes domicilium habent, quàmvis illud, data opera, habitare incœperint ſimulatè, & animo fraudandi proprium Parochum, ut aſſerunt plures Auctores penes Barboſam *ubi ſupra num.* 8. vel cui principaliter incumbit cura animarum in loco domicilii. Vide quæſo Dianam, qui aſſerit pro hac ſententia adeſſe Rotæ deciſiones, & pro contraria Cardinalium Reſponſiones: addens tamen, *ſed cum de iſtis non conſtet authenticè, à negativa opinione non diſcederem.* Undè ego exiſtimo, in tali caſu, non eſſe licitum matrimoniū celebrare, cum tali dubio coram non Parocho domicilii ſponſæ, vel ſponſi: & poſito, quòd fuerit celebratum, iterandum eſſe ſub conditione, ſaltem mente retenta, coram Teſtibus, & proprio Parocho: ſumus enim in materia de validitate Sacramenti, ideoque in tali dubio tutiorem partem omnino ſequi debemus, & eam amplecti, &c.

2195 Inter. 19. Eſtne validum Matrimonium contractum coram Parocho, qui nondum eſt Sacerdos, vel coram alio Clerico de licentia Parochi?

Reſp. Dico primo: eſſe validum Matrimonium celebratum coram Parocho non Sacerdote, (nam poteſt aliquis eſſe Parochus, etiamſi nondum ſit Sacerdos), quod autem Parochus nō Sacerdos poſſit validè aſſiſtere Matrimonio, tenet Barb. *in collect.* ad Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. Matrim. c.* 1. *n.* 97. allegans pro ſe 23. Doctores, & eſt communis ſententia. Et ratio eſt: quia ipſa aſſiſtentia non eſt ordinis Sacerdotalis functio, & ſic conceditur ei, adhuc non Sacerdoti; Matrimonium verò celebratum coram alio Clerico, nō Sacerdote, etiam de licentia Parochi, eſt nullum omninò, nam ità decernitur in Trid. *loc. cit.* & docet Bon. *ubi ſupra qu.* 2. *pun.* 7. *n.* 16. & alii communiter. Vide Em. Sà *verb. Matrimon. num.* 1. Et nota, quòd Miniſter hujus Sacramenti non eſt Sacerdos, ſed ſunt ipſimet contrahentes, ut de communi teſtatur Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 254. & ego jam breviter dixi *in tit.* 196. *de Sac. Matrim. ad Int.* 5.

2196 Inter. 20. Si Epiſcopus prohibeatne Parochus licentiam alteri concedat matrimonio aſſiſtendi: eſtne validum matrimonium, non obſtante tali prohibitione celebratum coram Sacerdote, de licentia Parochi?

Reſp. Dico quod eſt validum: quia licèt Epiſcopus, aut Synodus Diœceſana prohibeat, ne Porochus facultatem alicui det, aut aſſiſtat, poteſt tamèn utrumque facere, quoad validi-

tatem matrimonii. Sanch. *de Matrim. lib.3.diſp.* 32. *nu.*2. Em. Sà *verb. Matrim. ſub. num.* 1. Bonac. *loco cit n.*18. *Sum.* Diana *verb. Matrim. quoad Parochum ſub num.* 35. Pax-Jordanus *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 74. *& ſeqq.* Caſſianus à S.Elia *in Arbor. Opin. moral. verb. aſſiſtentia* §. 2. *num.* 26. & alii penes ipſos. Peccaret tamen Parochus, & graviter eſſet puniendus. Nota tamen, hoc eſſe intelligendum, dummodò dictæ prohibitioni non ſit annexum Decretum irritans: nam in tali caſu nullum eſſet Matrimonium: & ita decidiſſe Sac. Congreg. teſtantur Sanchez, Diana, & Caſſianus *locis ſupra cit.* Verùm Diana *par.* 10. *tract.* 13. *reſ.* 23. probat Epiſcopum non poſſe concedere leges irritantes, & conſequenter, nec prohibere, ne aliquod Matrimonium fiat, addendo clauſulam irritantem, *ſi ſecus factum fuerit*, &c. & eſt valdè probabile, dummodò non conſtet authenticè alitèr determinaſſe Sac. Congr.

2197 Inter. 21. Eſtne validum matrimonium, de licentia Parochi celebratum ab eo Sacerdote, qui licentiam ſibi conceſſam cognovit per alium, quam per nuncium?

Reſp. Non eſt validum, neceſſarium eſt enim, quod cognoſcat licentiam ſibi datam per nuncium proprium vel per nuncium Parochi. Ita docet Sanch. *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 36. *n.* 8. Bonac. *de Legib. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 3. *num.* 9. & alii. Nam privilegium non prodeſt ante notitiam ejus, quando cōceditur motu proprio, ad inſtantiam alterius, quam privilegiati. Si autem per ſuum Procuratorem, vel nuncium impetret privilagium, tunc enim valet à tempore, quo Procuratori, aut nuncio intimetur. Vide Sanche. *loco cit.* ubi plura ad intentum.

2198 Inter. 22. Ad hoc ut Sacerdos poſſit validè, & licitè aſſiſtere matrimonio, requiriturne licentia expreſſa, & inſcripto, vel ſufficit tacita, & interpretativa?

Reſp. Requiritur omninò licentia expreſſa, & non ſufficit tacita, quæ oritur ex tolerantia, vel ex ratihabitione: Verùm eſt tamen, quod ſi licentia non concedatur in ſcripto, nil obſtat; quia ſcriptura non eſt de eſſentia gratiæ, & privilegii: nec Trident. exigit iſtam facultatem debere dari in ſcriptis: ergo ſi oretenus daretur, profecto valeret: Non eſt tamen facilè credendum partibus aſſerentibus, ſe habere licentiam, niſi certa exhibuerint ſigna, vel aliàs ſint perſonæ magnæ probitatis, ac fide dignæ: ideòque cautè procedendum eſt in dicto caſu, & niſi dicta licentia non ſcripta, teſtibus probari queat, conſultum eſt ea non uti. Vide Bonac. *de Sum. verb. Matrim. quæſt.* 2. *pun.* 8. *num.* 11. & 38. Dian. *in Sum. verb. Matrim. quoad Parochum nu.* 35. Pacem Jordanum *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 7. *num.* 86. Barboſ. *in collect. DD. in Triden. ſeſſ.* 24. *de reform. c.*1. *n.*119. & alios apud ipſos.

2199 Inter. 23. Matrimonium contractum coram Parocho excommunicato vitando, cenſendum eſtne validum, aut nullum?

Reſp. Avila *de cenſur. par.* 2. *cap.*6. *diſp.* 3. *dub.* 1. *concluſ.* 5. nullum, dicit eſſe matrimonium in tali caſu: ſed Bonac. *de matrim. quæſt.* 2. *pun.* 8. *n.* 21. cum Sanchez *de matrim. lib.*5. *diſp.*21. *nu.*4. & aliis multis aſſerit, Parochum non ſolùm excommunicatum toleratum, vel ſuſpenſum ab Officio, vel irregularem poſſe valide aſſiſtere matrimonio; ſed etiam excommunicatum non toleratum, ſeù vitandum, aut ſuſpenſum, vel irregularem: Idem docet *in tract. de cenſ. diſp.* 2. *pun.* 5. *n.*1. apud Dianam *par.* 11. *tract.*4. *reſol.*21. *verſ. Nota verò* & pro hac ſententia, quam etiam ipſe Diana ſequitur, plures concordantes refert. Ergo matrimonium contractum coram Parocho excommunicato vitando, cenſeri debet validum: licèt peccet mortaliter tam ipſe Parochus, quàm contrahentes in dicto caſu, ſi abſque neceſſitate id faciant.

ciant; quià eſt communicatio in divinis, quæ ſub mortali prohibetur. Vide id, quod dixi *tit.* 87. *de Excommunicatione, & excommunicatis, ad Inter.* 5. unde contrahentes, teſtes non ſolùm peccarent mortaliter; ſed etiam minorem excommunicationem incurrerent; quià communicant in divinis cum Parocho excommunicato. Ratio verò, quare ſit validum matrimonium incaſu propoſito, eſt, quià hæc aſſiſtentia, etſi auctoritate publica præſteſtetur, non eſt propriè actus juriſdictionis, cum ſufficienter præſtetur ab invito, quod alienum eſt à juriſdictionis uſu: ſed eſt executio cujuſdam conditionis à Conc. Trident. requiſitæ, pro validitate matrimonii, quæ cum nullibi annulletur facta ab excommunicato vitando, validà cenſeri debet: Immò non ſolùm ipſe Parochus validè aſſiſtit matrimonio; ſed etiam alteri Sacerdoti licentiam concedere poteſt ad aſſiſtendum, etiamſi talis Sacerdos eſſet excommunicatus vitandus, ſuſpenſus, aut irregularis, ſicut eſt Parochus ipſe, propter eamdem rationem; nam talis licentia non eſt propriè actus juriſdictionis, ut bene notat idem Bonac. *ubi ſupra n.* 22. Vide Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 233. *& par.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 78. 79. *&* 80. qui putat, non peccare nec Parochum, nec ipſos contrahentes, quod mihi non probatur.

Quær. An matrimonium ſit validum ſi omittantur denunciationes, & quam pœnam incurrant illas omittentes, & an poſt contractum Matrimonium, ſtandum ſit dicto unius, aſſerentis matrimonium fuiſſe cum impedimento dirimente contractum?

Reſp. Doctores communiter dicunt: validum eſſe matrimonium, quàvis ſine Epiſcopi licentia omiſſæ fuerint denunciationes, & ità declaraſſe Sac. Congreg. teſtatur Villalobos apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 241. qui hanc ſententiam communem eſſe fatetur. Vide Barboſ. *in collect. ad Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 1. *n.* 28. *& ſeqq.* Peccant tamen mortaliter contrahentes, ac etiam ipſe Parochus tali matrimonio voluntariè, & ſcienter aſſiſtendo, & ſeverè puniendus erit; Immò Pignatellus apud Raynaldum *loco mox citando*, ait, illum incurrere ſuſpenſionem ab officio per triennium *in cap. fin. de cland. deſponſ.* indictam; Taliter contrahentes quoque poſſunt puniri pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & aliis pœnis arbitrariis, ut rectè reſolvit Illuſtriſs. & Reverendiſs. Raynaldus Canonicus digniſſimus S. Petri hujus almæ Urbis, vir quippè eminentis literaturæ, & morum ſuavitate ornatiſſimus, *in ſuis obſer. to.* 3. *ad cap.* 22. *Supplet.* 2. *num.* 5. *& ſeqq.* in quibus plura valdè quidem ſcitù digna, more ſuo perdoctè tractat in confirmationem hujus reſponſionis. Tandem dico: non eſſe credendum uni ſoli, etiam juranti eſſe impedimentum poſt matrimonium contractum, quià ſolùm ſtandum eſt dicto unius, quando non agitur de præjudicio alterius, & in dubio præſumendum eſt in favorem Matrimonii, & pro Matrimonio. Ità Menochius *lib.* 3. *præſump.* 1. *num.* 35. *& volum.* 4. *conſ.* 385. *nu.* 2. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 45. *n.* 14. & alii penes ipſos. Vide Em. Sà *verb. matrimonium n.* 15.

TITULUS CCXXIX.

De Validitate Sacramenti Pænitentiæ.

Vide tit. de Attrit. Inter. 2.

2200 Inter. 1. Eſtne validum Sacramentum pœnitententiæ, ſi Confeſſarius dicat, Ego peccator, & indignus Sacerdos abſolvo te non mea poteſtate, ſed auctoritate Chriſti Domini noſtri?

Reſp. Eſſet validum, quia talis additio non eſt aliud, niſi explicatio illius, quod implicitè in verbis formæ

continetur,unde, quia non mutatur eſſentialiter ſignificatio formæ,ideò validum cenſeri debet Sacramentum: Tamen ſic abſolvere nequaquam licet.

2201 Inter. 2. Poteſtne dari aliquis caſus,in quo poſſit pœnitens validè recipere in excommunicatione Sacramentum pœnitentiæ, tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad ejus effectum, ſcilicet gratiæ, & remiſſionem peccatorum?

Reſp. Utique dari poteſt, & eſt quando pœnitens habet ignorantiam invincibilem juris, vel facti, qua neſcit ſe excommunicatum eſſe, vel ſaltem ignorat excommunicatum non poſſe confiteri,niſi prius ab excommunicatione fuerit abſolutus, & ignorat eſſe peccatum mortale, accedere ad Sac Pœnitentiæ ſuſcipiendum cum excommunicatione. Nam in iſto caſu valida eſſet confeſſio, & verum Sacramentum, & per conſequens validè reciperet illud Sacramentum, non ſolùm quoad ſubſtantiam,ſed etiam,quoad ejus effectum. Tolet. *lib.* 3. *c.* 10. *num.* 1. Em. Sà *verb. Abſolutio n.* 16. Navar. *in Man. cap.* 9. *num.*4. Bonac. *de Cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 2. §. 1. *num.*1.*verſ. Reſpondeo*, Cabrin.*de Caſ. reſerv. par.* 1. *reſ.* 58. & alii communiter. Vide Dianam *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 82. qui idem aſſerit, & concordantes refert.

2202 Inter. 3. Sacramentum pœnitentiæ miniſtratum à Sacerdote interdicto:eſtne validum?

Reſp. Confeſſarius ſpecialiter interdictus, excepto caſu neceſſitatis, certò Sacramentum pœnitentiæ licitè adminiſtrare non poteſt:& in hoc Doctores conveniunt, dubitant tamen, an abſolutio impenſa,valida ſit vel nõ, ut videre licet apud Bonac. *de Conſ. diſp.* 5. *pun.* 3. §. 3. *num.* 2. & Dianam *par.* 5. *tract.* 10. *reſ.* 62. Verum, quia Interdictum non privat poteſtate Ordinis, & Juriſdictionis, dicendum videtur, Sacramentum pœnitentiæ adminiſtratum à Sacerdote ſpecialiter interdicto, non eſſe nullum, ſed validum, ut firmat, Bonac. & Diana *locis cit.* quamvis talis Confeſſarius graviter peccet, & fiat irregularis,ſic enim colligitur *ex cap.Is cui,de Sent.Excom. in 6.* & docet Bonac. *ubi ſuprà pun.* 6. *num.* 4. & alii plures: Sed hoc intelligendum eſt, quando pœnitens bona fide accedit ad Sacerdotem interdictũ, & ab illo abſolvitur; nam ſi ſcienter accedat, communicat operi malo, & cooperatur peccato illius, & ſic peccat recipiendo abſolutionem ab eo,& conſequenter reddit eam invalidam ob rationem aſſignaudam *in ſequenti titulo de Validitate Sacramentorum. in Reſp. ad Int.*2. propè finem, ad quam remitto Lectorem.

TITULUS CCXXX.

De Validitate Sacramentorum.

2203 INter. 1. Peccatne mortaliter qui in adminiſtratione Sacramentorum utitur forma, de qua dubitatur inter Doctores, an ſit valida; necne?

Reſp. Certò mortaliter peccat, quia ſe exponit periculo non conficiẽdi Sacramentum, & conſequenter exponit quoque proximum damnationis periculo; Vide, quæ dixi ſupra *in tit.* 102. *de Sacramento Baptiſmi ad Inter.* 3. circa medium, & Bonac. *de Sac. diſp.*2. *quæſt.*2. *pun.*4. *ſub num.*12. *propè fin.*Et nota, quod eſt omninò illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: nec aliter dici poteſt, cum oppoſitum meritò ſit damnatum ab Innoc. XI. ut patet ex prima propoſitione in ſuo Decreto reprobata. Nota etiam id, quod ex Ochagavia docet Dian. *par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 4. *in fin.* ubi ſic inquit. Cum Puer eſt in mortis periculo, poteſt baptizari cum forma dubia, *ſub conditione tamen*, ſi nemo adeſt,qui ſciat formam certam

certam, nec diſſentit Bonac. *loco cit. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 1. *num.* 23.

2204 Inter. 2. Ecommunicatus recipitne validè omnia Eccleſiæ Sacram.

Reſp. Excepto Pœnitentiæ Sacramento, cœtera, quoad ſubſtantiam, validè recipit, ſed non quoad effectum ſcilicet quoad gratiam: nam recipit indignè, & cum peccato mortali, cum in Sacramenti ſuſceptione mortaliter peccet, & conſequenter ponit obicem ad gratiam, & ideò ipſam recipere nequit. Dixi excepto Sacramenro pœnitentiæ, quia reliqua Sacramenta in conferente, ſolùm requirunt poteſtatem Ordinis, quæ ab Eccleſia impediri non poteſt; Sacramentum autem pœnitentiæ, præter poteſtatem ordinis. requirit etiam poteſtatem Juriſdictionis, quæ ab Eccleſia impeditur, & ſubtrahitur inferiori Confeſſario reſpectu excommunicati, & ſic non poteſt ab ullo peccato abſolvi, niſi prius ab excomunicatione liberetur, & conſequenter manente excommunicatione, nec quoad ſubſtantiam validè recipit Sacramentum pœnitentiæ, ut per ſe patet. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. *ſub num.* 3. *&* *cap.* 10. *nu.* 1. & docet S. Thom. *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *artic.* 5. *quæſtiunc.* 1. *ad* 2. & alii plures apud Tolet. *ibidem*. Vide à me dicta *in tit. de Abſolut. à Peccatis, ad Inter.* 7. *& in tit.* 222. *de Validitat. ad Inter.* 2. Vide etiam Bonac. *de cenſur. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 2. §. 1. *num.* 1. *per to:. ubi num.* 3. hanc præterea aſſignat rationem, quod qui ſcienter accedit cum excommunicatione ad Sacramentum pœnitentiæ, committit peccatum mortale, utique illud non recipit, & de hoc ego non dubito, nam ponit obicem ad gratiam, actualiter peccando, ideoquè non recipit Sacramentum pœnitentiæ, nec quoad ſubſtantiam, ut firmat Diana *par.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 82. & alii ab ipſo relati. Vide *ſupra dicto titulo de Abſolut. à peccatis, ad Inter.* 13. Et Reverendiſs. D. Abb. Marcellum Zerbi in *Gemma Epiſcopali tit.* 18. *reſol.* 4. ubi ad propoſitum.

TITULUS CCXXXI.

De Validitate Sponſalium.

2205 INter. 1. Cajus emiſit votum ſimplex caſtitatis, vel ingrediendi Religionem: poſtea contraxit ſponſalia, etiam juramento firmata cum Titia: cenſenda ſuntne valida dicta ſponſalia, vel non?

Reſp. Invalida cenſeri debent, quia Cajus, mediante voto, Deo ſe mancipavit, ideò non poterat contrahere ſponſalia cum Titia ſine culpa lethali; & ejus promiſſio fuit illicita, & conſenquenter non obligat, nec Juramentum debet eſſe vinculum iniquitatis; ſicque tenetur votum ſervare, quia omninò invalida fuerunt ſponſalia. Ita Filliucius, Molfeſius, Sancehz, & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Matrim. diſp.* 1. *pun.* 5. *num.* 15. Si verò ipſe Cajus ob ſtimulos carnis putat, ſe non poſſe continenter vivere, ad Sac. Pœnitentiariam Romanam recurrat, & ab ea diſpenſationem, & commutationem gratis obtinebit, ut ſæpè practicari vidi.

2206 Inter. 2. Sponſalia inter conſanguineos contracta ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit: Suntne valida?

Reſp. Plures Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 290. Panimolla *to.* 1. *deciſ.* 23. *adnot.* 1. *num.* 2. *& ſequent.* & alii apud Sanchez *to.* 1. *de Matrim. lib.* 5. *diſp.* 5. *num.* 5. abſolutè docent dictam promiſſionem eſſe nullam, & conſequenter licitum eſſe utrique contrahenti, ante, & poſt impetratam à Pontifice diſpenſationem, altero invito à ſponſalibus reſilire, etiamſi hujuſmodi promiſſio fuerit juramento firmata. DD. ac hujus opinionis rationes, copioſe refert Sanchez *loco cit.* Valerus *in Differ. utriuſque fori, verb. Matrimonium differ.* 7. per totam, Franciſcus à Victoria *in Summ. de Matrim. num.* 236. Em. Sà *verb. Sponſalia*, & eam probabilem vocat

vocat Sanchez, & Dian. *ubi ſuprà* & alii multi, & reverà eſt probabilis, ſed longè probabilius videtur oppoſitum, ſcilicet hujuſmodi promiſſionem obligare, & neutri, alterò invito, fas eſſe reſilire, ſive ante, ſivè poſt obtentam diſpenſationem, & hanc ſententiam præter DD. quos allegat, & ſequitur Sanchez *ibidem num.* 12. ſequitur etiam Baſilius Pontius *de Matr. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 5. Coninch. *de Sac. diſ.* 29. *dub.* 1. *concluſ.* 5. *num.* 18. Comitulus *in Reſ. mor. lib.* 1. *qu.* 145. *per totam*; Rebell. *par.* 2. *lib.* 2. *qu.* 10. *ſect.* 6. *n.* 46. penes Dianam *loco ſup. cit.* Favet etiã Bonac. *tom.* 1. *de ſponſ. quæſt.* 1. *pun.* 7. *num.* 10. & allii plures, & Mordicus eam ſuſtinet Adrianus *in* 4. *ſent. tract. de Sponſalibus dub.* 10. & probabiliorẽ vocat Sanchez, & meritò: nam ſi pro contraria parte præponderat multitudo Doctorum, pro hac ſuperat rationis vigor, ſiquidem negari non poteſt, quod juſta, & firma poſſit eſſe pactio earum rerum, quæ de ſui natura, nèc malæ ſunt, nec ulli juſtæ legi repugnant, ſed paciſci de futuris nuptiis intèr conſanguineos, ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, nec turpè eſt, nec ullam legem perfringit; Ergo inita de ea re pactio, rata eſſe debet, donec authoritate Pontific. infirmetur. Et eo magis, quia actus factus tempore inhabili, ſed relatus ad tempus habile, valet pro tempore habili, ut communirèr tradunt Juriſperiti, teſte Bonac. Concludendum eſt igitur dicta Sponſalia valere, ac in conſcientia obligare, maximè ſi fuerint juramento firmata: quià juramentum promiſſorium abſque vi, & dolo præſtitum, omnimodè ſervandum eſt, quando ſine peccato ſervari poteſt, nec in alterius detrimentum redundat. Arg. *cap. quamvis, de pactis in* 6. ſed vide Sanchez *loco cit. num.* 12. & 13. qui ad argumenta contraria reſpondet, & rectè quidem. Ne definas videre eumdem D. Abb. Zerbi, *qui ſupra, tit.* 32. *reſol.* 7. ubi, more ſuo, rectè firmat ſententiam noſtram.

TITULUS CCXXXII.

De Validitate Votorum.

2207 INter. 1. Valetne Votum non acceptandi, quantum eſt ex parte ſua, Epiſcopatum, vel aliud publicum officium?

Reſp. Si vovens non habet intentionem contraveniendi voluntati Sũmi Pontificis, aut non acceptandi tempore neceſſitatis, quo tenetur illud acceptare, utique tenet, quia opus perfectionis, & humilitatis eſt non inquirere dignitates, & ſe illis indignum exiſtimare; nam licet Epiſcopatus, ſit opus valdè perfectum, & bonum, tamen major perfectio eſt Epiſcopatum reſpuere, ut docent Sotus, Rodriquez, Sanchez, & Layman, quos refert, & ſequitur idem Bonac. *de Præcep. Decal. diſp.* 4. *quæſt.* 2. *pun.* 1. *n.* 27. contra Navar. *cap.* 12. *n.* 16. Azorium, & alios.

2208 Inter. 2. Eſtne validum votum Caſtitatis, vel Religionis, aut non nubendi emiſſum ab eo, qui eſt proclivis in Venerem, & cui ſalubrius eſt matrimonium inire ob ejus incontinentiam, & lapſum in res venereas?

Reſp. Probabiliter putant quidam, non eſſe validum, quia votum debet eſſe de meliori bono, ſed in hoc caſu non eſt de meliori bono, cum melius, & ſalubrius voventi ſit matrimonium, quàm abſtinentia à matrimonio: ergo cenſeri debet invalidum tale votum. Ità Bonac. *ubi ſupra num.* 26. & alii, quos refert Dian. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 102. & *par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 47. Oppoſitum tamen eſt probabilius, ut docent Sanchez, Pontius, Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 9. quibus adhæret Diana: Unde, ſi ob ſtimulos carnis diffidit poſſe continenter vivere petat diſpenſationem à Sac. Pœnitentiaria, ſi fuit votum caſtitatis perpetuæ, vel Religionis: ſi verò fuit votum non nubendi poteſt ab Epiſcopo diſpenſari,

Digitized by Google

ri, quià non eſt votum integræ, & perfectæ caſtitatis, ut me dixiſſe memini *in tit.* 83. *de Epiſcopatu, & Epiſcopis, ad Inter.* 43. & conſequenter ab Epiſcopo, vel Confeſſario Regulari diſpenſationem, vel reſpectivè commutationem obtinere poterit: nam quod Confeſſarii Regulares poſſint diſpenſare in omnibus votis jure ordinario Epiſcopo reſervatis, probat Peyrinus *tom.* 1. *de Subdito quæſt.* 1. *cap.* 21. §. 1. *verſ. circa autem*, ubi plures concordantes refert. Sed omnino vide, quod dixi ſupra *in tit.* 42. *de Confeſſariis, ad Inter.* 10. ubi etiam dicunt Lezana, & Paſſerinus, tutius eſſe non diſpenſare in votis ſine cõmutatione.

2209 Inter. 3. Eſtne validum Votum nunquam peccandi venialiter? aut nunquam peccandi?

Reſp. Navar. *in Man. cap.* 12. *num.* 65. dicit quod, Votum nunquam venialiter peccandi, & numquam peccandi, non valet, quia eſt de re homini in hac vita impoſſibili, hoc enim nullus viator poteſt citrà ſpeciale privilegium, ſe abſtinere ab omni peccato, ut docet etiam Tolet. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 6. Bonac. *verò ubi ſupra pun.* 4. §. 3. *ſub num.* 4. cenſet, validum eſſe Votum nunquam peccandi venialiter, ſeù nunquam peccandi, quia lex naturalis divina obligat ad omnia peccata vitanda, & omnia peccata poſſe ſub prohibitione Eccleſiæ cadere, & alias affert rationes ad ſuam tuendam opinionem, quæ mihi videntur concludentes: ſed hoc Votum nemini conſulendum eſt, ſaltem ob maximam difficultatem illud ſervandi. Cœterum tale dubium Viris doctis decidendum relinquo.

2210 Inter. 4. Votum, quod fit Sanctis, eſtne validum in ratione voti?

Reſp. Licèt, votum ſit promiſſio deliberatè facta Deo de aliquo meliori bono, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. & alii cõmuniter, ſicut dicam *in tit.* 241. *de Voto, ad Int.* 1. Tamen quià vota, quæ fiunt Sanctis dicuntur fieri Deo; quatenus in ipſis Deus honoratur vel fiunt coram Sanctis tanquàm Teſtibus ad majorem reverentiam, aut tanquam interceſſoribus ad conſequẽdum id propter quod vota fiunt, ideò valida ſunt, & firma eſſe debent, ut benè docet Bonac. *de præcept. decalog. diſp.* 4. *quæſt.* 2. *pun.* 1. *num.* 17. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 4. & alii communiter; nam vota facta Sanctis, ſemper habent reſpectum ad Deum, & illi ſoli fiunt, quia vovemus Deo nos facturos illud, quod Sanctis promittimus. Vide Sylveſtrum *verb. votum* 1. *n.* 3. qui citat D. Th. *ubi ſup. ar.* 5. *ad* 3.

TITULUS CCXXXIII.

De Venditione, & Venditoribus.

Vide tit. de Ebriet. Inter. 6. *tit. de Feſt. dieb. Inter.* 1. 2. *tit. de Monopol. tit. de Negot. Cler. &c. Int.* 4. 5. 6. 7. *tit. de Regul. &c. Inter.* 68. *tit. de Uſura, &c. Inter.* 6.

2211 Inter. 1. Venditores, qui doloſis ponderibus, vel injuſtis menſuris vendunt, ſubtrahentes aliquid modicum à ſingulis Emptoribus, peccantne mortaliter, cum onere reſtituendi?

Reſp. Sine dubio mortaliter peccant, & ſub mortali ad reſtitutionem tenentur: nàm poſito, quod hujuſmodi furta nulli particulari notabilitèr noceant, tamen negari non poteſt, quin noceant toti Communitati: Vide Sanchez *in oper. moral. lib.* 7. *c.* 21. *n.* 12. ubi plures Doctores refert, quibus adſtipulatur Bonac. *de Reſtit. diſ.* 2. *qu.* 8. *pun.* 2. *ſub nu.* 2. & favet Tolet. *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 3. ergò ad reſtitutionem ſub mortali tenentur, ut patet ex Decreto Innoc. XI. citato ſuprà *in tit.* 98. *de Furto, ad Inter.* 4.

2212 Inter. 2. Poteſtne Confeſſarius abſolvere Venditores, qui utuntur falſis ſtateris, & menſuris; & quid fa

cere

cere debet, quando hujuſmodi accedunt ad Confeſſionem?

Reſp. Confeſſarius nullo modo poteſt illos abſolvere, niſi menſuras, & ſtateras ad æqualitatem reducant; nam tales ſunt impœnitentes, ac proindè abſolutio eis impertienda non eſt; ſed tantùm monendum, ut abſtineant ab earum uſu, aut artem dimittant, ſi non poſſunt ſine mortali crimine artem exercere, & tandem, ut reſarciant omne damnum paſſis, ſi eos noſcant, & reminiſcantur; ſed ſi ſpeciales Dominos damnum paſſos invenire, vel reminiſci nequeunt, tunc reſtitutio pauperibus eſt facienda. Vide *cap. Eijciens, cum ibi notatis* 88. *diſt. cap. innotuit. ubi Gloſ. de elect.* D.Tho. 2. 2. *quæſt.*62. *art.*5. *& cap. cum tu de Vſur.* Et Emm. Sà *verb. Falſarius ſub num.*1. *in addit.* Ac denique vide etiam Auguſtinum Matthæucci in *Cautela Confeſſ. lib.*2. *cap.*21. *num.*16. qui rem perdoctè tractat.

2213 Inter. 3. Teneturne Venditores præfati, ſtateras, ſeù menſuras æquare, cum periculo propriæ vitæ, vel famæ amittendæ?

Reſp. Dico, quòd nemo tenetur reſtituere res inferioris ordinis, cum detrimento ſuperioris; ſed fama, & vita præſtant rebus corporalibus; ergò non tenetur quis reſtituere res temporales, & per conſequens menſuras, & ſtateras æquare, cum periculo famæ, vel vitæ ſuæ, ut optimè probat Dominicus Sotus *de Juſtit. & Jure lib.*4. *quæſ.*6. *coll.*10. *verſ. de quibus.* Verùm, ut dixi in præced. Reſponſ. omninò ab earum uſu abſtinere debent, aut artem dimittere, quia potius mori tenemur, quam peccatum mortale committere. Nam ſalus animæ præferri debet Famæ, Vitæ, atque omnibus rebus, ut dicitur *cap. Si habes* 24. *quæſ.*2.

2214 Inter. 4. Peccatne mortaliter, & teneturne ad reſtitutionem, qui vendit vinum aqua perfuſum?

Reſp. Nonnulli Doctores dicunt, hoc minimè fieri poſſe ſine peccato, & conſequenter, qui hoc facit ad reſtitutionem teneri. Alii verò oppoſitum ſuſtinent, docentes poſſe quemvis rem ſuam ad eum ſtatum reducere, in quo ſunt res aliorum, & tunc vendere eodem pretio, quo alii: Unde ſi vino valdè præſtanti miſceatur aliud tenue, vel aqua, aut tritico valdè puro ſecala, ea tamen moderatione, ut non ſint deteriora, quàm quæ ab aliis paſſim venduntur, non eſt peccatum contra juſtitiam, & conſequenter non oritur reſtituendi obligatio. Ita probat Bon. *de contract. diſp.*3. *qu.* 2. *pun.* 6. *nu.* 17. & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *par.*1. *tr.*8. *reſol.*51. Nullum enim damnum inferre videtur Emptori, cum tantùm ei tradat, quantùm meretur, ita videtur excuſandus à reſtitutione, qui vino generoſo apponit aquam, cujus appoſitione, vinum non fit deterius eo, quòd paſſim ab alii venditur, niſi fortè periculum ſit, ut Emptor intentionem habeat illud ſervandi, ſed vinum ſervare nequeat ob aquæ admixtionem. Hactenus Bonac. *loc. cit. ubi ſupra*. Adi ipſum, & non pigebit. Advertendum eſt tamen, ne vinum dilutum, aqua, vendatur iis, qui emunt illud ad medicamenta.

2215 Inter. 5. Peccatne mortaliter, qui vendit triticũ tẽpore Autumni pro pretio majori, quo valiturũ eſt mẽſe Majo?

Reſp. Non peccat, ſi hæc tria concurrant (poſito tamen, quod ſervaturus erat triticum, uſque ad tempus, quo plus ſit valiturum) Primum, quod non accipiat ſummum pretium, itaut ſi in una ejus parte valet decem, & in alia quindecim, & in alia viginti, debeat accipere medium, ideſt quindecim. Secundum, ut de pretio deducat tantum, quantum ſervando diminutum fuiſſet, juxtà Peritorum, & expertorum judicium. Tertium, ut deducat impenſas, quas in ſervando illud uſque ad tẽpus facturus erat. Navar. *in Manip. c.*17. *ſub n.*239. Bonac. *de Contract. diſput.*3. *qu.*2. *punct.*4. *n.*16. qui teſtatur de Communi.

2216 Inter. 6. Eſtne licitum vendere res credita pecunia, pretio rigoroſo, & po-

poſtea illas ſtatim emere numerata pecunia pretio infimo, vel medio?

Reſp. Multi Doctores dicunt, eſſe licitum, modo non interveniat pactum explicitum, vel implicitum de retrovendendo: quia in tali venditione, & emptione, res venditur, & emitur juſto pretio. Ità pluribus citatis, docent Diana *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 29. *&* 58. Bonac. *de contract. diſp.* 3. *qu.* 2. *pun.* 3. *nu.* 20. Verùm hoc eſt intelligendum, dummodò vera, & non ficta emptio fiat, nec palliata uſura intercedat, aliàs diceretur contractus Mohatra, vel ſtocco, ut ait idem Bonac. *loc. cit.* qui nullo modo licet, prout dixi in præcedenti Reſponſione. Vide Navar. *cap.* 17. *n.* 248. *& in princip.* Notandum autem, non poſſe eſſe fictam emptionem; niſi venditori conſtet, emptorem habere firmam intentionem ſtatim revendendi eidem venditori infimo prætio, quod ſupremo emerat, & tunc adeſt quaſi pactum implicitum.

2217 Inter. 7. Poteſtne quivis carius vendere rem, quam alioquin venderetur, aut vilius emere, quam alioquin emeretur, ob præcisè dilatam, vel reſpectivè anticiparam ſolutionem?

Reſp. Per ſe ſimplicitèr, hoc minimè fieri poteſt ſine gravi peccato: quia in venditione, quæ fit credito, vel in anticipata ſolutione, eſt virtuale mutuum, ideòque uſura, ſi quid ſupra ſortem exigatur. Bonac. *ea diſp.* 3. *q.* 2. *pun.* 4. *n.* 13. *&* 20. *in fine.* Dixi, per ſe, & ſimplicitèr: quia aliquando licet rem vendere carius, quam alioquin venderetur, & minoris emere, quàm alioquin emeretur, quando adeſt juſtus titulus; ut mox oſtendam: Dico igitur, poſſe quemvis licitè vendere res illas, quæ communiter credito pluris venduntur, tum ratione lucri ceſſantis, ſeù damni emergentis, tum ratione multitudinis emprorum, tum quia in tali venditione illud eſt juſtum pretium ex communi ementium, & vendentium conſuetudine, & uſu. Ita Em. Sà *verb. Venditio n.* 7. Bonac. *ubi ſupra n.* 17. & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 1. *tract.* 8. *reſol.* 21. Advertendum tamen cum Bonac. & aliis pluribus, quos refert, quando aliquid venditur carius pro damno, lucro ceſſante, & aliis periculis, admonendum eſſe emptorem de hac re, ne invitus emat majori pretio, quàm forſan aliundè emiſſet, alioquin ſibi fieret injuria. Dico 2. quòd aliquando liceat quoque minoris emere anticipata ſolutione; primo fieri poteſt, quando res anticipata ſolutione, minoris emitur, quam valitura ſit tempore traditionis ob lucrum ceſſans, & damnum emergens ex anticipata ſolutione. 2. propter periculum rei non recuperandæ, aut non ſine lite, & expenſis. 3. quando ſic emendo multiplicantur venditores, & ita minuitur pretium. 4. quando cõmunis indigentia, & neceſſitas eſt venditorum, maximè ſi ultro, & rogando offerant merces. 5. quando merces emerentur numerata pecunia tempore traditionis, vilius venderentur propter earum multitudinem, & Venditorum neceſſitates, quæ in cauſa eſſent, ut emptores rogarentur, præſertim ad evitandos ſumptus in eis conſervandis. Vide Bonac. *ubi ſup. nu.* 20. & præſertim Dianam *loc. ſuprac. reſol.* 22. *& par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 28.

2218 Inter. 8. Quotuplex eſt pretium rerum venalium, & ad quid tenentur excedentes illud?

Reſp. Aliud eſt pretium definitum à lege, ſeù a legitimo Superiore; aliud naturale, ſeù vulgare: quod pretium hominum æſtimatione conſtituitur, juxta dictamen rationis, & dividitur in infimum, medium, & ſummum, ſive, ut alii vocant pium, moderatum, & rigoroſum: Qui autem excedit in pretio notabiliter à lege definito, mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. Ita etiam vendentes aliquid ſupra pretiũ rigoroſum, aut ementes infra infimum, ultra peccatum mortale, tenentur ad reſti-

reſtitutionem illius, quòd acceperunt, non ſervata juſta prætii latitudine. Sylv. *verb. Emptio nu. 9.* Em. Sà *eod. verb. n. 2.* & alii communiter, teſte Bonac. *loc. ſupracit. n. 1. & 4.*

TITVLVS CCXXXIV.

De Verbis.

Vide tit. de Beneficiar. &c. Int. 2. tit. de circumſt. pecc. Inter. 22. tit. de Ebriet. Int. 3. tit. de Eccl. Immun. Int. 47. tit. de Infirm. Int. 4. tit. de Relig. Sac. Int. 6. 7. tit. de Sac. Matr. Inter. 11. tit de Sigil. Confeſſ. Inter. 9. tit. de ſollicit. Int. 2. tit de Sponſal. Int. 2. tit. de Val. Sacr. Bap. Int. 4. & ſeqq. tit. de Val. Sacr. Pœn. Int. 1.

2219 INter. 1. Verbum Jocoſum, gratia recreationis dictum, eſtnè peccatum?

Reſp. Non eſt peccatum, prout ex D. Thoma probabiliter docet Em. Sà *in ſuis Aphor. Verb. Verba.*

2220 Inter. 2. Qui ſolùm mentalitèr Divinum Officium dicit, ſatisfacitne præcepto illud recitandi?

Reſp. Ad hoc dubium reſpondet Tolet. *lib.* 2. *c.* 10. *ſub num.* 3. ubi ſic habet. Qui Divinum Officium perſolvunt, non adimplent præceptum recitandi, niſi ore proferant, quantumvis mente laudent: quoniam neceſſaria eſt prolatio vocis: Undè attendere debent, qui muſſitando recitant, ut ſic proferant, ut vox ſit plenè articulata: Et ita quoque docent Canoniſtæ communitèr *in cap. dolentes, de celeb. Miſſ.* teſte Emm. Sà *verb. Horæ Can. n.* 11. Vide Azorium *par. 1. lib. 10. cap. 11. qu. 4.* Peyrinum *tom. 3. privil. Minim. in Conſt. 28. Leonis X. num. 4.* Dianam *par. 2. tr. 12. reſ. 11. & par. 8. tract 7. reſ. 58.* Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 12. num. 31.* & alios penès ipſos.

2221 Inter. 3. Qualis, & quanta debet eſſe vocis pronunciatio in eo, qui privatim Officium recitat?

Reſp. Jam dixi ſupra ad Inter. antecedentem, quod neceſſaria ſit prolatio vocis in recitatione divini Officii: quia eſt oratio vocalis, ut dicitur in *cap. Dolentes, de celebrat. Miſſar.* De oratione autem vocali eſt, ut voce proferatur, & non tantùm mente, & animo oretur; hoc ergo poſito, dico, quod ſufficit, ſi linguam moveat, & labia, ita ut omnia verba diſtinctè proferat, nec eſt neceſſe, ut recitans ſe ipſum recitantem audiat, quia recitatio divini Officii, ſacrificium de fructu labiorum dicitur, non autem aurium. Azor. 1. *par. lib. 10. cap. 11. quæſt. 4.* Graffius *par. 1. lib. 2. cap. 52. num. 21.* Bonac. *de hor. Can. diſp. 1. qu. 3. pun. 2. num. 24. & qu. 4. pun. 2. n. 15.* Diana *par. 2. tract. 12. reſ. 11.* & alii apud Caſſianum à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Audiens, §. 4. num. 32.* Quam opinionem, tantum pro ſcrupuloſis admittit Filliuc. apud Dianam *loco cit.* Alii verò dicunt: quòd talis debet eſſe pronunciatio, ut ſaltem ſe ipſum audiat, vel ab alio audiri poſſit, ſi præſens ibi eſſet, & hoc mihi videtur probabilius. Vide Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 12. num. 31.* Buſemb. *lib. 4. cap. 2. art. 4. num. 2.* & præſertim Dianam *par. 10. tra. 11. reſol. 33. verſ. nota: etiam*: qui pro utraque parte DD. refert. Et hanc poſteriorem ſententiam in praxi conſulo ſequendam cum Caſſiano *loc. cit.* & Diana *ubi ſupra reſol. 33.*

2222 Inter. 4. Quæ verba adhibere debet Procurator, quando contrahit matrimonium nomine alterius?

Reſp. Sanchez *to. 1. lib. 2. diſp. 11. nu. 16.* & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Matrim. qu. 2. pun. 5. n. 11.* dicunt, quod debet adhibere iſta verba. *Recipio te in uxorem nomine Sempronii; vel Sempronius accipit te in uxorem mediante me.*: & fœmina reſpōdere debet. *Ego te mediāte duco Sempronium;* Nam tali pacto ſufficienter conſenſus exprimitur de præſenti, ut neceſſariò requiritur. Inter.

2223 Inter. 5. Eſtne validum matrimonium ſi conſenſus exprimatur per ſigna, nutus, aut ſcriptum, vel neceſſario debet exprimi verbis?

Reſp. Dicunt quidam: quod per *Volo Vis* fit matrimonium, & conſequenter verba ſint neceſſaria ſimpliciter pro expreſſione conſenſus; Tamen dicendum eſt, verba non eſſe de Matrimonii ſubſtantia: alioquin muti non poſſent matrimonium inire, quod eſt falſum; Vide Dian. *par.* 5. *tr.* 6. *reſ.* 9. & 10. Imò *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 248. docet, quòd etiam, qui loqui valet, ſi contraheret matrimonium per ſigna, & nutus, neque venialitèr peccaret, & pro ſe citat Pontium *de Matrim. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 14. Concludendum eſt igitur; ad validitatem Matrimonii ſufficere, quòd conſenſus exprimatur exterius per aliquod ſenſibile ſignum, utpotè verbo, nutu, aut aliquo alio ſigno, vel etiam ſcriptura. Ita docent Navar. *in man. c.* 22. *ſub num.* 20. Victoria *in Sum. de Matrim. n.* 228. Em. Sà *verb. Matrimonium, num.* 10. favet etiam Tolet. *lib.* 7. *c.* 6. *num.* 2. Sylv. *verb. Matrim.* 2. *num.* 7. Bonac. *de Sac. diſp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 1. *nu.* 27. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 31. *à n.* 2. ubi pro utraque parte Doctores refert, *ſed n.* 5. id quod diximus, ptorsùs tenendum eſſe affirmat, & ad argumenta in contrarium ſatis doctè reſpondet. Vide Bonac. *de Matrim. diſp.* 2. *pun.* 1. *n.* 3. 4. ubi *num.* 5. dicit, eſſe peccatum veniale, ſi abſque juſta cauſa contrahatur matrimonium ſine verbis. Idem tenet Sanch. *ubi ſup. nu.* 9.

2224 Inter. 6. Eſtne Validum matrimonium, ſi illud parentes contrahunt pro filiis, ipſis tacentibus, & non contradicentibus?

Reſp. Dico: quòd ſit validum, dummodò fiat in facie Eccleſiæ; hoc eſt, coram Parocho, & Teſtibus, juxtà diſpoſitionem Tridentin. *ſeſſ.* 24. *c.* 1. *de refor.* quia ipſa taciturnitas filiorum accipitur pro expreſſione conſenſus. Ita habetur ex *cap. unico de ſponſ. impub. nu.* 6. Et licèt nonnulli dicant, quod ille textus agat de ſponſalibus dumtaxat, & conſequenter, non poſſit extendi ad matrimonium: tamèn communis ſententia docet oppoſitum, ideoque ſi Pater, vel Mater, aut etiam Tutor, contrahunt præſentibus, & tacentibus filiis, vel cujus curam gerit, validum eſt matrimonium, modo ipſi interius conſentiant; Nam in tali caſu, valet regula illa. Qui tacet conſentire videtur: ipſum enim non contradicere, eſt ſignum ſufficiens ad contrahendum. Favet *cap. honorantur, juncta gloſ.* 32. *qu.* 2. & tenet S. Tho. apud Sylv. *verb. Matrim.* 2. *ſub num.* 7. Navar. *in man. cap.* 22. *n.* 20. Sanch. *de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 23. *n.* 5. & 7. ubi plures concordantes refert, Bonac. *de Matrim. loco ſup. cit. n.* 6. Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 270. & 272. & *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 21. *in princ.* Buſemb. *lib.* 6. *tr.* 6. *cap.* 1. *dub.* 1. *verſ. dicitur quarto,* & *c.* 2. *dub.* 1. *n.* 8. Alloz. *verb. Sponſalia num.* 29. & alii plures penès ipſos: Verum, ſi extraneus reſpondeat pro fœmina tacente, non eſſet validum Matrimonium. Vide Bonac. *ubi ſupra qu.* 1. *pun.* 1. *n.* 11. & *qu.* 2. *pun.* 1. *nu.* 8. Imò Diana, *ubi ſupra par.* 10. *tr.* 13. *reſol.* 21. cum Sanchez *loc. cit.* & aliis putat, quod ſi Tutor, vel Curator reſpondeat pro puella, non ſint valida ſponſalia, vel matrimonium, & rectè hoc probat.

TITULUS CCXXXV.

De Verbis cum Monialibus.

Vide tit. de Abſol. à reſer. ad quæſ. 2. *tit. de Epiſcop. &c. Inter.* 60. *tit. de Regul &c. Inter.* 113. 114.

2225 INter. 1. Poteſtne Epiſcopus excommunicare loquentes cū Monialibus ſuæ Civitatis, vel Diœceſis, quamvis ſint exteri, vel exempti, & licèt loquantur cum Monialibus exiſtentibus in Monaſterio exempto

Regularibus ſubjecto?

Reſp. Utique poteſt punire dictos loquentes cum Monialibus, in quocúque Monaſterio exiſtentibus. Imò Epiſcopus, ut Sedis Apoſtolicæ Delegatus, poteſt etiam dictos loquentes cum Monialibus excommunicare, quià ad ipſum pertinet Clauſuræ cuſtodia, ut habetur ex Triden. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 5. & docet Ugolinus *de poteſt. Epiſc. cap.* 21. §. 2. *num.* 4. & alii communitèr: & licèt Regulares non afficiantur cenſuris ab Epiſcopo impoſitis, quià cenſura fertur in ſubditos: tamen ex vi Decreti Sac. Congreg. ſub Clem. IX. & ab ipſo confirmati, ſecus dicendum eſt, nam Regulares etiam per excommunicationẽ poſſunt coerceri ab Epiſcopo in dicto caſu: & ità patet expreſsè ex præfato Decreto, edito anno 1669. die 2. Maii, & ſic non eſt audiendus Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 48. *verſ. Nota* 9. Sed videndus eſt Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 25. *num.* 36. *propè finem*, ubi teſtatur deciſum fuiſſe à Sac. Congregatione, approbante Urbano VIII. poſſe Epiſcopum tanquàm Sedis Apoſtolicæ Delegatum coercere, & punire Regularem, qui ſine licentia accedit ad colloquendum ad Monaſteria Monialium, Regularibus ſubjectarum, & conſequenter dicendum eſt, poſſe etiam Regulares, in caſu noſtro excommunicare. Vide ſuprà *in tit.* 180. *de Regularibus, ſeù Religioſis, ad Inter.* 113. & tandèm Dianam *par.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 53. *verſ. Sed his non obſtantibus*, qui pluribus relatis, docet totum id, quod in hac reſponſione firmavi. Vide iterum Dianam *loco cit. reſ.* 48. *verſ. Sed ego*, pro majori confirmatione eorum, quæ diximus.

2226 Inter. 2. Prohibitio ſub pœna excommunicationis contrà alloquentes cum Monialibus, afficitne Epiſcopum alterius Diœceſis, ſi loquatur cum Monialibus illius loci, in quo reperitur?

Reſp. Epiſcopi loquentes cum Monialibus illius, non includuntur in edicto illius loci, vel ex conſuetudine, vel præſumpta licentia ipſius Ordinarii, vel quia dum edictum non ligat præferentem, neque debet ligare æqualem. *ex cap. cum Inferior. de major. & obed. & l. penult. ff. de Arbitr.* Ità Pellizarius, & Diana *loco proximè cit. reſ.* 49. *verſ. Nota quarto*; Oppoſitum tamèn ſentit Gratianus apud eumdem Dianam *par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 48. *verſ. Nota quinto*: Nàm Epiſcopus loquens cum Moniali ſinè licentia, efficitur ſubditus Epiſcopi ferentis cenſuram ratione delicti: ergò &c.

TITULUS CCXXXVI.

De Veſtibus Sacris.

Vide tit. de Prælat. Regul. Inter. 18. *tit. de Superſt. Inter.* 5.

2227 INter. 1. Veſtes, & alia, quæ uſui ſacro deputata fuerunt, poſſuntne in profanos uſus converti, &ècontra veſtes profanæ poſſuntne uſui ſacro deſervire?

Reſp. Veſtes, & alia, quæ fuerunt uſui ſacro dicata, par non eſt, ut in profanos uſus convertantur; habetur *ex can. ligna de conſec. diſt.* 1. Itaque ea, quæ dicata immediate fuerunt cultui divino, quando ſunt vetuſtate conſumpta, debent comburi, & cineres in Eccleſia reponi, & non in uſus profanos converti. Ex veſte verò, vel aliis pannis profanis, non eſt illicitum, ut in uſus Eccleſiaſticos convertantur: quia per benedictionem omnis macula, & profanitas tollitur: & ita videtur uſu receptum. Vide Sylveſtrum *verb. corporalia qu.* 3. Azorium *par.* 1. *lib.* 9. *cap.* 9. *quæſt.* 7. *&* 8. Bonac. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *pun.* 4. *num.* 14. & Lezanam *tom.* 2. *verb. Paramenta ſacra num.* 3. *& verb. Veſtes num.* 7. *&* 8. qui pluribus citatis, magis latè docent, ut dixi.

Inter.

2228 Inter. 2. Si aliquis cum veſtibus ſacris aliquod peccatum carnis committeret: teneretur ne hanc circumſtãtiam in Confeſſione aperire? Et an illæ veſtes deberent iterum benedici?

Reſp. Qui Sacris veſtibus indutus, committeret, quod abſit, aliquod carnis peccatum, peccaret ſpecialiter peccato Sacrilegii; ideoque teneretur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire. Immò illæ Veſtes, tamquam pollutæ, deberent iterum benedici, ut de Eccleſia polluta ex concubitu, vel emiſſione ſeminis ſtatuitur. Ità docet Marchantius *in Tribunal. Sac. tom.* 2. *tract.* 7. *tit.* 1. *quæſt.* 2. §. *reſolutione* 2. & ex eo Diana *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 54. & rectè quidem.

TITULUS CCXXXVII.

De Vicariis Capitularibus.

Vide tit. de Paroch. Inter. 28. *tit. de Regul. &c. Inter.* 117.

2229 INter. 1. Quando expirat juriſdictio Vicarii Capitularis? & poteſtne eligi ad tempus determinatum?

Reſp. Si Vicarius fuit electus ad tempus determinatum, eo elapſo, expirat juriſdictio illius; quod autem Vicarius poſſit eligi ad tempus determinatum, declaravit Sac. Congreg. ad petitionem Capituli Salernitani, Teſte Diana *par.* 8. *tract.* 4. *reſol.* 69. Cœterum, quando novus Epiſcopus adeptus eſt poſſeſſionem Epiſcopatus, cum Bullarum oſtenſione, ceſſat poteſtas Vicarii Capitularis, non autem per proviſionem factam de novo Prælato, & litteris expeditis, licèt id teneat Pariſius *in tract. de reſignat lib.* 7. *quæſt.* 23. ubi teſtatur, ita fuiſſe reſolutum à Rota Romana die 29. Junii 1583. nam à dicta deciſione fuit receſſum de menſe Julii ejuſdem Anni, in eadem cauſa, ut refert Gonzalez *in regul.* 8. *Cancel. Gloſ.* 15. §. *num.* 2. *num.* 88. & ita in praxi ſervatur. Vide doctores apud eumdem Dianam *loco cit.*

2230 Inter. 2. Vicarius Capituli, ſede vacante, poteſtne ferre ſententiam degradationis, & actualiliter aliquem degradare?

Reſp. Exequi degradationem actualem nullatenùs poteſt Vicarius, cum hoc ſpectet ſolùm ad Epiſcopum conſecratum. Quòd autem Vicarius Capituli poſſit cognoſcere de crimine merente degradationem, & ferre ſententiam degradationis, affirmat Avila *de cenſur. par.* 4. *diſp. unica dub.* 2. *concluſ.* 4. & in facti contingentia teſtatur, Capitulum Cuzquenſe, ſede vacante, protuliſſe ſententiam degrationis actualis, contra quemdam Sacerdotem propter quoddam enorme homicidium ab eo patratum. Ratio hujus aſſertionis eſt: quia, ut rectè, & luculenter probat Diana *par.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 51. hujuſmodi ſententia non eſt actus ordinis, ſed juriſdictionis; Vicarius autem Capituli, ſede vacante, ſuccedit Epiſcopo in iis, quæ pertinent ad juriſdictionem; ergò ſequitur, talem Vicarium ſententiam degradationis ferre poſſe contra aliquem, & actualem degradationem remittere Epiſcopo viciniori, vel alteri, ut docet etiam Alderete *de Relig. diſcip. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. & 18. Vide Dianam *loco cit.* qui plura congerit ad intentum.

2231 Inter. 3. Mortuo Epiſcopo, poteſtne Vicarius electus à Capitulo, revocare licentiam Confeſſiones audiẽdi Regularibus?

Reſp. Non conveniunt Doctores, nam Marchinus, & alii apud Dianam *par.* 8. *tr.* 4. *reſ.* 48. affirmant, & hoc idem docet noviſſimè P. Auguſtinus Matthæucci *in Officio Curiæ Regularis*, edito hic Romæ anno 1700. advertens, Privilegium Clem. IV. quod pro ſententia contraria affertur cenſeri revocatum per Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. exigens in Regularibus neceſſariam approbationem ab Ordinario, propter clau-

clauſulas : *Non obſtantibus privilegiis &c.* & Capitulum, ſede vacante, venit nomine Ordinarii. Oppoſitum tamen, aliis relatis, ſubſtinet Diana *loco cit.* & egregiè probat, minimè revocatum eſſe, ideo ipſum lege. Vide Auſonium *in ſum.* Diana *verb. Confeſſionis modus num. 33. & verb. Capitulum ſedé vacante ſub num. 17.* Allozam *Verb. Confeſſio ſect. 11. num. 13.* & Bordonum *in Conſil. Regul. reſ. 36. quæſt. 4. num. 24.* & alios quos pro ſua tuenda ſententia refert Diana ea *par. 8. tract. 7. reſ. 94.*

TITULUS CCXXXVIII.

De Vicariis Epiſcoporum.

Vide tit. de Appellat. Inter. 2. tit. de Eccleſ. Immun. Inter. 45. tit. de Fid. profeſſ. Inter. Vlt. tit. de Paroch. Inter. 28. tit. de Regul. &c. Inter. 116.

2232 INter. 1. Vicarius Epiſcopi poteſtne ex generali conceſſione, facultatem audiendi Confeſſiones aliis concedere?

Reſp. Poſſe, dummodò ſit Vicarius Generalis, docent quamplures Doctores, quos refert, & ſequitur Barboſa *in Collect. DD. in Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 15. num. 25.* Vide Sanchea *de Matrim. lib. 3. diſp. 29. n. 14.* Boſſium *de triplici Jubilei privilegio ſect. 3. caſu 2.* Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. alleg. 25. num. 8. in impreſſione Lugdunenſi.*

2233 Inter. 2. Vicario Generali Epiſcopi, competitne, facultas diſpenſandi, & abſolvendi?

Reſp. Niſi ab Epiſcopo ei facultas committatur ſpecialitèr, non competere. Refert à Sac. Congregatione deciſum, Theſaurus *in prax. par. 1. c. 24. verſ. Reſpondeo tertio, in fine.*

2234 Inter. 3. Poteſtne ſaltem Vicarius Generalis Epiſcopi, vigore generalis mandati Vicariatus abſolvere à caſibus, quos Epiſcopus ſibi reſervat?

Reſp. Minimè poteſt, niſi ſpecialis facultas ei attributa ſit ab Epiſcopo, ut docent Rebuffus *in praxi benef. tit. de forma Vicarii n. 179.* Sbrozzius *de offic. Vic. lib. 2. quæſt. 19.* Galletus *in margar. caſ. conſcien. verb. Vicarius num. penul.* Piaſcecus *in praxi Epiſ. par. 2. num. 15. in fine, pag. 106.* Ugolinus *de offic. Epiſc. cap. 4. §. 7. nu. 2. verſ. Poſtremò,* Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par. 3. allegat. 54. num. 116.* Pax Jordanus *tom. 1. ubi ſupra verſ. nec etiam Vicarius. Vide ad Inter. ſequentem.*

2235 Inter. 4. Diximus *in Reſponſione, ad Inter. antecedentem,* quod Vicarius Epiſcopi non poteſt abſolvere à caſibus, quos Epiſcopus ſibi reſervat, niſi ſpecialis facultas ei attributa ſit ab Epiſcopo. Modò verò libentèr ſcirem, an dictus Vicarius Generalis, ſi incidit in aliquem caſum reſervatum, poſſit abſolvi à quolibet Confeſſario ab ipſo ad hunc effectum electo, etiam ſi non habeat facultatem abſolvendi à reſervatis?

Reſp. Si dictus Vicarius habet facultatem ab Epiſcopo, abſolvendi à caſibus reſervatis, unà cum poteſtate ſubdelegandi, poterit uti tali facultate etiam pro ſua perſona, dato quod ipſe incidat in caſum reſervatum à ſuo Epiſcopo. Nam per illam delegationem generalem omnis Epiſcopi poteſtas dicitur illi communicata, & cõſequenter à quolibet ſimplici Confeſſario poterit abſolvi, à peccato etiam reſervato, quià tunc ipſe ei talem facultatem concedit ex vi generalis facultatis, quam habet. Et hoc etiam dicendum eſt de omnibus aliis, qui à ſuo Superiore habent facultatem abſolvendi à reſervatis unà cum poteſtate ſubdelegandi, ut rectè reſolvunt Ugolinus *de poteſt. Epiſc. cap. 39. n. 2. verſ. Contrariam opinionem,* Naldus *in Sum. verb. Caſus nu. 6.* & Floronus *de caſ. reſer. par. 1. cap. 3. §. 1. num. 3.* quos ſequitur Diana *par. 8. tract. 7. reſ. 91. verſ. Notandum. eſt,* & favet Sà *verb. Delegatus, num. 1. & 2.* Vide Dianam *par. 3.*

Digitized by Google

par. 3. *tract.* 4. *reſol.* 142. ubi fuſiori calamo hanc ſubſtinet ſententiam. Idē, pluribus relatis, docet Cabrinus *de caſ. reſerv. par.* 1. *reſol.* 18.

TITULUS CCXXXIX.

De Virginitate.

Vide tit. de circumſt. pec. Int. 10. 11. *tit. de Confeſſ. Sac. Int.* 17. *tit. de ſponſal. Int.* 3.

2236 INter. 1. Quid eſt melius, manere in Virginitate, aut cœlibatu, vel matrimonium contrahere?

Reſp. Melius, ac beatius eſt manere in Virginitate, vel cœlibatu, quàm jungi matrimonio; quare ſiquis dixerit, ſtatum conjugalem anteponēdum eſſe ſtatui virginitatis, vel cælibatus, & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathematizatur per Sac. Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *Can. X.* Itaque Virginitas præfertur conjugio, ut docet S. Thomas. 2. 2. *qu.* 152. *art.* 4. Armilla *verb. Virginitas*, & alii communiter. Etiam apud Etnicos in honore habita fuit. D. Abb. Zerbi *in Gemma Epiſc. tit.* 31. *reſol.* 4. *n.* 3.

2237 Inter. 2. Virgo violenter cognita, mittitne Virginitatem?

Reſp. S. Thomas *in* 4. *diſt.* 33. *q.* 3. dicit, quod virginitatem coram Deo non perdit, ſi violenter ab homine, vel à dæmone incubo, cognita ſit, ſi quantum poteſt renitatur, & conſervet corpus à corruptione, vel ſaltem mentem à conſenſu. Vide Sylveſtrum *verb. Virginitas num.* 6. & Em. Sà *eodem verbo*, ac ea, quæ dixi in *tit.* 60. *de Defenſione Pudicitiæ, ad Int.* 1. Cæterum virginitas materialis amittitur, ſed non formalis virginitas coram Deo, ut docet S. Magiſter *loco cit.*

2238 Inter. 3. Vir, aut puella amittitne virginitatem per ſolam pollutionem voluntariam, ſcilicèt prima vice ſe polluendo? & teneturne hanc circumſtantiam in confeſſione aperire?

Reſp. Per omnem voluntariam pollutionem amittitur virginitas: unde vir, aut puella, qui prima vice voluntariè ſe polluit, amittit quamdam integritatem naturalem, & formaliter amittit virginitatem ipſam, hoc eſt virtutem virginitatis, & ſpecialem quamdam gloriam, quæ appellatur laureola virginitatis: quæ omnia amittit irreparabiliter, in æternum. Videatur Cajet. *in* 2. 2. *qu.* 154. *art.* 6. Sotus *diſſ.* 49. *qu.* 5. *art.* 1. *col.* 4. Sylveſter *verb. virginitas num.* 3. Emm. Sà *eodem verbo*, & *ibi Victorellus*. An verò teneantur in confeſſione hanc circumſtantiam explicare? puto non teneri: quia licèt per primam voluntariam pollutionem perdatur virginitas, prout eſt virtus; non autem prout dicit integritatem ſignaculi, ſi loquamur de Puella, & à fortiori idem dicendum eſt de viro. Vide Dianam *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 10. & 11. *verſ. Et tandem.* Et nota, quod quando vir primo defloratur, nō dicitur ſtuprum; nam ſtuprum eſt virginis fæminæ defloratio, ut docet Toletus *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 1. in princip. & alii communiter. Vide Bonac. in *tract. de Peccatis*, *diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *num.* 7. & *num.* 2. idem afferentem.

2239 Inter. 4. Monialis vidua, aut corrupta, poteſtne eſſe Abbatiſſa, vel Prioriſſa?

Reſp. Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 22. probat, ad Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ munus non deſiderari Virginitatem; idem etiam Portellus *in dub. Regul. verb. Abbatiſſa n.* 10. Rodericus *in comp. qq. Regul. reſ.* 2. *num.* 26. Suarez *de Relig. tom.* 4. *cap.* 6. *num.* 16. & alii, qui omnes putant, ubi mos nō ſit impartiendi Abbatiſſis ſpecialem benedictionem, ſeu conſecrationem, excludi non poſſe ab Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ officio. Oppoſitum tamen mihi magis probatur, quod tuentur Barboſa *de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 100. *num.* 14. Lezana *par.* 1. *to.* 1. *cap.* 26. *n.* 5. Diana *par.* 3. *tra.* 2. *reſ.* 99.

quos

quos refert, & ſequitur idem Barboſa *ubi ſupra*, & in Collect. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 7. *num.* 3. & ità refert deciſum à Sac. Congregatione in unà Sarzanen. 15. Julii 1616. Sellius in *ſelect. can. cap.* 29. *num.* 8. Idem aſſerit Caſtellinus *de elect. cap.* 17. *num.* 5. 14. & 17. ſub his verbis: *Si Vidua Monaſterium aſſumat, ad Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ munus obeundum, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, eligi non poſſe*: Dico igitur, quaſcumque, quæ Virgines non ſunt, excludi ab Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ officio; Nam indecens eſt, non Virginem præeſſe Virginibus, cum illis vix poſſit perſuadere Virginitatem. Unde, dato caſu, quod Monialis corrupta occultè eligeretur in Abbatiſſam, tenetur ſe excuſare, prout melius potuerit, ne ſuum defectum prodat; & interim officium non acceptare. Vide Em. Sà *verb. Conſecratio n. 6.* qui loquitur de conſecratione Virginum.

TITULUS CCXXXX.

De Virogomia.

Vide tit. de Infam. Int. 2.

2240 INter. 1. Quid eſt Virogomia, & quo jure eſt prohibita?

Reſp. Virogomia eſt, quando fœmina matrimonium contrahit cum pluribus viris, quod quidem jure naturæ eſt prohibitum, cum repugnet fini primario matrimonii, qui eſt procreatio prolis. Et poſito, quod proles naſcatur, non benè educabitur, propter ejus incertitudinem: ideòque in hoc nunquam diſpenſatum fuit ſicut diſpenſatum legimus in veteri lege quoad pluralitatem uxorum. Vide Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſput.* 80. *nu.* 4. Bonac. *de Matrim. diſp.* 3. *punct.* 10. *nu.* 9. & eſt communis ſententia.

2241 Inter. 2. Uxor, quæ celebravit matrimonium cum ſecundo, credens priorem virum eſſe mortuum, teneturnè recedere à ſecundo, ſi cognoſcit, vel dubitat poſteà priorem virum ſuperſtitem eſſe?

Reſp. Si certò ſciat, priorem virum ſuperſtitem eſſe, abſque dubio tenetur à ſecundo recedere, aliàs mortaliter peccat petendo, vel reddendo debitum conjugale: quia matrimonium inter eos non eſt validum, ut habetur *in can. ſi virgo*, 34. *qu.* 2. Si verò ei certò non conſtat priorem virum ſuperſtitem eſſe, ſed tantùm dubitat, licèt non poſſit exigere debitum, tenetur tamen illud reddere ſecundo conjugi petenti, quià hic habet jus illud petendi: nec tenetur credere conjugi dubitanti invalidum eſſe matrimonium, niſi adſint ſufficientes conjecturæ in contrarium, quæ æquivalent probationi, vel ſaltem, qui dubitat, nullo modo poſſit deponere dubium. Navar. *in man. c.* 22. *num.* 54. Sanch. *de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 41. *n.* 42. & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Matrim. quæſt.* 3. *pun.* 10. *num.* 17. Em. Sa *verb. debitum num.* 7. Cæterum, non tenetur credere, aut dubitare ob unum ſolum teſtem; unde poteſt etiam petere deponendo dubiũ practicè. Vide *cap. Inquiſitioni* 44. *de ſent. excom.* & Sà *loc. cit.* & alios apud ipſum, & iterum Navar. *in man. c.* 16. *n.* 40.

TITULUS CCXLI.

De Viſitatoribus.

Vide tit. de Cap. Sede vacante Int. 3. *tit. de Decr. Int.* 1. *tit. de Præl. Regul. Int.* 118.

2242 INter. 1. Poteſtne Epiſcopus viſitare Confraternitates, auctoritate Papæ inſtitutas, & quid de Confraternitatibus laicorum, exiſtentibus in Eccleſiis Regularium exemptorum?

Reſp. Poteſt viſitare Confraterni tates

Digitized by Google

tates auctoritate Epiſcopi fundatas, ac etiam auctoritate Romani Pontificis inſtitutas,ut ex aliis firmat Barboſ. *par.3. alleg.75.n:23. de Poteſtate Epiſc.* & in Trid *ſeſſ.22. de reform. cap.8. num. 23. & ibid. nu. 24.* addit, poſſe Epiſcopum viſitare Confraternitates perſonarum Sæcularium in Eccleſiis Regularium exemptorum,quoad perſonas:Quoad alia verò diſtinguendum eſt cum Paſſerino *de ſtatib.tom.3.quæſt. 189. artic.10. inſpect. 10. à num.* 1011. Si Confraternitates habent proprios redditus, poteſt Epiſcopus eas, & earum reddituum adminiſtratores viſitare, computa habere, & qualiter ejus bona diſpenſentur inquirere, & judicare, & ſi hujuſmodi bonorum adminiſtratores Regulares ſint, alias exempti,quia quatenus ſunt adminiſtratores reddituum, & bonorum Confraternitatis laicorum, quæ exempta non ſit, vel Hoſpitalium, aut aliorum locorũ ſimilium, ſubjiciuntur juriſdictioni Epiſcopi. Verùm, ſi Confraternitates perſonarum Sæcularium nullum habent redditum, Paſſerinus *num.* 1113. refert ex Lezana Sac. Congreg. Epiſc. & Regul.31. Regul. 1642. declaraſſe, Ordinarium non poſſe viſitare Confraternitatem quandam erectam in quadam Eccleſia Dominicanorum, qui faciebant totam expenſam Altarium prædictæ Confraternitatis, eo quod ipſa nullos redditus haberet, ſed totam facultatẽ viſitandi dictam Confraternitatem,apud Superiores Monaſterii manere, etiam quoad Altaria Confraternitatis hujuſmodi intra Eccleſias Regularium poſita. Vide Paſſerinum *ubi ſuprà.* Sed præcipuè circa Altarium viſitationem extat Epiſtola à Sacr. Congregatione Epiſcop., & Regul. ſub die 14. Novembris 1698. directa Epiſcopo Ciratenſi, prout ſequitur: *Queſti Eminentiſſimi miei Signori mi hanno comandato di ſignificarle, che da queſta Sagra Congregatione de' Veſcovi, e Regolari, è ſtato più volte riſoluto,che gli Ordinarii poſſino viſitare le Confraternite de' Laici erette nelle Chieſe de' Regolari, e d'altre perſone eſente, non ſolo quanto agli beni, & entrate loro,con rivedere i conti,mà anco le Cappelle ſteſſe in quanto à quello,che riguarda l'amminiſtratione, & altri oblighi perſonali, che ſpettano alla Compagnia, e Confrati aſcritti à quella, cioè in riconoſcere, ſe l'entrate, & Elemoſine, che ſi danno per adornare, e mantenimento della Cappella, e per accreſcere ivi il culto Divino, e devozione del Popolo, ſiano ſpeſe fedelmente, e con effetto ſi impieghino ad utilità, e in beneficio della detta Cappella, e non in altri uſi, non toccando però il reſtante, che ſpetta alla cura, e total'amminiſtratione de' Frati, e Regolari, che ſono padroni di tutto il Corpo della Chieſa,dove ſono dette Cappelle, e Confraternite, come gli Altari, Imagini, e altre coſe materiali affiſſe, & utenſili ſacri applicati à quelle, ſopra de' quali nè i Veſcovi, nè altri Ordinarii hanno da ingerirſi, nè uſare alcuna giuriſdittione,ò ſopraintendenza,ò ſegno tale, che non l'è permeſſo uſar alcun'atto giuriſdizionale nelle ſudette Chieſe de' Regolari fuora di quanto ſi è detto di ſopra.Onde V.S. doverà governarſi in queſta conformità, che tale ſempre è ſtato il ſentimento della Sagra Congregatione.* Denique Lezana *tom.1. par. 2.cap.15. n.* 27. excipit à Viſitatione Epiſcoporum Confraternitates,quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, & docet cum Barboſ. in Trident. *ſeſſ.22. cap.8. n.27.* & aſſignat rationem.

2243 Inter. 2. Poteſtne licitè Epiſcopus, aut alius Viſitator,in viſitatione recipere xenia? & quam pœnam incurrunt illa accipientes?

Reſp. Pro indubitato haberi debet, non poſſe Epiſcopum, aut alium Viſitatorem, vel quemlibet ſuorum quidquam, nec pecuniam, nec munus quodcumque ſit, & qualitercumque offeratur, accipere: non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili in contrarium, niſi procurationem, quæ ſit pro victu illius diei,

Digitized by Google

ſive ſit in victualibus, ſive in pecunia, de voluntate viſitati, cum ſit in ejus optione. Si verò non poſſit Epiſcopus una die viſitationem explere, pluribus diebus eſt procurandus, juxtà *cap. Placuit* 1. *quæſt.* 2. & docent Innocentius, & Hoſtienſis apud Sylveſt. *verb. Viſitatio ſub num.* 5. Epiſcopus, aut quivis alius ex ſuis, ſi aliquid acceperint, tenentur duplum intra menſem reſtituere illi Eccleſiæ, à qua illud acceperint. Quod ſi Epiſcopus id non faciat, ipſo facto remanet interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ: alii verò remanent ſuſpenſi ab officio, & beneficio, donec duplum reſtituant. Ita habetur *ex cap. Exigit* juncto *cap. Felicis, & cap. Romana,* §. *Procurationes, de cenſib. in* 6. & ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 3. & ibi Barboſ. *in Collect. n.* 26. *& ſeqq.* & docent etiam Sylveſter *loco citato.* Toletus *lib.* 1. *cap.* 48. *n.* 13. Bonac. *de cenſur. diſput.* 3. *qu.* 5. §. 2. *n.* 20. Theſaurus *in praxi par.* 2. *verb. Viſitatio cap.* 2. Lezana *to.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *n.* 68. Nicolius *in Floſc. verb. Viſitatio Ordin. ſub n.* 10. *& ſeqq.* & alii communiter. Vide Emm. Sà *verb. Suſpenſi ipſo jure n.* 15. & Bonac. *n.* 15.

2244 Inter. 3. Prælati, qui Jure Ordinario viſitant, teneturne ſub pœna ſuſpenſionis, vel interdicti ad reſtitutionem dupli, ſi aliquid à Communitate, ſeù à Laicis acceperint?

Reſp. Mihi videtur dicendum teneri. Et ratio eſt, ut ait Bonac. *loco cit. n.* 6. quia *in cap. Romana.* Abſolutè loquitur, & ad illius confirmationem editū fuit *cap. Exigit loco ſup. cit.* in quo pariter reprobatur remiſſio, & cōdonatio dantium, quod eſt ſignū reſtitutionē dupli eſſe faciendam; quamvis res ab Eccleſia acceptæ non fuerint, ſed ab alio, nempe Communitate, aut Laicis. Verum, ſi in aliquo loco conſuetudo invaluit, ut victualia præſtentur à Communitate, talis conſuetudo ſervanda erit, licèt liberum remaneat ipſi Communitati, victualia præſtare, vel pecuniam loco victualium tribuere, ut decernitur in Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 3. Quod ſi Communitas, ſeù Laici etiam ſtante conſuetudine, victualia dare recuſant, cogendos non eſſe, referunt deciſum à Sac. Congreg. Barb. *de poteſt. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 73. *num.* 53. Franciſc. Leo *c.* 16. *Theſ. fori Eccleſiaſt. par.* 2. *nu.* 33. & alii teſte Bonac. *ubi ſupra n.* 13.

2245 Inter. 4. Viſitatores delegati, ſi aliquid receperint à Viſitatis, præter victualia: ſubiiciunturne illis pœnis, quibus ſubiiciuntur Prælati, qui Jure Ordinario ſuos viſitant ſubditos?

Reſp. De pœnis, quas incurrunt Prælati, quibus ex officio competit viſitare, jam dixi *in Reſponſione ad Int.* 2. *& 3. dicam etiam in Reſponſione ad Inter. ſequentem,* ubi, *ex cap. Exigit, juncto cap. Felicis, & ex cap. Romana* §. *Procurationes in* 6. cum Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de refor. cap.* 3. & Doctoribus ibidem citatis, firmi, teneri infra menſem ad reſtitutionem dupli; alioquin menſe elapſo, ſi fuerit Patriarcha, Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. Si verò fuerit inferior Epiſcopo, ſuſpenditur ab Officio, & Beneficio, nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeù gratia valitura. Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 48. *n.* 13. Nunc autem, ut ſatisfaciam præſenti petitioni, dico, Viſitatores delegatos, dictis pœnis nō ſubijci, accipiendo aliquid in viſitatione, quia revera non dicuntur jure ſuo ordinario viſitare ſuos ſubditos, ut loquuntur præfata Jura, quæ ſolùm ſubijciunt dictis pœnis illos Prælatos, quibus ex officio competit viſitare; ergo cum verba diſpoſitionis non conveniant Viſitatoribus delegatis, qui jure ordinario non viſitant, neque ipſa diſpoſitio convenire poteſt. Ita aliis allegatis, reſolvit Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *par.* 4. *n.* 6. Verum eſt tamen, quod mortaliter peccant, & ad reſtitutionem tenentur, quia non

licet

licet eis recipere aliquid ultrà taxam, alioquin melioris eſſent conditionis, quàm ipſi delegantes; Nam pauperes potius ſunt ſublevandi, quàm onerandi: & ſic dicendum eſt, eos peccare mortaliter, & ad reſtitutionem teneri: Lædunt enim proximum contra Juſtitiam, cum injuſtè accipiant, quidquid præter victualia accipiunt; Undè optimè inquit Emm. Sà *verb. reſtit.* quòd, qui ab aliquo per metum incuſſum aliquid extorſit, *vel non audente negare ob reverentiam;* ad reſtitutionem teneatur. Ultrà quòd, cum ipſi in actu Viſitationis ſint Judices, ſunt inhabiles ad recipiendum munera; & quidquid eis donatum fuerit, conſequenter ad reſtitutionem tenentur, niſi parvitas materiæ illos excuſet, ut patet *ex l. plebiſcito* 18. *de Offic. Præſidis, & l. ſolent* 3. *fin. de Offic. Proconſulis.* Vide Sylveſt. *verb. Judex* 1. *quæſt.* 8. *& cap. Statutum, de reſcriptis in* 6.

2246 Inter. 5. Includunturne in ſupradicta prohibitione eſculenta, & poculenta, ſcilicet comeſtibilia, & potabilia ex mera liberalitate oblata & non petita?

Reſp. Dicunt quidam: quod non, quia iſta dicuntur xenia moderata, *cap. de Eulogiis, diſt.* 18. & ſic ibi omnibus licitè recepi poſſint, juxtà Gloſ. *in cap. Statutum de reſcript. in* 6. *& legem Plebiſcito, ff. de offic. Præſidis.* Sed, an ſint moderata ad arbitrium boni viri relinquunt. Hoſtienſis relatus à Sylveſtro, *ubi ſuprà verb. Viſitatio ſub nu.* 6. *propè finem,* & facit *l. ſolent, ff. de offic. Proconſul.* Dicunt igitur: quod parva eſculenta, & poculenta, ac etiá xeniæ, ſeu eulogiæ, ideſt munera parva, penſata qualitate dantis, & recipientis, & humanitatis, aut urbanitatis gratia data, licitè recepi poſſunt; nam favet Gloſ. *in cap. Romana, verb. Aliquod munus, & in cap. Exigit verb. Munera, de cenſibus in* 6. ubi dicit, quod iſta parva munera non valent, de ſe movere animum, nec avaritiam ſapiũt, nec pauperiorem reddunt offerentem. Vide S. Antoninum 3. *par. tit.* 20. *c.* 5. §. 5. *not.* 19. Sanchez *in opuſc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 18. Alterium *tom.* 2. *diſput.* 13. *ca.* 6. *col.* 3. Peyrinum *tom.* 1. *privil. Minim. in Conſtit.* 14. *Leonis X.* §. 2. *n.* 7. Lezanam *tom.* 2. *verb. Judex ſub n.* 16. & tandem ea, quæ docet D. Meus de Zaulis Epiſc. Verulanus, dignè propter ejus egregias dotes in hac Alma Urbe, ac meritò Viceſgerentis munere decoratus. Vide igitur ipſum *in obſer. can. &c. tom.* 1. *obſerv. ad rubr.* 6. *lib.* 1. *num.* 52. qui Concordantes refert. Oppoſitum tamẽ ſentiunt Joa: Monachus, Joa: Andreas, Franchus, & Geminianus, quos dat, & ſequitur Theſaurus *in praxi par.* 2. *verb. Viſitatio cap.* 2. *ſub verſ. Limitata primo.* Jo: Monachus apud Sylveſtrum *loco ſupracit. num.* 6. concedit poſſe recipi ea eſculenta, & poculenta, quando ſunt ibi comedenda, ſed ſi ſunt portanda, periculum eſt illa recipere, ut aliquos Capones, caſeos, vel flaſcos vini. Ita ille. Idem docent alii apud Barboſ. *in Trident. loco ſupracit. num.* 26. Imò ibidem Gennenſis advertit, quòd nec fragmenta notabilia ad domum portare poteſt pro erogando pauperibus, ſed teneri illis diſtribuere, qui ſunt in illo loco, quem viſitat, & *num.* 5. dicit, quòd Epiſcopus etiam finita Viſitatione, dum diſcedit à locis viſitatis, recipere non poſſit munera. Vide Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 3. *qu.* 5. *pun.* 4. *ſub n.* 2. Quare concludo, conſultum eſſe, ut Viſitans ab omni munere ſe abſtineat, quia beatus eſt, qui excutit manus ſuas ab omni munere: *cap. Nonnulli* 1. *quæſt.* 1. & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Vide Pacem Jordanum *tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 10. *de juſtitia nu.* 11. & de Zaulis *loco ſupracit. nu.* 44. nam munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum. Deuter. *cap.* 16. *Exod. c.* 23. *Eccleſiaſt. cap.* 20. *lib.* 1. *Regum cap.* 8. *& Job c.* 15. ergo, &c.

2247 Inter. 6. Teneturne Epiſcopus, aut alius Viſitator reſtituere duplum, ante

ante vel poſt ſententiam Judicis?

Reſp. Dicunr aliqui, quod lex pœnalis non obligat in conſcientia ante Judicis ſenrentiam. Ita Salonius 2. 2. *qu.* 62. *art.* 3. cum S. Thoma, Cajetano, & communi, reſte Emmanuele Sà, *verb. Lex propè finem ſub n.* 33. *in Addit. & in verb. Pœna ſub num.* 1. ubi citat Molinam, Azorium, Covar. & Navar. *in Man. cap.* 25. *quæſt.* 2. nam tenent, quod pœnam in foro conſcientiæ, nemo debet, donec condemnetur, juxtà Gloſam ſolemnem, & receptam *in cap. Fraternitas* 12. *qu.* 2. Navar. *conſ.* 8. *de teſtam. n.* 4. *& conſ.* 3. *de cenſib. & exact. n.* 5. Excipiunt tamen, niſi pœna ſit hujuſmodi, quæ ſecum traheret executionem, ut v. g. excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, & irregularitas, quæ quidem quando imponunrur ipſo facto, vel ipſo jure, ſtatim patrato delicto incurruntur, abſq; alia Judicis ſententia. Verum, in caſu noſtro non militat hæc doctrina, quia, ut dixi *in tit.* 185. *de Reſtit. accepti, ad Int.* 8. Lex impediens dominium rei, ſeu translationem dominii fructuum, aut cujuſcumque alterius rei, non eſt merè pœnalis. Optimè igitur docet Theſaurus *in praxi par.* 1. *cap.* 37. *ſub limita primo*, inquiens: Tenetur Reus ſolvere pœnam, v. g. dupli, & ſimiles, quando lex id præcipit expreſsè, ut cum utitur particula obligationem ſignificante, vel cum prohibet eum abſolvi, ante dupli reſtitutionem, quia licèt illa pœna non ſit latè ſententiæ in eo caſu, ut eo ipſo transferat dominium in adverſarium, &c. tamen in hoc caſu vigore præcepti, obligatur Reus ad executionem pœnæ ante omnem ſententiam, & illud præceptum habet vim ſententiæ condemnatoriæ ſpecialis, & habes exemplum infra *par.* 2. *verb. Viſitatio cap.* 2. Hactenus Theſaurus.

2248 Inter. 7. Notarius Viſitatoris, poteſtne licitè aliquid recipere à Viſitatis?

Reſp. Bonac. ubi ſuprà *num.* 8. dicit, quod familiares Viſitatorum ſubjiciuntur pœnis ſuprà recenſitis, & rectè dicit: quia patet expreſsè *in cap. Romana, in cap. Exigit*, & in Concil. Trid. *loc. ſupra cit.* Sed hoc intelligit de Notariis, aliiſq; Familiaribus Prælatorum Jure Ordinario viſitantibus; conſequenter dicendum eſt Notarios Viſitatorum, qui Jure Ordinario non viſitant, non comprehendi: ſed solùm peccare mortaliter, & ad reſtitutionem teneri, ut dictum eſt ſupra de Viſitatoribus delegatis, quamquam puto eis licere competentem mercedem accipere pro copia actorum, ſeu decretorum viſitationis ab iis, qui ea petunt, præſertim ſi nullum ſalarium recipiant. Ita docent Navar. *conſ.* 1. *de cenſib. in nouis* idem Bonac. *loc. cit. n.* 2. *prope finem*, & Barboſ. *de poteſt. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 37. *n.* 44. & in Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 3. *n.* 19. *&* 20. Vide Sylveſt. *verb. Viſitat. n.* 5. Em. Sà *de Notario, ſeu Tabellione n.* 8. & alios citatos ſupra.

2249 Inter. 8. Si familiaris, aut famulus Epiſcopi, vel alterius Viſitatoris accipit munera in actu viſitationis: teneturne reſtituere duplum Epiſcopus, & Viſitator, vel ipſe familiaris, vel famulus?

Reſp. In Extravag. unica *de cenſibus* ſtatutum fuit, ut ſequitur; *Si quid ultra taxam receperint, duplum reſtituere teneantur Eccleſiæ eidem Viſitatores, quod ipſi, vel ipſorum familiares ipſis Viſitatoribus ſcientibus, vel ratum habentibus: familiares verò, quod Dominis ignorantibus acceperint, de ſuo proprio.* Vide Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 3. *qu.* 5. *pun.* 4. *n.* 18.

2250 Inter. 9. Poſſuntne abſolvi præfati Viſitatores, reſtituto tantùm ſimplo?

Reſp. Emm. Sà *verb. Suſpenſi n.* 13. ſic inquit, in caſu noſtro. Qui viſitans exigit pecuniam, vel munera, vel a non viſitatis, procurationem. Si Epiſcopus ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi inferior, ab officio, & beneficio uſq;

dum

dum reſtituat duplum: quod ſi abſolvatur à potente abſolvere, non tenetur ad duplum. Et Navar. *conſ.* 11. *de conſecr. Eccleſiæ nu.* 3. ait, Viſitatorem concuſſorem poſſe abſolvi à peccato, non ſoluta pœna, ac etiam ab excommunicatione, quam haberet annexam, & hanc doctrinam fatetur didiciſſe à Franciſco Aretino, & in Man. *cap.* 23. *n.* 66. idem aſſerit; ſed hæc Doctrina eſt contra communem ſententiam Doctorum, ideò nullo modo ſequenda.

TITULUS CCXLII.

De Voto.

Vide tit. de Circumſt. pecc. Int. 15. 16. *tit. de Confeſſar. Int.* 18. *tit. de Deb. conjug. Int.* 6. 7. 8. 9. *tit. de Differ. Inter.* 25. 26. 27. *tit. de Diſpenſat. Inter.* 5. 6. 7. *tit. de Divort. Int.* 11. *tit. de Epiſcopat. &c. Inter.* 5. 43. 44. 45. 46. 47. *tit. de jejun. Int.* 31. 32. *tit. de Irrit. Vot. tit. de Jubil. Int.* 11. *& ſeqq; tit. de Met. Int.* 1. *tit. de Papa, &c. Int. ult. tit. de Peccat. Int.* 11. 12. 13. 14. *tit. de Præl. Regul. Int.* 8. *tit. de Puer. Int. ult. tit. de Regul. &c. Int.* 26. 57. 61. 71. 75. 119. *tit. de Sacram. Ord. Int. ult. tit. de Val. Sponſal. Int.* 1. *tit. de Val. Vot.*

2251 INter. 1. Quid eſt Votum?

Reſp. Votum eſt voluntaria, & deliberata promiſſio facta Deo de aliquo meliori bono. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 1. Bonac. de Præceptis Decalogi *diſp.* 4. *qu.* 2. *pun.* 1. *n.* 1. qui teſtatur de communi. Abb. Zerbi *in Gemma Epiſ. tit.* 28. *reſol.* 1.

2252 Inter. 2. Teneturne ſervare votum, qui paſſione aliqua motus, celeriter, & inconſideratè vovet?

Reſp. Si irà celeriter, & inconſideratè vovet, ut non habuerit uſum rationis, cum talem actum emiſerit, non verè vovet, ac proinde non tenetur votum ſervare; Debet igitur eſſe talis uſus rationis, ut ſufficiat ad peccatum mortale. Tolet. *ubi ſupra.* Bonac. *ibidem ſub num.* 3. dicit tamen, quod raró accidit, ut vovens non habeat plenam animadverſionem, & deliberationem nec ſufficit ſtatim ſe pœnitere de Voto emiſſo: Adi ipſum, & non pigebit. Verum eſt tamen, quod nec motus primo primus, nec ſecundo primus ſufficit ad Votum faciendum, ut benè obſervat Tolet. *loco cit. num.* 2: ſed vide Sylv. *verſ. Votum* 2. *num.* 3. & Abb. Zerbi, *qui ſupra reſol.* 5.

2253 Inter. 3. Qui dubitat, an Votum factum ſit ex ſufficienti deliberatione, vel non, teneturne ſervare Votum?

Reſp. Baonac. *ubi ſupra eo num.* 3. inquit, quod in tali caſu judicandum eſt ex ſufficienti deliberatione factum fuiſſe, & conſequenter ad Votum ſervandum teneri, quia poſſeſſio ſtat pro Voto, quod conſtat factum fuiſſe; & dubium eſt de illius excuſatione: Alii verò apud Dianam *par.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 45. docent, in dubio obligationis Voti, Votnm non obligare. Sed prima ſententia eſt probabilior, & ſequêda cum Sylveſtro, Navarro, Azorio, Vaſquez, & aliis. Vide etiam, quæ dicam, *ad Inter. ſequentem* Imò Diana *par.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 9. ait, quod, qui non æquè dubitat, ſed magis in eam partem inclinat, ut Votum emiſerit, adhuc non teneatur ad Votum illud implendum. Sed contrariam tene potiori ratione, quã adduximus de dubitante circa ſufficientem deliberationẽ.

2254 Inter. 4. Ille qui dubitat an voverit, teneturne ſervare votum?

Reſp. Servandum eſt votum, vel petenda eſt diſpenſatio, docet ipſe Sa *in verb. Votum num.* 2. & pro ſe citat alios Alii verò oppoſitum ſuſtinent: pro utraque ſententia plures Doctores refert Diana *par.* 4. *tract.* 3. *reſ.* 10. Ego verò puto utrumque probabile, ſed primum probabilius.

2255 Inter. 5. Quodnam peccatum eſt [illegible] greſſio voti, & qui poteſt trangreſſorem voti in Confeſſione abſolvere?

Reſp. Ex genere ſuo eſt peccatum mor-

mortale ſacrilegii, niſi ſit de re levi, aut parva materia. Poteſt tamen à quolibet proprio Confeſſario abſolvi, licet poſt abſolutionem adhuc voto obligatus remaneat. Ita Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. *nu.*8. *prop fin.* Joan. à S. Tho. *in Doctrin. Chriſt. par.* 2. *cap.* 2. *de precep. decal. pag. mihi* 73. & alii communiter.

2256 Inter. 6. Qui ſæpius peccat mortaliter, violando aliquod votum, quod emiſit, poteſtne licitè petere diſpenſationem, vel commutationem, vel irritationem voti?

Reſp. Si non ſunt vota eſſentialia Religionis, utique licitè poteſt: imò, dicunt aliqui teneri ex charitate, dum proximum peccandi periculum ſubit, nec alia via poſſit occurrere illi periculo; quilibet enim tenetur cavere periculum peccandi, & propriæ ſaluti ſpirituali conſulere. Ità, ex Sanchez. docet Bonac. *pun.* 7. §. 4. *ſub. num.* 33. *loco ſupracit.* Vide dicta *in tit.* 83. *ad Inter.* 43.

2257 Inter. 7. Titius emiſit votum aſſumendi Sac. Ordines: poteſtne ab Epiſcopo diſpenſari, ut valeat Matrimonium inire? quid dicendum eſt, poſito quod matrimonium contrahat ante diſpenſationem?

Reſp. Utique poteſt ab Epiſcopo diſpenſari: quia tale votum, non eſt votum caſtitatis, ſed votum aſſumendi ſtatum, cui caſtitas eſt annexa, quare ſi Titius fornicaretur ante diſpenſationem, non frangeret votum, & conſequenter non committeret ſacrilegium; verùm ſi matrimonium contraheret; peccaret contra votum, licèt Matrimonium teneret. Vide Bonac. *de præcep. decal. diſp.* 4. *quæſt.* 2. *pun.*7. §. 4. *ſub num.* 17. *verſ. Ex quo patet*, & pluribus relatis firmat etiam Dian. *par.* 1. *tract.* 11. *reſ.* 64. Tamen, nota, dictum Titium, nondum diſpenſatum, teneri, inito Matrimonio, adhuc non conſumato, Sacros Ordines ſuſcipere, nam adimpletio voti, eſt adhuc illi poſſibilis, & ſic peccaret prima vice petendo, aut reddendo debitum conjugale Em. Sà *verb. Impedim. dirim. ſub num.* 3. Poſt primam verò vicem poſſet petere, & reddere ſine peccato; ſed morruo conjuge, tenetur quoque Sacros Ordines ſuſcipere: quia adhuc poteſt ſervare votum, cujus obligatio per matrimonium præcedens non extinguitur, ſed tantùm ſuſpenditur, cum in hoc caſu militet eadem ratio de voto Religionis. Vide quæ dicam infrà *in hoc titulo, ad Inter.* 13. & 15. & præſertim Bonac. *loco cit. pun.* 5. §. 6. *num.* 19.

2258 Inter. 8. Quænam ſunt vota Summo Pontifici reſervata, in quibus non poteſt Epiſcopus diſpenſare?

Reſp. Omnes DD. aſſerunt, eſſe quinque, ſcilicet. Votum Caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, & triplicis peregrinationis, nempe, terræ Sanctæ, ad Jeruſalem, ad viſitanda limina Sancti Petri Romæ, & Compoſtellæ ad D. Jacobum. Ità colligitur ex Extravag. quæ incipit. *Etſi Dominici* 2. *de pænit. & remiſſ.* & tradunt DD. communiter. Bonac. *to.*2. *de præcept. decalogi diſp.* 4. *quæſt.* 2. *pun.* 7. §. 4. *num.* 11. *Sum.* Dian. *verb. Epiſcop. juriſdic. in votis num.* 34. Buſembaum *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. *dub.* 8. *in fin.* Andreas à Matre Dei *in curſ. Theol. moral. tom.* 4. *tract.* 17. *cap.* 3. *pun.* 12. *num.* 99. Paſſerin. *tom.* 2. *de Statib. qu.*187. *art.* 1. *n.*608. qui teſtatur de communi.

2259 Inter. 9. Qui emiſit votum non nubendi, peccatne ſi nubat, & prima vice debitum petat?

Reſp. Peccat quidem nubendo, ac etiam prima vice matrimonium conſummando, niſi conſtet expreſsè voluiſſe ad ſolum contractum ſe obligare, quia abſtinentia à Nuptiis includit utrumque, juxta legem nec contrahere, nec conſumare, cum Nuptiæ ordinentur ad conſummationem, & ità cenſent Azorius *par.* 1. *lib.*11. *cap.*21. *quæſt.*7. Baſilius Pontius *de Matrim. lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 16. Caſtropalao

par.

par. 5. *tract.* 28. *diſp.* 3. *pun.* 4. §. 8. *num.* 1. Mathæus Renzius *de præcept. Decalog. lib.* 2. *tract.* 6. *cap.* 2. *quæſt.* 9. Licèt oppoſitum ſentiant Lopez apud Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 34. *n.* 7. ipſe Sanchez, Dicaſtillo, & Diana. Verum eſt tamen, quod poſtquam Matrimonium conſumavit, poteſt petere, ac reddere debitum abſque peccato, ſed defuncta ea Uxore, aliam ſine diſpenſatione ducere nequit. Sanchez *ubi ſupra*, Sà *verb. Debitum conjugale à num.* 4. *& alii communiter*.

2260 Inter. 10. Qui habet votum ſimplex caſtitatis: peccatne mortaliter, ſi ducat Uxorem, & Matrimonium eſtne validum?

Reſp. Peccat quidem mortaliter, tamen matrimonium tenet, ſed ipſe privatur jure petendi debitum ante diſpenſationem. Victoria *in Sum. de Impedim. voti num.* 273. Tolet. *lib.* 7. *c.* 25. *ſub num.* 2. *in fin.* Sà *verb. Debitum conjugale num.* 4. & eſt communis ſententia. Imo altero cojuge defuncto tenetur caſtitatem ſervare, ut ait Sanchez *mox citandus num.* 11. & alii, ab ipſo relati.

2261 Inter. 11. Peccatne iſte talis, quoties debitum petit, vel ſolùm prima vice matrimonium conſummando?

Reſp. Toties quoties debitum petit, mortaliter peccat, prout tradunt DD. apud Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 33. *n.* 5. Sed ut docet Victoria *loco proximè cit.* poteſt reddere non ſolum quando Uxor petierit, ſed etiam quandocumq; ſenſerit, quod ipſa vult, aut quod eget, aut quod eſt periculum incontinentiæ, & citat D. Thom. *in Additionibus qu.* 83. *art.* 1. *ad quartum*, & hoc eſt valde notandum. Sylv. *verbo Matrim.* 7. *q.* 5. §. 2. Vide Navar. *in Man. cap.* 16. *nu.* 30. & Sà *Verb. debitum conjug. n.* 4.

2262 Inter. 12. Qui votum ſimplex caſtitatis emiſit, teneturne ante conſummationem Religionem ingredi?

Reſp. Multi multa dicunt: nam alii affirmant, alii verò negant, ut videre eſt apud Victorellū *in Addition.* ad Emm. Sà *Verb. debitum conjugale ſub n.* 19. Utrumque eſt probabile, ſed affirmativa ſententia videtur probabilior multis, & meritò. Vide Navar. *cap.* 22. *ſub n.* 73. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. *ſub n.* 2. Hoc certum eſt, quod peccat contrahendo, & rurſus mortaliter conſummando, nec poteſt exigere debitum conjugale, ſine Pontificis diſpenſatione. Sed ſolum reddere.

2263 Inter. 13. Qui emiſit votum ingrediendi Religionem: teneturne ante cōſummationem matrimonii Religionem intrare, & Uxorem relinquere?

Reſp. Iſte talis, ſi Matrimonium contraxit, non ſolum peccavit Matrimonium contrahendo, ſed etiamſi illud conſummavit, ſed ante conſummationem, probabiliter dicunt quidam, quod teneatur Religionem intrare, ſi ſit ad Religionem aptus. Ita Sotus apud Emm. Sà *Verb. debitum conjugale ſub n.* 19. Navar. *cap.* 22. *ſub n.* 73. & alii, quos refert, ſed non ſequitur Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 34. *num.* 2. Verum, poſtquam matrimonium conſummavit, ſine peccato poteſt petere debitum, quia ad caſtitatem non teneretur, cum non ſit Religioſus effectus, & conſequenter nec voto caſtitatis obſtrictus: ſed mortua Uxore, aliam ducere non poteſt ſine diſpenſatione, & in hoc omnes DD. conveniunt. *Vide ad Inter.* 7.

2264 Inter. 14. Qui poſt votum Religionis, vel ſimplex caſtitatis, Virginem defloravit, vel fœminam honeſtæ famæ ſub ſpe conjugii cognovit, teneturne Matrimonium cum ea contrahere, vel votum ſuum adimplere?

Reſp. Ipſum teneri ad Matrimonium contrahendum, cum dicta fœmina, eſt probabiliſſima ſententia, dum ipſa ignoraverit votum ipſius. Et ratio eſt evidens: quia licèt votum præſtantius ſit ex objecto virtutis juſtitiæ, tamen in caſu noſtro, votum, quod eſt vinculum Religionis, cedit vinculo juſtitiæ, ratione injuriæ, & damni illati

dictæ

dictæ fœminæ, quæ quidem grave damnum pateretur, ſi ipſe minimè teneretur ipſam ducere in Uxorem. Ita docet Sanchez *de Matrim. lib. 1. diſp. 45. num. 3.* Bonac. *de Matrim. diſp. 1. pun. 5. n. 7.* Diana *par. 3. tr. 4. reſ. 203.* Cabrin. *par. 2. caſu 7. in reſ. prò non inciden. ſub n. 11.* & alii plures penès ipſos. Verùm non poteſt petere debitum, ſi eſt votum caſtitatis; Præterea poſt mortem Uxoris, votum adhuc ſervare tenetur; Sed circa præſentem dubitationem, Diana *par. 5. tract. 14. reſ. 38.* oppoſitum docet, cum probabile etiam putet poſſe vel tale Matrimonium contrahere, vel Religionem ingredi: Vide ergo Dianam *loc. cit. & par. 3. tr. 4. reſ. 203. & reſ. 280.* quòd ego improbare non audeo.

2265 Inter. 15. Titius contraxit ſponſalia cum Berta, deindè fecit votum ſuſcipiendi Sacros Ordines: teneturne Titius ducere Bertam, vel votum ſuū adimplere?

Reſp. Quia ſponſalia non ſolùm dirimuntur per ingreſſum Religionis, & per votum ſimplex caſtitatis, & Religionis, ſed etiam per votum ſuſcipiendi Sacros Ordines. Ideò Titius tenetur omninò votum, quod emiſit adimplere: nam in ſponſalibus continetur hæc tacita conditio, ſcilicet, niſi perfectior ſtatus eligatur. Ita firmat Sanchez *ubi ſupra diſp. 47. num. 3.* Sylv. *in Sum. verb. Sponſal. quæſt. 7.* & multi alii; quibus ſubſcribit Bonac. *de Matrim. diſp. 1. pun. 5. nu. 20.* Imò dico, id eſſe verum, etiamſi ipſe Titius hoc fecerit animo, & ea præcisè intentione diſſolvendi ſponſalia, cum Berta: utitur enim jure ſuo eligendo meliorem vitæ ſtatum. Vide Bonac. *ubi ſup. n. 14.* Dianā *par. 3. tr. 4. reſ. 208.* nec diſcrepant alii plures, quos ego vidi.

2266 Inter. 16. Peccantne mortaliter ille, qui habet votum Religionem ingrediendi, & tamen contrahit Sponſalia, vel Matrimonium, ſed cum animo illud non conſummandi, quia vult poſtea Religionem intrare?

Reſp. Mortaliter peccat: quia facit gravem injuriam alteri Conjugi, dum cogeretur illius profeſſionem expectare, antequam poſſet Matrimonium cum alio contrahere. Sylv. *in Sum. verb. Matrimonium 7. quæſt. 5.* Navar. *in Man. cap. 16. nu. 30.* & alii plures cumulati à Bonac. *de Matrim. diſp. 1. pun. 5. num. 11. & ſeqq.* Vide Dian. *par. 3. tract. 4. reſ. 281.* qui hanc ſententiam probabiliorem vocat.

2267 Inter. 17. Qui vovit, quotidie recitare B. V. M. Pater, & Ave, vel unam Salve Regina: peccatne mortaliter, ſi nunquam recitet?

Reſp. Multi dicunt, quod peccet mortaliter, ſi per annum non recitet, quia hæc eſt una quædam unius voti materia, eaque grandis. Alii verò oppoſitum ſentiunt, cum quibus tenet Diana *par. 3. tra. 5. reſ. 24. & tract. 6. reſ. 24. verſ. Notandum eſt hic*; Sed prima ſententia eſt tenenda in praxi. Dicunt tamen quidam, non eſſe peccatū mortale violare votum in re levi, etiamſi vòvens, ſe ſub mortali obligandi intentionem habuerit, cum materia levis non videtur capax tantæ obligationis. Ità pluribus relatis, docet Bonac. *de Præcept. Decal. diſp. 4. qu. 2. pun. 5. §. 4. ſub n. 3.* Vide Dianam *loc. cit.* & alios, quos ipſe refert, & ſequitur.

2268 Inter. 18. Qui vovit aliquas Miſſas: ſatisfacitne voto, ſi inveniat Sacerdotem, qui eas ſine eleemoſyna celebret?

Reſp. Dicendum videtur, ipſum ſatisfacere voto, & obligationi ſuæ: nam verba ejus voti, ut ſuppono, non important obligationem tradēdi eleemoſynam; Imò ait Bonac. *ubi ſup. n. 5.* hoc eſſe verum, etiamſi vovens voviſſet tradere eleemoſynam pro Miſſis celebrandis, comperto Sacerdote volente Miſſas gratis celebrare, dummodò æque principaliter non voviſſet Deo inſervire ex eleemoſynis, & ſacris illis faciendis; item dummodò ipſe Sacerdos alio titulo non teneatur

eas

eas Miſſas pro alio celebrare, quia votum non poteſt adimpleri per opus aliàs debitum. Sanch. *in Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 11. *nu.* 33. cui ſubſcribit Bonac. *ibid.* & alii multi ità tradunt.

2269 Inter. 19. Qui fecit votum non comedendi ova in feria ſexta, vel die Sabbati: poteſtne tuta conſcientia comedere carnes in die Nativitatis Domini, ſi venerit in his diebus?

Reſp. Dicunt aliqui: quòd non poſſit in conſcientia edere carnes, quia abſtinentia ovorum includit abſtinentiam carnium, non è converſo: tamen, quod contrafaciens non eſſet judicandus de mortali, niſi fortè ratione erroneæ conſcientiæ, ut concludit Sylv. *verb. Jejunium n.* 27. *in fin.* Imò licitè poſſe comedere carnes, docet Diana *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 22. *propè finem*, & pro ſe citat Reginaldum in praxi *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 13. *ſect.* 1. *num.* 146. & hoc ego puto verum, niſi, qui emiſit tale votum, intendebat ſe velle privare carnibus in die Natalis Domini. Vide *in tit.* 105. *de Jejunio, ad Inter.* 32.

2270 Inter. 20. Cajus vovit mittere Calicem aureum ad S. Domum Lauretanam, qui à latronibus in itinere deprehenditur, ad quid tenetur Cajus?

Reſp. Quidam dicunt, ſatisfeciſſe voto; alii verò oppoſitum ſuſtinent, dicentes, iterum teneri mittere Calicem, quià dum furatus fuit, erat in ſuo dominio, & quidquid perit, Domino perit. DD. pro utraque parte refert Diana *par.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 97. Sed mihi magis placet prima ſententia, quam tuetur Diana, & alii ab ipſo relati, non tantùm ob rationes ibidem allatas, ſed quia reverà miſit Calicem; quòd autem non pervenerit Lauretum, non provenit ex malitia, aut negligentia Caii, ſed eſt caſus fortuitus, ad quem nemo tenetur, niſi culpa præcedat, in illum aliquo modo ordinata, ſeu directa, hoc autem ceſſat in caſu noſtro: ergo Cajus ad nil aliud tenetur.

2271 Inter. 21. Qui vovit tradere Calicem Eccleſiæ, quem emit: teneturne adhuc alium tradere, ſi prius voventi ante traditionē fuit ſurreptus?

Reſp. Aliis relatis affirmativè reſpondet Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 4. *qu.* 2. *pun.* 6. *n.* 30. ſcilicet, teneri alium emere, ut voto ſatisfaciat, & dicit, quod ita explicaretur præceptū, ſi de hac re præceptum extaret, ultrà quod non vovit individuum, ſed ſpeciem, ut loquuntur Theologi; deſtructo autem uno individuo, non corruit ſpecies: ergo tenetur alium tradere, ut ſatisfaciat voto. Nota tamen, quòd hic caſus eſt diverſus à præcedenti; nam in caſu præſenti vovit tradere Calicem, quem tradere non poteſt, ſi ante traditionem ſit ſurreptus: ergo alium emere debet, ut de facto tradere valeat: Qui autem vovit mittere Calicem, & de facto mittit, eſt per accidens ſi non perveniat, quod ei imputari non debet, ſuas enim partes egit, & ideò ad aliud non tenetur, ut dixi *in præcedenti Reſponſ.*

Quær. An qui promiſit, vel vovit ſe largiturum Calicem Eccleſiæ, teneatur dare calicem aureum, vel argenteum?

Reſp. Sufficit, quòd det calicem aptum divino cultui, & ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem, ideòque ſi tantùm calicem ſe daturum promiſit, aut vovit, non tenerur dare aureum, ſed poteſt dare argenteum, immò ſufficit ſi ſola ſuperior cuppa argentea, vel aurea ſit, quià talis calix eſt etiam divino cultui aptus ex uſu multarum Eccleſiarum. Ità docet ex aliis Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 50. §. *Undè ſi quis;* & *par.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 48. §. *Infertur primò*: ſed hoc intelligendum eſt, niſi aliqua ſit ratio ſuadens veriſimilius mentem voventis, vel promittentis præſumi fuiſſe ſe obligandi ad largiendum calicem aureum, vel argenteum. Vide Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 8. & 19. Suarez *de Relig. to.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. *nu.* 9. Azorium *to.* 1. *lib.* 11. *cap.* 20. *qu.* 10. & præſertim Bonac. *to.* 2. *de præcep. decalogi diſp.* 4. *qu.* 2. *pun.* 6. *num.* 12. & 33. qui hanc

meam reſponſionem firmant, nàm qui aliquid vovit modo indeterminato, poteſt eligere quod minus eſt; & hæc doctrina extenditur etiàm ad hæredes voventis, vel promittẽtis rem aliquam indeterminatè, ut rectè notat idem Bonac. *loc. cit.* ad quem brevitatis gratia lectorem remitto. Vide etiam Buſembaum *lib. 3. tract. 2. cap. 3. de voto dub. 4. n. 16.*

TITULUS CCXLIII.

De uſu Conjugii.

Vide tit. de Benedict. Nupt. Inter. 1. tit. de Circumſt. pecc. Inter. 20. tit. de Delect. Int. 1. tit. de Delect. mor. Inter. 6. tit. de Sacril. Int. 4. tit. de Vot. Inter. 9. 11. 12. 13. 16.

2272 INter. 1. Peccatne mortaliter maritus, quoties præpoſtero actu incipit cognoſcere ſuam Uxorem, licèt deindè actum perficiat in vaſe naturali?

Reſp. Semper quippè mortalitèr peccat, (quidquid aliqui in contrariũ dicant) quia talis actus, nec ex ſe, nec ex agentis intentione poteſt ad actum conjugalem referri, eo quod medium improportionatum ſit, & alterius ordinis luxuriæ, & hoc ſanè mihi certum videtur cum Sanch. *de Matrim. lib. 9. diſp. 17. n. 5.* Bonac. *de Matrim. qu. 4. pun. 11. n. 12.*

2273 Inter. 2. Peccantne Conjuges, ſi exerceant actum conjugalem, cauſa valetudinis conſervandæ, aut vitandæ fornicationis, vel cauſa voluptatis?

Reſp. Quod non peccent mortalitèr, omnes affirmant, ſed an venialitèr ſaltem, in hoc quidem ſunt diverſæ opiniones, ut videre licèt apud Dian. *par. 3. tract. 4. reſ. 218. & 219.* Tamen certum eſt, Matrimonium fuiſſe inſtitutum ad propagationem ſpeciei humanæ, non verò cauſa valetudinis cõſervandæ: Nam pro tuenda ſanitate, & valetudine alia remedia proportionata occurrunt; ergo uſus Matrimonii debet dirigi ad ſuſcipiendas proles, & non principalitèr pro tuenda valetudine. Quod autem uſus Matrimonii ſit licitus, & omni culpa careat, ſi exerceatur cauſa vitandæ fornicationis, facilius ſuſtineri poteſt; quia Matrimonium, poſt lapſum hominis in peccatũ ordinatum eſt etiam in remedium concupiſcentiæ, ut dixi *in tit. 196. de Sacramento Matrimonii, ad Inter. 2.* & de hoc ego non dubito, maximè ſi fiat ad vitandum periculum in Conjuge. Vide Em. Sà *Verb. Debitum Conjugale num. 5.* & præſertim Dianam, qui hinc inde, pluribus relatis tandem concludit, nec in primo, nec in ſecundo caſu eſſe peccatum veniale uſus Matrimonii; ergo dicendum eſt, tunc eſſe peccatum veniale, quando Conjuges utuntur copula conjugali, ſolùm cauſa voluptatis, ut docui *in tit. 63. de Delectatione, ad Inter. 1.* nec aliter dici poteſt, cum ſit reprobatum ab Innoc. XI. ut *ibidem* notavi. Vide Bonacin. *de Matrim. qu. 4. pun. 6. ſub nu. 6.* & Laym. *lib. 5. tr. 10. par. 3. c. 4. per totum.*

2274 Inter. 3. Si conjuges habent copulam in loco Sacro, peccantne mortaliter?

Reſp. Non conveniunt Doctores, quidam dicunt peccatum eſſe mortale etiam reddentis, probabilius tamen alii poſſe excuſari, ſi reddat, ad vitandam incontinentiam; ita ex Sylveſtr. *Verbo debitum*. Tolet. *lib. 5. cap. 12. n. 4. & lib. 7. cap. 25. n. 2.* Em. Sa verò *Verb. debitum conjugale num. 12.* aſſerit, etiam poſſe peti ſine mortali ad vitandum peccati periculum, & eo magis hoc eſt verum, quando morantur in Eccleſia per longum tempus, quale Suarez, & Petrus Ledeſma apud Dianam *par. 1. tr. 7. reſ. 19.* putant eſſe quatuor, vel quinque dies. Sed Navar. *c. 16. n. 33.* putat mortale eſſe peccatũ.

2275 Inter. 4. Peccantne mortiferè conjuges, habentes copulam ante Cõmunionem?

Reſp. Ante Communionem abſtinere à copula conjugali, non eſt præceptum: ideò non eſt peccatum mortale debitum ſolvere, poteſt tamen ob reverentiam conjugem rogare, ut ſe abſtinere permittat; Secùs eſt tantùm ve-

veniale, juxtà ſententiam quorumdã, quos refert Diana *par.3. tr.6. reſ.* 71. Em. Sà *Verbo debitum conjugale n.* 19. & alii ab ipſo relati. Sed Victoria *in Sum. de Eucharistia n.* 72. inquit, nullum eſſe peccatum.

2276 Inter. 5. Peccatne maritus cognoſcendo carnaliter Uxorem tempore menſtrui?

Reſp. Peccat venialiter tantùm; Fœmina verò non poteſt petere, ſed reddere petenti, primum admonendo ipſum de menſtruo. Tolet. *lib.7. c.24. ſub nu.2.* Em. Sà *verb. Debitum conjugale ſub n.* 11. Verùm, ſi mulier perpetuum patiatur menſtruum, aut ſit periculum incontinentiæ, nullum eſt peccatum. Sylveſter *in Summ. Verbo debitum* §. 6. Victoria *in Summ. de reddit. debiti n.*257. Navar. *cap.*16. *ſub n.*32. Diana *par.*3. *tr.*4. *reſ.*204.

2277 Inter. 6. Poteſtne ſine peccato mortali Fœmina ſe excitare tactibus ad emittendum ſemen, quãdo poſt copulam remaneat irritata?

Reſp. Dicam in Reſponſione ad Inter. ſequentem, non poſſe ſine gravi peccato, Mulierem finito actu matrimoniali, & viro ab ea ſublato, ſe tactibus excitare, donec ſeminet, ad complementum, & conſummationem illius actus; Nam ſemen Fœminæ, juxtà communiorem Theologorum ſententiam, non eſt neceſſarium, neque ad producendam prolem, neque ad perfectionem actus conjugalis, ut pluribus rationibus probat Texeda *in Theologia Morali lib.*4. *tract.*1. *contr.* 12. *n.*43. apud Dianam *par.*9. *tract.*8. *reſ.*31. *verſ. Quæritur tertio &c.* ergò illi tactus ſunt illiciti, & peccaminoſi, cum fiant ob delectationem à fœmina captandam, & ſic ſunt mortales. Immo addit Caſtropalaus *tom.*5. *diſp.*3. *pun.*4. §. 3. *n.*6. quòd Conjugibus ea copula licita eſt, per quam efficiuntur una caro; At mulier illa effuſione ſeminis non videtur fieri una cum viro, utpotè ab eo ſeparata; Ergò fieri non poteſt abſque peccato mortali extra copulam; & ità puto tenendum cum præfatis Doctoribus, quibus meritò ſubſcribit idem Diana *loc. cit.* apud quem plura videri poſſunt. Oppoſitum tamen docet Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.*6. *num.* 15. cum Sanchez; ſed mihi non probatur.

2278 Inter. 7. Fœmina, non ſeminans in copula conjugali: poteſtne poſtea ſine lethali peccato ſe manibus provocare ad cõplementum actus maritalis?

Reſp. Circa tale dubium magna quidem controverſia eſt inter DD. multi enim dicunt, nullo modo fieri poſſe ſine gravi peccato, quia jam completus eſt actus maritalis per ſeminationem Viri, quæ ſola eſt neceſſaria ad generationem, ſecundum Ariſtotelem, & D. Thomam; & ferè omnes Theologi ità tenent; ſed quia Galenus, & multi alii Doctores oppoſitum docent, ut videre licèt apud Dianam *par.*3. *tr.*5. *reſ.*19. §. *Difficultas eſt, & par.*4. *tr.*2. *reſ.*43. §. *Sed ego, & tandem par.*5. *tract.*13. *reſ.* 54. ubi plurimos pro hac ſententia refert, ſcilicet, quod ſemen mulieris ſit etiam ad generationem neceſſarium: ideò ſequitur ex tali ſententia, poſſe in dicto caſu mulierem ſine peccato ſe manibus provocare ad complementũ actus, adhoc ut fiat generatio, dummodo id faciat ſtatim, & immediate poſt copulam Viri; ſed poſito etiam, quod ſemen mulieris non ſit neceſſarium, tamen multùm confert; Ultra quod fœminæ, cum frequenter viris frigidiores ſint in omni copula, ſe exponerent evidentiſſimo periculo peccandi mortaliter. Vide Dianam *par.* 2. *tra.*17. *reſol.*38. & ibi plures DD. pro hac ſententia citat: ſed ipſe meritò contrarium tenet, cum Rodriquez in *Sum. par.*3. *cap.*88. *n.* 4. Ideò Viri docti judicent ipſi, an fœmina in dicto caſu peccet, vel non. *Vide in tit.* 12. *de Affinitate ad Int.* 7.

2279 Inter. 8. Poteſtne Vir, poſtea quam ipſe in copula conjugali ſeminavit, tangere verenda Uxoris, ut etiã ipſa perficiat actum, & ſeminet?

Reſp. Non veretur Carolus de

Baucio *in Miſcell. caſuum conſcientiæ tom.* 2. *opuſ.*1. *quæſt.* 88. apud Dianam *par.*10. *tract.*13. *reſ.*42. affirmativè reſpondere; nam,ut aſſerit idem Diana hæc opinio *Baucii* fuit abraſa ab operibus Sanchez, & Hurtadi in impreſſione Antuerpiana, & teſtatur etiam, quod apud Sac. Congregationem Indicis hujuſmodi opinio malè oleat. Undè dicendum eſt, quòd ſicut non licet Uxori ſe excitare tactibus ad emittendum ſemen, ut dixi in præcedentibus Reſponſionibus,multò minùs liceat Viro, quamquam ſit ei licitum poſtquam ſeminavit continuare copulam, donec Uxor ſeminet,& non aliter,ut dixitBaucius.Vide Dian.*loc.cit.*

2280 Inter. 9. Peccatne mortaliter Vir, ſi in copula conjugali non expectat ſeminationem Uxoris?

Reſp. Bonacina *de Matrim. qu.*4. *pun.*6. *ſub n.*14.*in fine*, docet, Virum poſt quàm ſeminavit, non teneri expectare tardantis fœminæ ſeminationem. Idem docet Sanchez *tom.* 3. *de Matrim. lib.* 9. *diſp.*17. *n.* 9. Concludendum eſt igitur:non peccare mortaliter Maritum, ſi in ipſo actu ſeminationis non expectat ſeminationem Uxoris, licèt, ut dixi ſupra, poteſt etiam effuſo ſemine copulam continuare, ut fœmina ſeminet. Ità Leander *de Sacra. tom.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 33. *quæſt.* 40. cum Diana *loco proximè cit.* nempè *par.*10. *tract.* 13. *reſol.* 42. *verſ. Nota tamen.* Neque neceſſe eſt, Conjuges in actu maritali ſimul ſeminare: quia ſecundum probabiliſſimam ſententiam, ſemen fœminæ, nec activè, nec paſſivè concurrit adgenerationem, teſte Bonacina *ubi ſupra.*Dico tamen, quòd licèt Vir non teneatur expectare ſeminationem Uxoris, ut dixi, nihilominus, ſi Uxor indicet, ut expectet ejus ſeminationem,tenetur expectare propter periculum incontinentiæ in fœmina, ne ſe excitet tactibus ad emittendum ſemen, cum peccaro mo tali, & quoties cognoſcat tale adeſſe periculum.

2281 Inter. 10. Committitne peccatum Vir, qui in copula incepta deſiſtit a ſeminando, quando Uxor jam ſeminavit?

Reſp. Committit peccatum mortale:quia conſummato coitu ex parte fœminæ, finis generationis expoſcit, ut conſummetur etiam ex parte viri, aliàs fruſtraretur, & prodigeretur ſemen fœminæ,ut contra nonnullos tenet Bonacina *loco ſup. cit. n.*16. & rectè hoc dicit: nam Maritus ordinariè ſeminare debet, ne alterius ſemen fruſtra effundatur.

2282 Inter. 11. Eſtne licitum Conjugibus, ne ſeminatio noceat ſaluti, vel ob aliam juſtam cauſam, inchoatam copulam non abſolvere?

Reſp. Cœptam copulam ex conſenſu utriuſque Conjugis omittere ante ſeminationem, non eſſe peccatum mortale,niſi ſit in alterutro ex eo periculum pollutionis, affirmat Em. Sà *Verb.debitum conjugale n.*17.D.Antoninus *par.*3. *tit.*1. *cap.*2. §. 6. Cajetanus *in* 2.2.*qu.*154. *art.*1. §. *ad ſecundum vero caſum*, Armill. *verb. debitum conjugale nu.* 9. & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *par.*3. *tract.*4. *reſ.* 227. & de hoc nulla eſt difficultas. Sed, an ſine culpa veniali id facere poſſint Conjuges,eſt problema;Tamen puto, ſi juſta cauſa adſit impediendi ſeminationem v. g. ne ſeminatio noceat ſaluti, vel Conjuges ſint pauperes, & prole abundant, quam non poſſunt alere, & hujuſmodi, abſque ulla culpa veniali licere Conjugibus ad ſedandam concupiſcentiam,cœptã copulam non abſolvere. Ità tradunt Sanchez *tom.*3. *de Matrim. lib.*9. *diſp.* 19. *n.* 3. & Layman. *lib.*3. *tra.*4. *n.*19. quibus adſtipulaturDiana *loco ſup. cit.* Imò ipſe Diana *par.*10. *tr.* 14. *reſ.*55. cum Leandro *de Sacram.tom.*2.*tract.*6. *diſp.*25. *quæſt.*42. qui refert Cajetanũ, Paludanum, Tabienam,& alios, putat eſſe licitum Conjugibus non abſolvere copulam, etiamſi illam tantùm inceperint delectationis cauſa. Verùm notandum eſt hic, quod uſus Matrimonii, ſolùm propter delectationem, eſt

eſt peccatum veniale, nec aliter dici poteſt, cum ſit reprobatum ab Innoc. XI. ut docui *in tit. 63. ad Int. 1.* Nam ſaltem ad vitandam incontinentiam opus Conjugii, eſt licitum.

TITULUS CCXLIV.

De Vſura, & Vſurariis.

Vide tit. de Abſolut. à pecc. Int. 1. tit. de Hæreſ. &c. Int. 12. tit. de Infam. Int. 2. tit. de Lucr. ex mu. tit. de Mutu. tit. de Paroch. Int. 23. tit. de Paru. mat. Int. ult. tit. de Vendit. &c. Int. 6. 7.

2283 Inter. 1. Quid eſt Uſura?

Reſp. Uſura, eſt lucrum rei pecunia æſtimabilis, principalitèr proveniens ex mutuo. Toletus *lib. 5. cap. 29. n. 1.*

2284 Inter. 2. Quo Jure eſt illicita uſura, & prohibita?

Reſp. Dico non ſolùm Jure humano, ſed etiam naturali, & divino veteris, & novi Teſtamenti illicitam, ac prohibitam ſſe uſuram, ut tradunt DD. communitèr, & qui eam licitam pertinaciter aſſeruerit, cenſetur hæreticus. Ità habetur ex Clem. I. *de Vſuris*, & docet Navar. *loc. cit. ſub n. 207.* Tolet. *lib. 5. cap. 28. num. 3.* Bonac. *de Contr. diſp. 3. qu. 3. pun. 2. n. 12.* & alii plures apud ipſum, & ego jam dixi *in tit. 102. de Hæreſi, & Hæreticis ad Int. 12.* cum Sylv. Vide Steph. à San Greg. *de contr. lib. 2. c. 29. num. 2.* & eſt communis ſententia.

2285 Inter. 3. Quotuplex eſt Uſura?

Reſp. Triplex eſt, mentalis, exterior explicata, & exterior palliata.

2286 Inter. 4. Uſura realis, ut verè dici poſſit uſura, quid requirit?

Reſp. Tria requirit, ſcilicet mutuum, lucrum ex mutuo principalitèr intentum, & pactum, ubi verò ceſſat pactum, ſed ſunt duo prima, nempè mutuum, & lucrum ex ipſo mutuo principalitèr intentum, eſt uſura mentalis, & nō realis. Ità docet Sylv. *verb. uſura 1. ſub n. 1. prop. fin.* & alii cōmun.

2287 Inter. 5. Qui dat frumentum vetus, ut ei poſtea novum detur, committitne uſuram?

Reſp. Si probabiliter exiſtimat, non plus valiturum eo tempore frumentum, & hoc faciat, ne frumentum pereat, non committit uſuram. Tolet. *lib. 5. cap. 30. ſub n. 3.* & alii plures ita docent. Imò, inquit Navar. *in Man. c. 17. ſub n. 239.* ex Soto, poſſe licitè frumentum mutuare uno Menſe, uſque ad alium, in quo veriſimiliter plus valebit, ut reddat æquè bonum in illo, vel ante illum, quia, ut inquit Sotus *de Juſt. lib. 6. qu. 1. art. 2.* ratio mutui non debetur mutuanti pretium, ſed corpora in eadem ſpecie, & qualitate. Sed vide Sylveſt. *Verb. Vſura nu. 17.*

2288 Inter. 6. Eſtne Uſura vendere frumentum alicui pauperi appretiatū tempore penuriæ, ut pretium ſolvat in tanto frumento?

Reſp. Non eſt Uſura, unde licitè fieri poteſt. Et ratio eſt: quia, qui hoc facit, intelligitur vendere frumentum nuno, & gratis mutuare pecuniaalteri, ſcilicet emptori, quam pecuniam ex pacto ſibi vult reddi in frumento tempore ſolutionis. Ità ex aliis docet Sylv. *Verb. Vſura. 1. n. 16.* quod quidem eſt notandum, quia practicatur.

2289 Inter. 7. Cajus commodat pecuniam Sejo, ad oſtentationem faciendam, vel ei locat pecunias aureas ad ponendum in balneo, vel brodio pro medicamento, & exinde vult ſibi lucrum aliquod, committitne uſuram?

Reſp. Dixi ad Inter. 1. quod uſura eſt lucrum rei pecunia æſtimabilis principaliter proveniens ex mutuo; Unde quia Cajus in hoc caſu non mutuat, ſed commodat, & locat pecuniam, ideò non committit uſuram, licèt faciat pactum recipiendi aliquid plus, dummodò tamen pactum ſit moderatum juxta qualitatem temporum, &c.. Et ratio eſt: quia non ex mutuata, ſed ex commodata, & quaſi locata pecunia lucrum habet. Ita rectè docet Cajet. *in Sum. Verb. Vſura verſ. Nota ſecundo.* Sylv. *verb. Vſura 1. n. 1.*

Em.

Em. Sà *eodem verb. Vſura nu.* 4. & alii comm.

2290 Inter. 8. Cajus dedit Sempronio magnam ſummam pecuniarum in ſocietatem ad negotiandum, cum pacto, ut pro tali pecunia reddat ei quinque pro centenario in fine Anni, ſalvo tamen capitali, potuitne ipſe Cajus licitè, & abſque uſura talem contractũ inire?

Reſp. Affirmant Sylv. *Verb. Societas* 1. *quæſt.* 2. Navar. *in Man. cap.* 17. *n.* 55. *& ſeq.* Tolet. *lib.* 5. *c.* 41. *n.* 2. Bonac. *de contract. diſp.* 3. *qu.* 3. *pun.* 11. *n.* 2. Diana *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 30. & alii plures penès ipſos. Sed hoc intelligunt, dummodò ipſe Cajus expreſsè, vel etiam tacitè, intenderit celebrare tres contractus; Unum ſocietatis, alterum aſſecurationis capitalis, & tertium venditionis lucri incerti pro certo, vel aſſecurationis lucri certi pro majori incerto. Et ratio horum eſt: quia tales contractus ſunt liciti, ſi ſeorſim ſumantur, ita, ſi fiant ſimul cum eadem vel diverſa perſona, ſi eodem, vel diverſo tempore, ſive in totum, ſive in partem, & reddunt rationem, cur id fieri poſſit tuta Conſcientia, contra nonnullos alios, qui oppoſitum ſuſtinere conantur. Dixi *tacitè*, quià hoc etiam ſufficit, ut præcitati Doctores tradunt. Imò Bonacina *ubi ſupra verſ. addo*, ait, quòd ſi Cajus, v. g. dicat Sempronio confero centum in Societatem, ut ſolvat quinque, vel ſex, ſalvo Capitali, modo licito, vel eo modo, quo docent Doctores, ſit ſecurus in conſcientia; & licitè poſſit accipere quinque, vel ſex pro centenario; ex eo quia intentio implicita libera, idem operatur, quod expreſſa: & de hoc ego non dubito, quotieſcumq; non obligetur ſocius ad tales contractus, ſed relinquatur liber, ſicut & alius tertius, ut benè, ex Cajetano, docet Tolet. *loco ſup. cit.* ſed Lud. Bail. *de triplici examine par.* 2. poſtquam perdoctè diſcuſſit utriuſque partis fundamenta circa hoc punctum de triplici contractu, ſic concludit. Diſſuadendi ſunt potius, communiter loquendo hujuſmodi Contractus, quam ſuadendi antefactum, poſt factum verò diligenter examinandi, nè temere aliquis juſtificetur, vel condemnetur. Denique hanc ſocietatem trium, ut vocant, improbat doctiſſimus Eſtius, & Franciſcus Sylvius *in annotationibus ad cap.* 25. *par.* 3. Enchiridi Biniſſeldii dicit, hanc ſocietatem deſinere in ratione mutui, dum illi tres contractus fiunt cum uno, & eodem.

2291 Inter. 9. Eſtne Uſura, ſi quis mutuet, ut redimat vexationem ſuam? vel, ut recuperet ſuum quomodolibet occupatum, aut detentum à petente mutuum?

Reſp. In neutro caſu eſſe uſuram docent plurimi DD. quia nihil lucratur mutuans, nam in 2. caſu, ſuum recuperat, & in primo caſu, quod ſuum eſt ſervat. Ut ſi quis mutuat alicui minanti ſibi, aut ſuis, & hinc eximit ſe à multis ſumptibus, quos oporteret ad ſui tutelam facere. Vide Cajet *in Summa. verb. Vſura cap.* 1. *n.* 5. *& 6.*

2292 Inter. 10. Titius accepit centum nummos aureos ſub uſuris, & poſtea mutuavit illos Cajo cum obligatione, ut ipſe ſolvat uſuras: poteſtne hoc fieri ſine peccato?

Reſp. Utiquè ſine peccato id fieri poteſt, quia idem eſt, ac ſi immediatè Cajus accepiſſet dictam pecuniam ſub uſuris, nam ſatis eſt, ut Titius mutuator præſtet Cajo dictum commodum; æquum enim non eſt, ut damnum emergens teneatur ſentire, cum non teneatur mutuare cum ſuo incõmodo, & detrimento, ſed poteſt ſe ipſum ſervare indemnem. Cæterum, ſi Titius nullo ſe commodo privat mutuando; nèc nullum patitur damnum: non poteſt aliquid ſupra ſortem exigere eo ſolo titulo, quod ipſe acceperit ſub uſuris. Vide Sylv. *verb. uſura* 1. *num.* 20. Em. Sà *verb. Mutuum n.* 10 & alios quos citat, & ſequitur Bonac

diſp.

Digitized by Google

diſp. 3. *quæſt.* 3. *pun.* 4. *num.* 8. *de contract.*

2293 Inter. 11. Eſtne licitum mutuanti, aliquid ultrà ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non reperendam ſortem, uſque ad certum tempus ?

Reſp. Nullo modo licet, & contraria ſententia jam fuit reprobata ab Alex. VII. die 18. Martii 1666. quæ eſt 14. Propoſitio.

2294 Inter. 12. Eſtne uſura ſi mutuatuator accipit aliquid ſupra ſortem à mutuatario, ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis, aut ratione periculi amittendi ſortem, vel recuperandi cum moleſtiis, laboribus, & expenſis ?

Reſp. Quando intervenit lucrum ceſſans, aut damnum emergens, dicunt DD. communitèr, non eſſe uſuram, dūmodò adſint debitæ conditiones, de quibus dictum eſt *tit.* 135. *de lucris ex mutuo ad Inter.* 3. Vide D. Thom. 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *&* 4. Ità etiam dicendum eſt non eſſe uſuram, ſi aliquid ſupra ſortem recipiatur ratione periculorum, prout in quæſito dicitur, & ita tenent Sylveſt. Petrus Navar. Jo: Medina, Filiuc. Bonac. & alii (Ceſſant autem hujuſmodi cautiones, ubi creditor nihil periclitatur, eo quod ſit præmunitus idoneis cautionibus, fidejuſſoribus, & pignoribus.) Ratio noſtræ aſſertionis eſt : quia vera pericula, quibus res exponitur ſunt prætio æſtimabilia, damniſque, & jacturis obnoxia, quæ recta ratio, & juſtitia compenſari meritò judicent, ne unicuique officium ſuum vertatur in damnum. Sed tandem præter rationes, & periculi evidentiam, quale non tenetur creditor ſubire, omnem dubitationem ſuſtulit Decretum Sac. Congreg. de Propaganda fide, approbatum ab Innoc. X. Quæſitum enim fuit, an Chriſtianis Sinenſibus liceret pro pecuniarum ſuarum mutuo, etſi non interveniat lucrum ceſſans, aut damnum emergens, aliquid ultra ſortem recipere, quià in recuperanda pecunia, eſt aliquod periculum, quod qui accipit mutuum, fugiat, vel quod tardet in ſolvendo, vel quod neceſſarium ſit coram Judice repetere, vel propter alia hujuſmodi ? Cenſuit Sac. Congreg. ratione mutui immediatè, & præcisè, nihil eſſe accipiendum ultra ſortem principalem ; ſi verò aliquid accipiant ratione periculi probabilitèr imminentis, prout in caſu, non eſſe inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probitatis ejuſdem, ac ſervata proportione inter periculum, & id, quod accipitur.

2295 Inter. 13. Qui dat mutuum fœminæ, cum intentione, vel pacto, ut ſui corporis copiam faciat in prætium mutui : eſtne Uſurarius.

Reſp. Ultra alia peccata, committit etiam uſuram, quià imponit ei onus, & obligationem pretio æſtimebilem, vel ſaltem principalitèr ſperat illud turpe lucrum ex mutuo. Ità Bonac. *de Contract. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *pun.* 3. *num.* 14. Steph. à S. Greg. *lib.* 2. *de contract. cap.* 29. *num.* 3. & alii.

2296 Inter. 14. Committitne uſuram, qui mutuat Medico, vel Advocato cum pacto, ut teneatur mederi, aut defendere mutuantem ?

Reſp. Certò uſuram committit, quamvis eis juſtum prætium aſſignaret: nam illa obligatio eſt aliquid pecunia æſtimabile, ut docet Navar. Bonac. *num.* 13. & Stephanus à S. Gregor. *n.* 6. *loc. cit.* Adverte tamen, quod tàm Medicus, quàm Advocatus tenentur pauperes gratis curare, & reſpectivè defendere; imò eis ſolvere neceſſariam medicinam, ſi poteſt, vel alia via in promtu non habeant. Vide Em. Sà *ver. Advocatus in Addit. ſub. num.* 2. *&* *verb. Medicus nu.* 2. quibus alios Concordantes refert, vide etiam *ad Int.* 2. *tit.* 154. *de Operibus*

2297 Inter. 15. Eſtne uſura, mutuare alteri cum pacto, vel intentione principali, ut in ſuo Molendino molat, aut in ſua Officina emat, aut ad ſuam Scholam veniat, aut in ſuo prædio laboret ?

Reſp.

Reſp. Eſſe uſuram, affirmant Navar. *in man. cap.* 17. *num.* 220. Bonac. *de Contract. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *pun.* 3. *num.* 10. Sylv. *verb. Uſura* 1. *quæſt.* 7. Cajet. *in Sum. eodem verb. caſu.* 7. Steph. à S. Gregor. *de Contract. lib.* 2. *c.* 29. *n.* 2. Et alii cōmuniter. Et ratio eſt: quia imponitur mutuatario obligatio pretio æſtimabilis, ad quam aliàs nō tenetur: Et licèt, dicant aliqui non eſſe uſuram, quando exigitur talis obligatio, non ex juſtitia, ſed ex gratitudine, tamen non ſunt audiendi tales Authores: quia uſura eſt, non ſolùm, ſi exigatur aliquid tanquam ex juſtitia debitum, ſed etiam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ut patet ex 42. propoſitione damnata ab Innoc. XI. Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 2. pro hac noſtra ſententia, & pro oppoſita Layman *li.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 3. apud Dianam *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 60. *verſ. Accedit*, ubi utriuſque ſententiæ Doctores refert; Si verò ſine pacto, aut intentione principali hoc fiat, non erit uſura.

2298 Inter. 16. Eſtne uſura, mutuum dare cum pacto, ut mutuatarius remutuare teneatur?

Reſp. Secundum Doctores rectè ſentientes dicendum eſt, quod ſit uſura. Et ratio eſt: quia hujuſmodi obligatio remutuandi, ſivè adiiciatur ſtatim adimplenda, ſivè in futurum, eſt pretio æſtimabilis, nàm quando aliquis in mutuo, ex vi pacti, ſeu contractus, intendit aliquid pretio æſtimabile, eſt uſura; quod autem illa obligatio ſit pretio æſtimabilis, patet, quià per eam mutuatarius amittit aliquam libertatem, & ſubiicitur mutuanti. Ita docent D. Th. 2. 2. *quæſt.* 78. *artic.* 2. *ad* 2. *&* 4. & ibi Cajet. & alii, ut videre eſt apud Dianam *loco prox. cit. reſ.* 59. in principio Bonac. *de Contr. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *pun.* 3. *num.* 9. Em. Sà *verb. Mutuum num.* 3. Navar. *in man. cap.* 17. *num.* 223. & hæc quidem ſententia eſt probabilior, & tenenda, ut dicam etiam *ad Inter. ſequentem.* Verùm ſi onus dictæ obligationis, & onus mutuandi pecuniam, par eſſent, puta, quia magnum incommodum ſentit mutuans in mutuando, tùnc puto ſine uſura poſſe exigere parem compenſationem, ſcilicèt, ut mutuatarius remutuare teneatur, ſed hoc incommodo ſecluſo, tene id, quod ſupra diximus, Vide Cajet *in Summ. verb. Uſura caſ.* 6. Stephan. à S. Gregor. *de Contract. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 5.

2299 Inter. 17. Mutuo dare alicui cū pacto, ut mutuo ſibi, Pauperi, aut Amico aliquid aliud det: eſtne uſura?

Reſp. Certò uſura eſt: nam ea obligatio impoſita, eſt pretio æſtimabilis. DD. communiter ita docent. *Vide ad Inter. antecedentem.*

2300 Inter. 18. Committitne uſuram, qui excitat mutuatarium ad aliquid ſibi tradendū in remunerationē mutui?

Reſp. Cajet 2. 2. *quæſt.* 78. *ar.* 1. Bonac. *de Contract. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *pun.* 2. *num.* 10. & Diana *par.* 1. *tract.* 8. *reſ.* 62. tenent non committere uſuram, & pro hac ſententia plures allegant, & præſertim Salonium in 2. 2. *quæſt.* 78. *ar.* 2. *contract.* 1. *concluſ.* 2. qui ſic argumentatur. Actus interior, & exterior ejuſdem ſunt bonitatis, & malitiæ, ſed actus interior, qui eſt ſperare per mutuum non ſolùm amicitiam, verùm etiam effectum amicitiæ, & non ex debito, ſed ex gratitudine, eſt actus licitus, & honeſtus: ergo actus exterior mutuantis, qui excitat mutuatarium ad mutui beneficium remunerandum non ex debito, ſed ex gratitudine, non erit actus iniquus, neque uſuratius; ſed hoc intelgendum eſt, modò veriſimiliter credat mutuator, ipſum mutuatarium liberaliter, & plenè voluntariè tradere in remunerationem mutui: Tamen dico, quod hoc nullo modo fieri debet, ex proximo periculo incidendi in uſuram & acriter reprehendendus eſt, qui ita facit, ut benè docent ipſe Bonac. Stephanus à S. Gregor. *lib.* 2. *de Contract. cap.* 29. *numer.* 8. & alii plures.

Inter.

2301 Inter. 19. Eſtne uſura ſi mutuans nihil intendat ut pretium,ſed tantùm ſperet aliquid ex gratitudine, & ea intentione illi aliquid donetur, ſed hoc tamen, ut finem principalem intendit, nempè, ut aliquid à mutuatario recipiat?

Reſp. Non eſt uſura, docet Buſembaum *lib.3. tr.5. cap.3. dub.7.n.2.* cum Molina, & Card. de Lugo, quos ſequor, dummodò non intendatur lucrum, ut finis principalis, quia ſperare lucrum ex mutuo, aut ex aliquo ſpirituali, eſt uſura, & ſimonia,ſecundum DD. rectè ſentientes: Ità etiam eſt uſura, ſi exigeret aliquid ultra ſortem,tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, cum hoc ſit reprobatum ab Innoc.XI. & eſt 42.propoſitio ab eodem reprobata. Vndè, ſi intelligeret ſibi aliquid donatum,non gratis, ut putabat, ſed ut debitum,ratione mutui: teneretur reſtituere quãtum indè ditior evaſiſſet. Em.Sà *verb. Vſura n.11.* Vide, quæ docet Toletus *lib.5. cap.29. n. 3. & 4.* cum ad hanc meam reſponſionem optimè faciat; ait enim,qui intẽdit habere ab aliquo lucrum propter mutuum, ſed nõ principaliter,ſed ob gratitudinem,& liberalitatem ſuam, non eſt uſura mentalis, ſicut nec exterius accipere uſuram facit. Favet etiam Navar. *in Man. c. 17. n. 221.*

2302 Inter. 20. Eſtne licitum petere mutuum ab eo, quem ſcis non aliter daturum, quam ad uſuram?

Reſp. Qui ob aliquam neceſſitatem ſuam, vel alterius accipit ad uſuram, nullum committere peccatum; docet S. Tho. 2. 2. *qu.78. art.4.* Vndèq; qui petit ab aliquo mutuum ſimpliciter, & alius non vult gratis mutuare, licet, & ſine peccato poteſt petere permittendo,quod exigat uſuram,& in hoc omnes Doctores conveniunt. Vide Navar. *in Man. cap. 17. n. 262. & ſeqq.* Tolet. *lib.5. cap.37.nu.1.* Em. Sà *verb. Vſura n. 5.* Dianam *par.1. tr. 8. reſol.31.* & alios apud ipſos. Cum verò nulla eſt neceſſitas, ſed ob luxum, & vanitatem, & ad vana, & inutilia, ut ad ſuperfluas epulas, ad ludos otioſos,&c. peteret mutuum ab uſurario: non niſi venialiter peccare,probabiliter docet ipſe Diana *ubi ſupra*, & alii plures penes ipſum, nec diſſentit Navar. Sed limitandum eſt cum Tolet. niſi ſit nimia prodigalitas, & notabile filiorum,& rei familiaris detrimẽtum: nam in hoc caſu eſſet mortale peccatum,ſicut prodigere pecunias. Tamen dico cum Sylveſt. *verb. Vſur. 7. qu.1.* & aliis octo gravibus Doctoribus, quod,ſi hoc fiat pro opere illicito,puta luxuria,ludo, vel hujuſmodi, ſemper eſt mortale. Denique dico cum Caſtropalao, Pontio, Vaſquez, Suarez, Molina, & aliis, eſſe peccatum mortale,petere ſine honeſta cauſa mutuum ab uſurario etiam parato. Quia charitas poſtulat, ut vitemus, quando hic, & nunc poſſumus actionem turpem proximi. Et,ut benè probat Vaſquez, quando ex opere etiam veniali ex ſe,ut ex mendacio levi ſine juramento, vel ex opere ex ſe indifferenti, ſumitur occaſio peccati mortalis, illa actio,quæ eſt venialis, redditur mortalis.

2303 Inter. 21. Valetne promiſſio facta uſurario, cum juramento de ſolvendis uſuris.

Reſp. Ex cap. Debitores, *de jurejurando* juncta *gloſ.* quamvis hujuſmodi promiſſio non firmetur juramento,& in uſurario recipiente reperiatur culpa, tamen facta cum juramento ſervari debet omninò: Verùm eſt tamen,quod poteſt obtinere relaxationem juramenti ab Epiſcopo,vel ſi non juravit ſe non repetiturum,licitè ſolutum poteſt repetere. Cæterum dicta promiſſio ex ſe non parit obligationẽ aliquam ſtandi promiſſioni, ſed ſolùm ratione juramenti, & ideo dixi,hujuſmodi promiſſionem non firmari juramento, quia ratione ſui eſt invalida; Ità pluribus relatis, & de communi firmat Bonac. *de præc. decalog. diſp. 4.*

qu. 1. *pun.* 9. *n.* 2. *& de contr. diſp.* 3. *q.* 1. *pun.* 1. *n.* 7. *verſ. Verumtamen eſt.*

2304 Inter. 22. Sempronius debet Cajo centum ſcuta poſt unum annum, ſed vult nunc ſolvere quinquaginta, cum pacto tamen, quod Cajus expectet poſt biennium alia quinquaginta: poteſtne Sempronius hoc facere ſine uſura?

Reſp. Nullam uſuram committi in hoc caſu, probabilius docet Diana, cum aliis *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 63. tamen eſſe uſuram aſſerit Bonac. *diſp.* 3. *qu.* 3. *de Contract. pun.* 3. *n.* 9.

TITVLVS CCXLV.

De Vxoribus.

Vide tit. de Aſſin. Inter. 12. *tit. de Bigam. tit. de Celebr. Miſ. Int. ult. tit. de cohabit. Conjug. tit. de Correct. Inter.* 2. *tit. de Deb. Conjug. Int.* 3. 7. *tit. de Denunc. Int.* 7. 8. *tit. de Diuort. Inter.* 7. 12. 14. *tit. de Eleem. Int.* 12. *tit. de excomm. ob Cler. perc. Int.* 4. 21. *tit. de Homic. Int.* 4. 5. *tit. de Inceſt. Int.* 2. *tit. de Irregul. Int.* 7. 8. *tit. de Irrit. Vot. Inter.* 1. 2. *tit. de Legat. tit. de Met. Inter. ult. tit. de Ord. Sac. Int.* 3. *tit. de Patrin. Int.* 2. *tit. de Polyg. tit. de Reſt. accept. Int.* 12. *tit. de Sep. partic. Int.* 3. *tit. de Simul. Int. ult. tit. de Sacr. Matr. Int.* 8. 9. 10. *tit. de Vot. Int.* 13. *ti. de Vſ. Conjug. Int.* 5. 6. 7. 8. 9. 10.

2305 INter. 1. Poteſtne Uxor Maritum adulterum accuſare?

Reſp. Solùm viro conceditur poſſe criminalitèr Uxorem adulteram accuſare. Undè Uxor Maritum adulterum accuſare nequit. Alloza verb. *Adulterium num.* 9. Uxor, & Maritus in hoc non ſunt pares, & ſic non datur inter eos compenſatio; deteſtabilior eſt enim impudicitia in fœmina; quàm in Viro, ut docent Abbas, Ancaranus, Imola, Tiraquellus, & alii, quos refert, & ſequitur Caſſianus à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Adulterium* §. 2. *num.* 24. Docet Abb. Zerbi *in Gemma Epiſcopali tit.* 34. *reſol.* 9. *num.* 2. *&* 3. & habetur ex *leg.* 1. *Cod. ad legem Juliam de adulteriis.*

2306 Inter. 2. Poteſtne licitè, & tuta conſcientia Maritus adulter accuſare Uxorem adulterã, ut capite damnetur?

Reſp. Utique poteſt, quamvis ipſe effrenatè vivat; quia ſicut licitè eam in foro externo accuſare poteſt, ità & hoc ei licebit in interno foro; nam ut alibi dixi; forus internus, & externus colludunt ſimul, quoties forus externus falſæ præſumptioni non innitatur. Ita ex Petro, & Bartholomæo Ledeſma, docet idem Caſſianus *loco proxime citato n.* 25.

2307 Inter. 3. Uxor, quæ novit Maritum ſciviſſe adulterium ab ea commiſſum, & timet occidi: poteſtne licitè illum præveniendo occidere?

Reſp. Quamvis Doctores communiter dicant, licitum eſſe Uxori occidere Maritum, qui jam collocaverat pugionem ſub cervicali ad interficiendam ipſam Uxorem, vel præparaverat venenum, nec ulla ſit ſpes evadendi mortem, niſi ipſum occidat, nam dicitur inceptus invaſionis actus, nec debet Uxor, aut alius aliud expectare, ut ex Navar., Julio Claro, Corduba, Molina, & aliis communiter, docet noſter P. Stephanus à Sancto Gregorio *de contract. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 12. tamen, quando ſolùm dubitat de occiſione ob perpetratum adulterium non poteſt Maritum præveniendo occidere, quia nondum cenſetur invaſa, & ſic poteſt, & debet fugere, ſi mortem timet, & non interficere virum qui nondum ſe præparaverat ipſam occidere, ut rectè concludit Bannez 2. 2. *qu.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. *concluſ.* 5. & ex eo Stephanus a S. Gregorio *loc. cit.*

2308 Inter. 4. Licetne Uxori communicare cum Marito excommunicato vitando?

Reſp. Non ſemper hoc ei eſt licitum: quia ſi maritus fuit excommunicatus cauſa Matrimonii, qualis eſt, an

ſit

ſit legitimè contractum, non poteſt uxor communicare cum illo; nam fugere debet fornicationis periculum. Ità etiam non poteſt cum eo converſari, ſi inter eos factum fuerit divortium: licet poſſit reconciliari cum eo, etiam durante excommunicatione, & licitè ſimul habitare. Neque licèt Uxori communicare, cum Marito in crimine criminoſo, nempe in his, propter quæ excommunicatio lata fuit contra maritum; Item quando Maritus eſt ſimul cum alio excommunicato, non poteſt Uxor, cum eo communicare, ſi ſine communicatione alterius excommunicati id facere nequeat, ut ſi v. g. Maritus invitet talem excommunicatum ad menſam, non poteſt licite Uxor in eadem menſa manducare. Denique ſi Maritus ſit excommunicatus ob hæreſim, certò Uxor non poteſt, nec debet cum eo communicare propter periculum infectionis. Cæterùm, Uxor non peccat cohabitando cum Marito excommunicato, etiam vitando (exceptis prædictis caſibus) quià idem eſt ac ſi excommunicatus non eſſet pro ea; nam *in cap. Quoniam multos* 11. *quæſt.* 3. abſolute ſubtrahitur ab obligatione abſtinendi à communicatione cum Marito excommunicato. Ità ex Corneio, & Cordono firmat Diana *par.*5. *tract.* 9. *reſol.* 122. Vide quæ dixi in *tit.* 87. *de Excommunicatione, & excommunicatis, ad Int.*6.

2309 Inter. 5. Poteſtne Uxor irritare vota Mariti?

Reſp. Ratio, quæ militat de Marito, militat etiam de uxore: quia correlativorum eadem eſt ratio. Vnde, ſicut Maritus poteſt irritare vota uxoris ſibi præjudicialia, ità & uxor poterit irritare vota Mariti, quæ incommodum ei afferunt, & quæ aliqua ex parte ejus juri præjudicant: Nam utrumque conjugem in votis emittendis eſſe parem, & æquè neutrum poſſe in alterius præjudicium vovere; tradunt quamplures Doctores, Sicque Uxor certò poteſt irritare vota Mariti, quæ ſibi præjudicant quoad moderatam debiti redditionem, aut mutuam cohabitationem, ut docet Sanch. *in Sum. tom.* 1. *lib.*4. *diſp.* 34. *n.*20. Vide Doctores citatos in *Reſponſione ad Inter.*1. *tit.* 125. *de Irritatione Votorum*, & præſertim Bonac. *loco ibi citat. n.* 17. ſiquidem longum eſſet recenſere in particulari omnia, quæ ipſi dicunt.

2310 Inter. 6. Poſſuntne licitè, & ſine peccato Uxores, inſcio Marito, eleemoſynas pauperibus erogare?

Reſp. Multi ſunt caſus in quibus uxores poſſunt licitè, & ſine peccato inſcio marito eleemoſynas facere, ut videre licet apud Dian. *par.*5. *tract.*8. *reſ.* 34. & alios DD. mox adducendos. Uxor enim non eſt mancipium, ſed ſocia bonorum, undè eam, ut ſociam in decenti ſtatu tenetur maritus ſuſtentare, ſed ad decentiam ſtatus pertinet donationes, & eleemoſynas facere poſſe: ergo non peccat uxor, ſi inſcio, aut etiam invito marito eleemoſynas faciat de bonis viri, quas aliæ ſuæ conditionis communiter facere ſolent. Imò docent quidam apud ipſum Dian. *loc. cit. prop. fin. & par.*2. *tr.*15. *reſ.*33. poſſe uxorem inſcio viro, ſi dives ſit, vigeſimam partem annui proventus in eleemoſynas diſtribuere. Verùm, ut benè inquit Lugo *de Inſtit. diſp.*16. *ſect.*4. *n.* 64. hoc nimium eſt: Nam, ſi ſit Uxor viri Principis habentis ducenta millia aureorum annua, poſſet, juxta hanc ſententiam decem millia inſcio viro uſurpare, & expendere, quod eſt contra praxim, & ſenſum omnium ejus conditionis perſonarum, quibus multò minùs ſolent Mariti, etiam liberales, ad ejuſmodi ſumptus, & donationes aſſignare. Hactenus Lugo. Vide Navar. *in Man. c.* 17. *num.* 143. *& ſeqq.* Tolet. *lib.*8. *cap.*29. Sylv. *Verb. Eleemoſyna num.*7. *&* 8. Em. Sà *eodem Verb. n.*11. Bonac. *de Contract. diſp.*2. *qu.* 10. *pun.* 1. 2. 3. *&* 4. & præſertim Dian. *loc. cit. & par.*2. *tr.*16. *reſ.* 23. ubi tandem con-

cludit, hujuſmodi eleemoſynas dandas eſſe in quantitate moderata, conſiderata quantitate bonorum, & quando non timentur maximè contentiones, & nō conſtet evidenter de contraria voluntate Mariti: Ideò Uxores, in tali caſu, ſe remittant ad conſilium, & arbitrium prudentis Confeſſarii, qui conſiderando ſtatum viri, & quantitatem bonorum, taxabit ſummam eleemoſynæ ab uxore pauperibus tradendam. Ita Dian. *loc. prox. cit. prop. fin.*

Quær. An uxor Clerici conjugati, vel Sacerdoris græci, aut Equitis D. Jacobi Alcantaræ, vel Calatravæ, durante viduitate, gaudeat privilegio fori, & exemptione gabellarum?

Reſp. Eſt quidem quæſtio hæc ſatis practicabilis, & quotidiana, ac jure meritò inter viros doctos exagitata, ideòque illam denuò pertractabo: Jàm enim pluribus allegatis, juxtà opinionem probabiliorem memini me docuiſſe *in tit.* 89. *ad Int.* 4. Uxorem Clerici conjugati gaudere privilegio fori, non ſolùm vivente viro, ſed etiam poſt ejus mortem, durante viduitate, dummodò honeſtè vixerit: quià cum vidualis vita durat, cenſetur in priori matrimonio eſſe *ex lege filii*, §. 1. *ff. ad municip.* & aliis relatis, docet etiàm Bellettus *in diſquis Cler. tit. de fauore Clericorum realis* §. 1. *n.* 24. Sed nunc prætereà dico, hoc eſſe verum, non ſolùm de uxore Clerici, in minoribus latini, ſed etiam de uxore Sacerdotis græci, & dictorum Equitum, ut optimè docet Merolla *tom.* 3. *diſp.* 6. *c.* 30. *nu.* 52. apud Dianam *loco proximè citando*, & prò hac ſententia refert 23. Doctores, loquendo ſcilicèt de uxore Clerici latini, & Sacerdotis græci; Idē docet Facundez *de juſt. lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 27. Immò id extendit ad uxorem dictorum æquitum, quamquam oppoſitum dicat Trullench *in deciſ. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 12. *dub.* 5. *n.* 27. dum putat uxorem præfatorum Equitum, non gaudere privilegio Maritorum; At validis rationibus, juribus, & Doctorum auctoritatibus, noſtram ſententiam tuetur Diana *par.* 6. *tra.* 8. *reſ.* 6. & *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 23. & abſolutè, egregieque firmat, Uxores Clericorum, & Sacerdotum græcorum, & Equitum D. Jacobi Alcantaræ, & Calatravæ montejæ gaudere privilegio fori, & exemptione gabellarum: quià earum mariti his privilegiis fruebantur, & tandèm in fine *dictæ reſ.* 6. *loco cit.* concludit non eſſe denegandam abſolutionem Viduæ olim uxori Equitis D. Jacobi, &c. ſi gabellas defraudet. Et rectè quidem hoc dicit: nam hæc ſententia eſt utique in favorem libertatis Eccleſiaſticæ, ideòque in praxi ſequenda, quamvis omninò hoc ſit intelligendum de gabellis à Principibus ſæcularibus impoſitis, non verò de illis, quæ auctoritate Eccleſiaſtica impoſitæ ſunt, vel imponuntur, ut ſatis me explicavi *in tit.* 99. *de Gabellis ad Inter.* 5. & *in tit.* 180. *ad Inter.* 68. etenim perſonæ Eccleſiaſticæ ſubduntur Superioribus Eccleſiaſticis, non autèm Principibus laicis, cum nullam habeant poteſtatem in eos, ut docui *loc. prox. cit.* ad quas brevitatis gratiâ Lectorem remitto. Cæterùm, vide Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 13. *n.* 15. Squillant *de priuil. Clericorum c.* 7. *dub.* 2. *n.* 34. & iterum Dianam *par.* 3. *tr.* 1. *reſ.* 45. Vndè non eſt audiendus Bonac. *tom.* 2. *de legibus diſp.* 1. *qu.* 3. *pun.* 8. §. 1. *n.* 9. nec alii aſſerentes, præfatas viduas minimè tali privilegio gaudere, cum dumtaxat ſit privilegium perſonale, nam dicimus eſſe perſonale, atque reale, ut ſentiunt ſupracitati Auctores, & alii plures, quos refert, & ſequitur idem Diana *locis ſuprà relatis.*

FINIS.

Deo O. M. laus, & gloria pro perfecta, utcunque mearum lucubrationem ſexta editione, menſe Januarii, anno ſalutis 1708. *ætatis meæ* 65. & *Regularis diſciplinæ* 50. *Pro me orate Deum quæſumus.*

Digitized by Google

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Ab Alexandro VII. Pontifice Maximo, feriæ V. die 24. Septembris anno 1665.

PRima. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir Equeſtris ad duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis & aliorum criminum, quando publica ſunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, Anno 1629. 18. Jullii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumq; ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, & proindè non eſt denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denũciandæ ſollicitationis eſt; Si ſollicitatus confiteatur, cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſolvere, abſque onere denunciandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani Octavi.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam eſt contrà fidelitatem, etiã ſi promittam promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeù oblita ob iſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14. Qui facit confeſſionem voluntariè nullam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator

ſit

Digitized by Google

ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licèt interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria actoritate Vxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia, ante ſententiam declaratoriam Judicis: eo quod ſit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quoduis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

22. Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniēte, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubiicere præcepto.

24. Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens, commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro ſe opinionès æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Sequuntur Propoſitiones damnatæ ab eodem Alexandro PP. VII. feria V. die 18. Martii anno 1666.

1. IN die jejunii, qui ſæpiùs modicū quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

2. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certiorare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

3. Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumquè iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

4. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

5. Reſtitutio fructuū ob omiſſionem horarum, ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.

6. In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

7. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

8. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.

9. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

10. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cū peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.

11. Illa pericula *quamprimum* intel-

telligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

12. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

13. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò, *regalo*, dum deficiente illa, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno cuncubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

14. Licitum eſt mutuanti, aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

15. Annum legatum pro anima relictum, non durat pluſquam per decem annos.

16. Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

17. Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, decrevit ac prædictas Propoſitiones, & unamquamq; ipſarum ut minimum, tanquam ſcandoloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à quà non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini Iudicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, Dignitatis, ac Status, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Propoſitiones damnatæ ab Innoc. XI. Sũmo Pont. feria 5. die 2. Martii 1679.

1. PRima, non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxtà opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, ſivè intrinſeca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis ergà Deum.

7. Tunc ſolùm obligat, quando, tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.

8. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus Conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi, ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

Vix

Digitized by Google

12. Vix in ſæcularibus invenies, & in Regibus ſuperefluum ſtatui; & ità vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

15. Licitum eſt Filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indè ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

17. Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum, ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis: immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria medii, non autem explicata Remuneratoris.

23. Fedes latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilivè motivo ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſivè res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coràm aliis, ſivè interrogatus, ſivè propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocũque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intrà ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab eo, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui, mediante commendatione vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſunt furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contrà injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contrà eorum poſſeſſionem in-

injuſtè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cum parit, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

50. Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt Creditor aliquid ultrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42. Vſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.

43. Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam, falſo crimine elidere?

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat; & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint, ac Eccleſias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando ſit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquandò obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium, adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter ſi id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali,ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò qnatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.

58. Non tenetur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantum confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.

61. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis,aut honeſta non fugienda occurrit.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

64. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

65. Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.

Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis, illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quocunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcunque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali,& ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Propoſitiones damnatæ ab Alexandro PP. VIII. feria V. die 8. Decembri 1690.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum, ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tamet ſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ea ipſa, non excuſat à peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.

5. Pagani, Judei, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt a Jeſu Chriſto influxum; adeoque hinc rectè inferes in illis eſſe

yolun-

voluntatem nudam; & inermem; ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tàm utilis, quàm pernicioſa eſt; ſic ut proindè meritò poſſimus petere, à gratia ſufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi; Si Dei, Charitas Patris eſt; ſi Mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8. Neceſſe eſt Infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiamſi videatur credere, non eſt fides divina, ſed humana.

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi carverit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtinet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeù ſatisfactione, ob quæſtum, ſeù lucrum ſubſidii temporalis.

22. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templum, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundùm verba legis.

25. Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, in nomine Patris &c. prætermiſſis illis, Ego te baptizo.

28. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intùs verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia.

29. Futilis, & toties convulſa fuit aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullã.

31. Bulla Urbani Octavi; In eminenti, eſt ſubreptitia.

Propoſitiones damnatæ ab eodem Alexan. VIII. feria 5. die 24. Auguſti.

1. Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis verò in conformitate actus in regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimũ interpretativè. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.

2. Peccatum philoſophicum, ſeù morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale, eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei neque peccatum mortale diſſolvẽs amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctiſſimus omnibus plenè, & maturè conſideratis primam Theſem, seù Propoſitionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores injure expreſſis; ſecundam Theſem, ſeù propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicut damnat, & prohibet; itaut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit publicè, ſeù privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiã Dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictam Theſem, ſeù Propoſitionem ad praxim deducant.

Alexander Speronus. S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.
Loco ✠ Sigilli.

Summa Decretorum Sacræ Congregationis ſuper Reſervatione, & abſolune caſuum Reſervatorum.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium Negotiis Epiſcop. & Regul. præpoſita de mandato ſpeciali Clementis Papæ VIII. jubet, & præcipit Sacerdotibus omibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, ne quis eorum, prætextu privilegiorum quomodolibet conceſſorum, ab ullo ex caſibus in prædicta Bulla contentis, vel aliàs à Sede Apoſtolica, vel per Ordinariũ reſervatis, aut reſervandis abſolvere præſumat, ſub pœna excommunicationis, &c. ipſo facto abſque ulla declaratione, incurenda, &c.

Cùm autem dubia quædam circa intelligentiam præfati Decreti emerſiſſent, eadem Sac. Congregatio de mandato ejuſdem Sanctiſsimi declaravit præter caſus in Bulla Cœnæ, & per Ordinarios locorum reſervatos, comprehendi ſub eadem prohibitione, & pœna, Violationem immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtit. Gregorii XIII. incip. Cum aliàs Violationem clauſuræ Monialium ad malum finem. Procurantes, ac pugnantes in duello juxtà Decretum Trident. & Conſtit. Gregorii XIII. incip. Ad tollendam. Iniicientes manus violentas in Clericos juxtà Canonem: *Si quis ſuadente*. Simoniam realem ſcienter contractam, atque etiam confidentiam beneficialem. Quod

Quod Decretum, ejuſque declarationem, nec non cenſuras, & pœnas confirmat, atque innovat Paulus V. ab omnibuſque Sacerdotibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, etiam neceſſariò exprimendis inviolabiliter obſervari mandat, non obſtantibus Privilegiis &c.

Inſtructio Parochorum, & Confeſſariorum pro caſibus, quorum abſolutio ſeù diſpenſatio à ſacra Pœnitentiaria Apoſtolica impetratur.

CUm ſæpè ſit experientia compertum, plurimos utriuſque ſexus Chriſti fideles, & præcipuè in longinquis degentes, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, nec non Irregularitatum, & caſuum, quoquò modo reſervatorum ligaminibus adſtrictos, ad Sanctam Sedem, ejuſque Sacram Pœnitentiariam ſpectantibus irretitos, in illis lachrymosè perſiſtere, continuis conſcientiæ agitationibus laborioſè perdurare, ejus mali cauſas ex ſimilibus provenire innotuit.

Primò eo, quod Parochi, vel alii, ad quos hujuſmodi Pœnitentes recurrere contingit, in Pagis, aut locis Ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hìc Romæ agnoſcunt, ad quem ſupplicationes dirigant, undè Pœnitentes perplexos dimittunt, qui cum ad Ordinarium accedendi, (præſertim ſi ſint fœminæ) verecundia, aut timore includuntur, conſilium ulterius requirere neſcientes, remedium deſperant, & in prędictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inabilitatibus, & caſibus reſervatis, cum periculo damnationis inſordeſcunt.

Secundò evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro ſollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, exolvere non valentes, mærentes, afflicti, ac conſcientiæ motibus concuſſi, in periculoſo ſtatu manere coguntur, & fortè (quod pejus eſt) ſibi perſuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal, aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum re vera Sacræ Pœnitentiariæ Miniſtri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam ſpontè oblàtum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, ſingulos ad ſe recurrentes, ſerena fronte complectantur.

Tertiò Accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta expoſita obtentæ, irritæ evadant, eo quia caſus, & circumſtantias neceſſarias retineant; undè fit, quod litterarum executores, caſu poſteà Pœnitentium examinato rem aliter ſe habere, quàm expreſſum fuerat, comperiant, & gratias ſubreptitias, aut obreptitias eſſe inveniant, quare Pœnitentes confuſi remanent, & ſpe novæ diſpenſationis ſe carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus &c. miſerabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte modus recurrendi ad ipſam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confeſſorem itaque, cum Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad ſe accedere contigerit, caſuum qualitatis, & præfatorum caſuum circumſtantias conſiderent, cauſaſque diſpenſationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne quòd occultum eſt, publicum faciant, præſertim impedimenta occulta matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et ſic præfati Confeſſores poterunt caſus Pœnitentium præfatos, cum dictis circumſtantiis, & cauſis exponere, ſive latino, ſive quocumque alio idiomate propriæ Regionis, nam Sacra Pœnitentiaria ſuos ex quacumque Regione Pœnitentiarios ſubordinatos habet, & exprimant inſuper in fine expoſitionis caſus, nomen, cognomen, cui

ſit

ſit à Sacra Pœnitentiaria reſcribendâ, etiam ſi ipſum nomen,& cognomen ſit fictitium. Itemque modum, per quem reſponſio ſecura dirigi poſſit, ſignificando ſcilicet vulgari nomine, Oppidum, ſeu Civitatem, & Regionem,cum data menſis; & anni in hunc modum.

Intus incipiant Epiſtolam, ſeù ſupplicationem ſic.

Eminentiſs. & Reverendiſs. Domine.

N. Mulier emiſit votum ſimplex caſtitatis, manet in periculo incontinentiæ, niſi nubat, ſupplicat ſibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminet Epiſtolam, ſeù ſupplicationem ſic.

Dignetur Eminentia Veſtra reſcribere ad N. & N. & exprimant nomen, & cognomen illius, cui eſt reſcribendum. Ad Civitatem. N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve, ſeù gratiam ſimplici Confeſſario, ſeù Confeſſario Magiſtro in Theologia, ſive Decretorum Doctori, ſive Parocho, cui Pœnitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe Pœnitens, & præſertim fœminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epiſtolam, ſeù ſupplicationem ſcribendo,extrà, ſeù à foris in hunc modum.

Eminentiſs. & Reverendiſs. Dño Cardinali Majori Pœnitentiario. Romam.

Et ſi tardaverit reſponſio,Confeſſarii reſcribant, & ſi opus fuerit, ſemel, & iterum, ne fortè prior Epiſtola ſit deperdita.

Rogantur inſuper Parochi, ſive Confeſſarii, ad quos præſentes litteræ pervenerint,illarum notitiam,quibus poterunt, pro animarum ſalute communicare.

Ne elaborent nimis Confeſſarii in dando executionem litteris,ſeù gratiis Sacræ Pœnitentiariæ, impreſſus eſt Romæ in Typographia Apoſtolica liberculus, cujus titulus eſt: MANVDVCTIO AD EXEQVTIONEM LITTERARVM SACRÆ POENITENTIAR. NECESSARIA CONFESSARIIS, PAROCHIS, EPISCOPIS, ET RELIGIONVM SVPERIORIBVS, in qua non ſolùm datur modus exequendi litteras Sacræ Pœnitentiariæ,ſed etiam modus legẽdi brevia charactere Gotico ſcripta.

IN-

INDEX

Locuples rerum notabilium, quæ in hoc ſecundo Tomo attinguntur.

Prior numerus indicat paginam; Secundus verò numerum marginalem.

A

ABBATES.

ABbatis conſenſus, non requiritur, ut Monachus habeat à Monaſterio expenſas pro lite contra Abbatem ſuum. 137. 1618.

Ex Declaratione Sac. Congreg. poteſt Epiſcopus in Eccleſia Regularium, accedens cum Capitulo, & Clero, benedicere Palmas in die Palmarum, etiam privativè quoad Abbates. 142. 1632.

Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa.

Quæ Virgines non ſunt, excluduntur ab Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ officio. 336. 2240.

Abjuratio.

Faciens ſe rebaptizare propter eleemoſynam acquirendam, licet neget id feciſſe ex mala credentia, abjurare debet omninò. pag. 320. quæſ. 2.

Abſolutio à Cenſuris.

Non poteſt Parochus, nec alius Confeſſarius, imò nec Epiſcopus, à ſuſpenſione non reſervata, præſertim lata ad tempus, abſolvere. 69. 1422.

Abſolutio à Peccatis.

Si fiat prohibitio abſolvendi complicem, hoc intelligitur (niſi aliud de mente Superioris conſtet) in ea confeſſione duntaxat, in qua Pœnitens aperire debet peccatum, cũ Confeſſario patratum. 297. 2032.

Abſolutio à Reſervatis.

Non poteſt Superior auditis ſolis peccatis reſervatis Pœnitentem abſolvere, tranſmittendo illum ad inferiorem pro non reſervatis. 332. 2135.

Po. eſt tunc ſuperior facultatem concedere, ut abſolvatur, vel cum audire non Sacramentaliter, & pœnitentiam imponere, & ad Confeſſarium inferiorem pro Confeſſione Sacramentali remittere. 333. 2135.

In Abſolutione generali, datur apud Nos facultas eligendi pro abſolutione à reſervatis Confeſſarium, non modo à Priore deſignatum, ſed alium etiam à Provinciali, vel Vicario Generali approbatum. 296. 1746.

Actus.

Actus.

Actus factus tempore inhabili, ſed relatus ad tempus habile, valet pro tempore habili. 365. 2206.

Actus internus.

Eſt ejuſdem ſpeciei, cum actu externo. 269. 1924.

Accuſatio.

Non poſſunt laici accuſare Clericos, vel Religioſos, niſi ſuam, ſuorumque injuriã proſequantur. 4. 1230.

Non omnes Subditi, ſed criminoſi dumtaxat prohibentur accuſare Prælatos. 137. 1618.

Contrà Prælatos major ſæpè deſideratur probatio, quàm contra alios. 137. 1618.

Adoratio.

Summus Pontifex eſt adorandus genuflexione propter excellentiam illius. 62. 1402.

Adoratio Pontificis eſt reducenda ad adorationem duliæ. Ibidem.

Advena.

Advenis, qui in Regularium Conventibus infirmantur, non licet abſque licentia Epiſcopi, vel Parochi, Sacramenta adminiſtrare, & decedentibus ſepulturam in ſuis Eccleſiis præbere. 177. 1715.

Adulterium.

Adulteri non poſſunt Matrimonialiter invicem copulari, cùm quis vivente propriâ Uxore fidem præbet ei, cum qua adulteratur, quod mortua Uxore ipſam ducet. 255. 1890.

Parum refert, ſi ante, vel poſt fidem datam, Adulterium perpetretur. 255. 1891.

Maritum adulterum nequit Uxor accuſare, licèt illam adulteram is accuſare poſſit. 394. 2305.

Ætas requiſita.

Poſt ſeptennium quilibet habens uſum rationis ſufficientem poteſt admitti ad exercendum munus Patrini. 86. 1467.

Ætas requiſita ad Sacramentum extremæ unctionis in Pueris, ea eſt, qua poſſunt peccare. 250. 1876.

Ut quis ſit teſtis idoneus in criminalibus, habere debet 20. annos 327. 2116.

Affinitas.

Affinitas non parit Affinitatem. 206. 1895

Agnus Dei.

Illos tangere non poſſunt, niſi Clerici ſaltem in Subdiaconatu conſtituti. 4. 1228.

Poſſunt tangi à Laicis, abſque ullo peccato, ſi adeſt Moralis neceſſitas, pietas, & devotio. Ibid.

Alienatio bonorum Eccleſiæ.

Alienatio Reliquiarum includitur in prohibitione de rebus Eccleſiæ non alienandis. 205. 1756.

Alimenta.

Superiores Regulares tenentur ex Juſtitia, alimenta dare ſui ſubditis, ſcilicèt cibaria, veſtimenta, calceamenta, medicinalia, & alia hujuſmodi, ſine quibus homo vivere non poteſt. pag. 119. & 120. *nu.* 1579.

Victualia, vel pecunia loco victualium, quæ à Communitate ex conſuetudine præſtantur Prælatis, qui jure Ordinario viſitant, tribuenda ſunt; Quod ſi Communitas, ſeù laici, etiam ſtante conſuetudine dare recuſant, cogendi non erunt. 378. 2244.

Si pro promiſſione non petendi alimenta ordinetur aliquis ſine titulo, non ſolùm peccarent mortaliter Epiſcopus præſentans, & præſentatus, ſed per triennium Epiſcopus à collatione, & præſentans ab executione Ordinum ſuſpenſionem incurrerent, Ordinatus verò, etiamſi id eſſe illici-

Digitized by Google

licitum ignoraret, in foro externo ab Ordine ſic ſuſcepto ſuſpenſus exiſteret, donec à Papa abſolveretur. pag. 266. & 267. quæſ. 4.

Altare.

Neque ſubtus, neque ſuprà, neque in medio Altarium, ſepulturæ eſſe debent, alidi in eis non eſt celebrandũ. 279. 957

Etiam in Altari, ſub cujus prædella eſt Sepultura, celebrari non debet. Ibidem.

Ambientes.

Faciunt ſe indignos electione. 166. 1666.

Amicitia.

Amicitia non eſt pecunia æſtimabilis. pagina 287. & 288. *num.* 3003.

Appellatio.

Licitè fieri poteſt à Religioſis, quando conſtat notabilem injuriam iis fieri, appellatio ad Sedem Apoſtolicam, vel Sac: Congregationem ſine medio. 137. 1619.

Neceſſe eſt in appellatione cauſam gravaminis exprimere. 137. 1619.

Si cauſa non aſſignatur, vel aſſignetur frivola, aut injuſta, talis Appellatio non ſuſpendit executionem ſententiæ. 138. 1619.

Argumenta.

Argumentum à contrario ſenſu eſt fortiſſimum in jure. 301. 2050.

Aruſpicium.

Quædam futura pronunciantur ex Animalium motu, ut Veſpertilionum procul à domibus volatu. 316. 2091.

Aſtrologi.

Aſtrologi judicarii in excommunicationis pœnam ipſo facto incurrunt, licet non certò, ſed ſub dubio, pendentia à libero arbitrio prænunciant futura. pag. 312. & 313. num. 2081.

Denunciari debent Inquiſitoribus contra Hæreticam pravitatem, & non præmiſſa correctione. 313. 2081.

Aſtrologia naturalis eſt licita, Iudiciaria verò illicita, ſive Electionis, ſive Revolutionis, ſive Nativitatis. 312. 2001.

Attentio.

Optimum Conſilium eſt, ſine aliqua juſta, & rationabili cauſa, attendere potius in auditione Sacri Myſteria Miſſæ aut ad ea, quæ in Evangelio, & Epiſtola dicuntur, quàm tunc recitare Officium Divinum, vel Pœnitentiam à Confeſſario injunctam. 109. 1553.

Attritio.

Requiritur Attritio ſupernaturalis, efficax, & univerſalis, ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ cum fructu. 268. 1919.

Augurium.

Quædam futura prænunciantur ex cantu, vel voce animalium, ut pluvia ex cornicina voce. 319. 2091.

B

Benedictio.

Benedictio Iure petita, ſi injuſtè denegetur, videtur jure conceſſa. 143. 1631.

Regulares in Eccleſiis ſui ordinis, licet ſine licentia Ordinarii prædicare poſſint, tenentur tamen petere ejuſdem benedictionem. 142. 1694.

Prælati Regulares poſſunt ſolemni benedictione benedicere paramenta Corporalia, Ornamenta, & alia quæcumque ad Divinum cultum pertinentia, ubi non intervenit Chriſma, & pro ipſorum Eccleſiis dumtaxat. 116. 1577.

Beneficia Eccleſiaſtica, & Beneficiarii

Clericus Beneficiatus, quamvis non incedat

in habitu, & tonſura, gaudet Fori privilegio. 130. 1605.

Clericus habens Beneficium excedens ſexaginta aureos de Camera, tenetur ad tonſuram, & habitũ talarem, alioquin ipſo facto eſt privatus beneficiis, nec facit fructus ſuos in utroque foro. Ibidem.

Clericus habens penſionem loco tituli Beneficii, reputatur ut Beneficiatus. Ibidem.

Beneficiarius, qui primis ſex menſibus non recitat Officium Divinum, peccat mortaliter, quamvis non ſit in ſacris conſtitutus, ſed ad reſtitutionem fructuum non tenetur propter condonationem Summi Pontificis. 211. 1772.

Blaſphematores, & Blaſphemiæ.

Qui maledicit Deum, & duodecim Apoſtolos, tredecim peccata committit. 88. 1476.

Bigamus.

Nullo privilegio Clericali gaudet. 127. 1594

Hoc intelligendum eſt duntaxat de Clericis Bigamis Bigamia vera, vel interpretativa, in minoribus conſtitutis, non autem de Bigamis Bigamia ſimilitudinaria. 128. 1595.

Bona Fides.

Quando Peccator, qui non potuit confiteri, accedit ad Sacramenta vivorum, putando bona fide ſe habere contritionem ſi habeat tantùm attritionem, & eſſe in ſtatu gratiæ abſque peccato mortali, tunc ta Sacramenta per accidens conferunt primam gratiam. 228. 1833.

Si Scrupuloſus bona fide putat ſe non mentiri proferendo numerum exorbitantem peccatorum in Confeſſione, ejus Confeſſio non poteſt dici infidelis, & peccaminoſa; non tamen bona fides ei amplius ſuffragatur, ſi à Confeſſario monitus, ut veritatem circa numerum peccatorum aperiat, obedire recuſet. 340. 2162.

Poſſeſſor bonæ fidei, non eodem modo reſtituere tenetur, ac poſſeſſor malæ fidei. 101 1530.

Bona Matrimonii.

Bona Matrimonii ſunt tria. 252. 1879.

Bullæ.

In Bullis Summorum Pontificum graviſſima reperiuntur motiva, ut valdè amplà Regularibus conceſſa ſint privilegia. 174. 1711

In Bulla 7. Sixti IV. inhibentur Prælati, & Rectores Eccleſiarum, ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ, ne cum habitu Religioſo ſepeliri volentibus quovis modo impedimentum afferant. 179. 1724.

Regulares ex illis Conventibus, qui Collegia nuncupantur, excipiuntur à proceſſionibus in Bulla B. Pii V. 154. 1669.

Ex Sixti V. Bulla Matrimonium Spadonum, atque Eunuchorum, nullum eſt cum quibuſlibet mulieribus, ſive talem defectũ ſciverint, ſive ignoraverint. 356. 2179.

C

Canonici.

Canonicus abſens per tres menſes, poteſt percipere fructus ſui Beneficii, ſed non diſtributiones quotidianas. 209. 1765.

Capellani, & Capellania.

Capellaniæ ſine Epiſcopi authoritate fundatæ, poſſunt abſque labe Simoniæ, pecunia obtineri. 284. 1989.

Caſus Fortuitus.

Eſt Inopinatus rei eventus, qui prævideri, aut præcaveri non poteſt, etiam per hominem diligentiſſimum. 215. 1792.

Caſus fortuiti non pariunt reſtituendi obligationem, dummodò non adſit pactum, & excepta culpa, & mora. Ibidem.

Caſus reſervati.

Reſervatio imponi ſolet in pœnam peccati pœnitentis. 297. 2033.

Cele-

Celebratio Miſſæ.

Poteſt quis ſine labe Simoniæ pro pretio ſe obligare per tempus aliquod ad Celebrandum. 285. 1992.

In feria quinta Cœnæ Domini, præter Miſſam ſolennem, nulla alia eſt dicenda. 105. 1538.

Poſſunt Regulares in ſuis Granciis, & in Cellis Infirmorum celebrare Miſſam, etiam contradicente Epiſcopo. 56. 1391.

Cenſuræ.

In Decreto Clem. VIII. ſuper Caſuum reſervatione cōprehenduntur etiam Cenſuræ 124. 1590.

Chiromentia.

Chiromentia, quæ ex lineamentis manuum inquirit futurorum rerum cognitionem, in Bullis Sixti V., & Urbani VIII. tanquā ſuperſtitioſa prohibetur. 313. 2082.

Non eſt mortale peccatum, ex curioſitate tantùm talia lineamenta conſpicere. Ibid.

Chriſma.

Solùm in Eccleſia confici debet. 241. 186.

Circumſtantiæ, in Confeſſione explicandæ.

Licet Peccatum contrà Naturam cum Perſona conjugata, cum conſanguinea, vel vel affine, cum Virgine, non ſit propriè Adulterium, Inceſtus, ſtuprum, niſi reductivè nec ſub reſervationis pœna comprehendatur, tamen hujuſmodi circumſtantiæ ſi concurrant, non ſolùm aggravant, ſed variant ſpeciem, & ſunt in confeſſione exprimendæ. p. 298. & 299. 2040

Species peccati, ad quod proximus induci poterat per pravum exemplum, eſt circumſtantia in Confeſſione explicanda; nec contrarium ſine temeritate affirmari poteſt. 273. 1945.

Clauſtra Religioſorum.

Pro tranſitu Mulierum per clauſtra Religioſorum in Proceſſionibus &c. datur quidem B. Pii V. Privilegium ab aliis Pontificibus non revocatum, ſed in bis laudabilis uſus retinendus erit, & abuſus vitandus. 161. 1685.

Prælati Regulares non poſſunt licentiam manendi extrà Clauſtra concedere ſibi ſubditis ad ſubveniendum Parentibus in gravi neceſſitate conſtitutis. 150. 1661.

Nullus è Conventu egredi poteſt, niſi cum Socio, & ex cauſa, necnon licētia, & benedictione ſingulis vicibus accepta. 121. 1584

Clerici, atque Eccleſiaſtici.

Clerici inducentes cum juramenta, voto, vel promiſſione, ad ſepulturam in propriis Eccleſiis eligendam, vel non mutandam electam, in excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt. pag. 275. & 276. n. 1955.

Clerici Conjugati.

Ipſo jure perdunt Penſionem per Matrimonium. 96. 1510.

Comediæ.

Si Comediæ Res laſcivas continent, vix à mortali excuſari poſſunt Religioſi illis aſſiſtentes. 142. 1633.

Commodatum.

Cum Commodatum ſit tantùm in favorem Commodatarii, Commodatarius tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, etiam de leviſſima culpa. 216. 1795.

De Caſu fortuito, generaliter loquendo, Commodatarius non tenetur, ſed tantùm in tribus caſibus, nempe culpæ, pacti, & moræ, ſaltem quoad intereſſe, ſi res commodata eodem modo apud Dominum erat peritura. 216. 1796.

Comutatio Votorum.

Poſſunt Confeſſarii Regulares commutare vota

vota jurata, ſine præjudicio tertii, & vota non contrahendi Matrimonium, non ſe polluendi, non petendi debitum conjugale, & cætera hujuſmodi, quoties in eis materia promiſſa deficit à natura materiæ reſervatæ. 146. 1649.

Concionatores, & Conciones.

Poteſt Epiſcopus examinare Regulares volentes in Eccleſiis, quę non ſunt ſuorum Ordinum, prædicare. 153. 1667.

Poteſt Epiſcopus prædicare in quacunque Eccleſia, etiam Regulari ſuæ Diœceſis, nec ab ullo poteſt impediri. 143. 1638.

Tenetur parochus docere Populum concionando, maximè ſi nullo juſto impedimento detineatur, & peccat mortaliter, ſi hoc nunquam aut rarò faciat. 75. 1434.

Confeſſarius.

Confeſſarius excommunicatus, aut ſuſpenſus, ſed non denunciatus, non ſolùm validè abſolvit, cum Eccleſia ſuppleat Iuriſdictionis defectum, in favorem animæ pœnitentis, ſed nec peccat, nec fit irregularis exercendo talem jurisdictionem, modò non ſe ſpontè ingerat. 342. 2156.

Cõfeſſarii circa illos, qui ad ſanãdos morbos remediis externis utuntur virtutẽ naturalẽ non habentibus, non ſatis habere debent, quod ab Eccleſia ji tolerentur. 318. 2095.

Idem Confeſſarius pœnitentiam ſemel impoſitam in aliam poteſt commutare, & unam præſeruatiuam in aliam præſeruatiuam. 272. 1940.

Id etiam poteſt alius Confeſſarius, ſed cum hoc, quod omninò juſtam habeat cauſam, neque id faciat extrà Confeſſionem; Poteſt quoque illam minuere, & totam tollere. 272. 1941.

Similiter pœnitentiam pro reſeruatis impoſitam, cum non ſit reſervata, alter Confeſſarius facultatem à reſeruatis abſoluendi non habens commutare poteſt. 272. 1942.

Confeſſio Sacramentalis.

Non poteſt Summus Pontifex diſpenſare ne ipſe, vel altus Confiteatur. 65. 1407.

Poteſt Pontifex diſpenſare, ut quis differat confeſſionem ultra annum. Ibidem.

Solùm ad recipiendum Sacramentum Euchariſtiæ tenemur de jure diuino Confeſſionem mortalium præmittere, ad recipiendum verò alia Sacramenta ſufficit præmittere Contritionis actum. p. 246. & 247. quæſ. 3.

Confraternitates.

Confraternitates omnes ab Epiſcopo viſitari poſſunt quoad Perſonas, & ſi habent redditus, quoad eorum adminiſtrationem, exceptis Confraternitatibus, quæ ſub Regum immediata protectione ſunt. 377. 2242.

Conſecratio.

Calix, qui porrigitur in ordinatione Subdiacono, & Presbitero, debet eſſe neceſſariò conſecratus. 261. 1905.

Quando peracta conſecratione non poteſt Sacerdos Miſſam perficere, & nullus alius Sacerdos adſit, Sacramentum debet reponi in Sacrario, & ſimiliter Sanguis, donec altera die ab alio Sacerdote ſumatur; & ſi ſpecies vini corrumperentur, in Sacrarium projiciendæ eſſent, ſed expedit prius in ſtuppa ſiccari. 3. 1224.

Conſilia.

Non per omnia opera Conſiliorum tenentur Religioſi tendere ad perfectionem. 172. 1706.

Conſuetudo.

Conſuetum veniale non correptum, diſpoſitivè inducit ad mortale. 158. 1678.

Conſtitutiones noſtræ.

Non ſunt Trangreſſores Conſtitutionum Religioſi illi, qui de ſuorum Superiorum licentia ſecum ferunt pecunias, ac illas mediatè tangunt. 199. 1751.

Contra-

Digitized by Google

Contractus.

Si Contractus eſt in utilitatem ſolius accipientis, accipiens tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, non ſolum de dolo, & lata culpa, ſed etiam de levi, & leviſſima culpa; excepto precario. 216. 1794.

Si Contractus eſt in utilitatem ſolius dantis, accipiens tenetur ſolùm de dolo, & lato culpa. Ibidem.

Si eſt in utilitatem utriuſque, accipiens tenetur de dolo, lata, & levi culpa, non verò de leviſſima. Ibidem.

Copula carnalis.

Per eam, niſi ſit occulta, polluitur Eccleſia, ſi fiat ibi. 268. 1923.

In loco Sacro, etiam occulta, eſt Sacrilegium. 268. 1923.

Corporalia.

Nullus poteſt lavare Corporalia, niſi poſt primam lotionem factam ſaltem à Diacono, ſub pœna peccati venialis. 4. 1229.

Culpa juridica.

De culpa juridica levi, aut leviſſima, ob damnum illatum non tenetur quis ad reſtitutionem, ſecluſo contractu. pag. 216. 1793.

Culpa Theologica.

De Culpa Theologica, etiam veniali, ob damnum illatum ſemper reſtituendum eſt; non tamen reſtitutione totius damni illati actione culpabili tantùm venialiter. 216. 1793.

D

Damnum.

Damnum dediſſe videtur, qui cauſam damni dat. pag. 219. num. 1809. & pag. 222. quæſ. 2.

Qui cauſam damni dat, damnum reſarcire tenetur. Ibidem.

Quilibet tenetur grave damnum pati ad vitandum graviſſimum Proximi detrimentum. 303. 2057.

Debitum conjugale.

Poſt contractum Matrimonium, qui antea emiſit votum aſſumendi ſacros Ordines peccat prima vice petens, aut reddens debitum, quemadmodum dicitur de voto Religionis. 382. 2257.

Qui emiſit votum ſimplex, toties quoties debitum petit, mortaliter peccat, ſed poteſt reddere, non ſolùm quando Uxor petierit, ſed etiam quandocumque ſenſerit, quod ipſa vult, aut quod eget, aut quod eſt periculum incontinentiæ. 383. 2261.

Fœmina, niſi perpetuum menſtruum patiatur, aut ſit incontinentiæ periculum, non poteſt tempore menſtrui debitum petere, ſed ſolùm reddere, primùm admonendo virum de menſtruo. 387. 2276.

Debitum ex contractu.

Qui ceſſit bonis ſedendo in loco publico, ſi venerit in pinguiorem fortunam, tenetur ad reſtitutionem. 213. 1782.

Decimæ.

Tenentur utriuſque ſexus Regulares ad ſolvendas decimas prædiales de bonis ab ipſis noviter acquiſitis. 147. 1651.

Hoc intelligitur, dummodò non adſit conſuetudo legitimè præſcripta à quadraginta annis non ſolvendi illas. Ibidem.

Hoc etiam verum eſt, licet prædia alicui Conventui aſſignata fuerint in prima erectione, ut competenter Religioſi ſuſtentari valeant. 148. 1652.

Etiam Papa tenetur, niſi ſe ipſum eximat. Ibidem.

Clericus etiam tenetur ad Decimam de eo, quod percipit ex Patrimonio, ad cujus titulum promotus fuit. Ibidem.

Decreta.

Notabiliter negligentes ſine legitima cauſa in frequentatione Chori, non debent eligi in Prælatos Regulares, ut mandant Decreta Clem. VIII. 123. 1588.

Extat Decretum Innocentii XI. circà Communionem quotidianam. 244. 1875.

Ex Sac. Congr. Decreto Epiſcopus procedere poteſt etiam per cenſuras contrà Regulares Sanctiſſimum Sacramentum in Eccleſiis ſuis, & Monialium, abſque licentia ipſius exponentes. 176. 1714.

Defenſio.

Eſt de jure Naturæ. 138. 1620.

Advocatus tenetur pauperes gratis defendere. 391. 2256.

Defenſio Famæ.

Tuendi famam ratio naturalis, & divina, prævalet præcepto de non ſumenda Euchariſtia in excommunicatione. 243. 1872

Defenſio vitæ propriæ.]

Ut quis ſe juſtè defendat, ſi fuerit accuſatus, vel denunciatus de aliquo gravi delicto, licitè poteſt aperire defectus veros, ſed occultos teſtium, ad infirmandum eorum dictum, non autem eis obijcere falſum crimen. 324. 2111.

Qui delictum jàm ſemiplenè probatum patravit, perdidit Jus tuendi vitam propriam. 194. 1743.

Defunctus.

Corpora Defunctorum perpetuæ tradita ſepulturæ, ad aliam Eccleſiam ſine Epiſcopi licentia non poſſunt transferri. 276. 1956.

Sine rationabili cauſa minimè exhumari debeat. Ibidem.

Excaterantes mortuos, ut alibi ſepeliant, niſi juſta de cauſa, incurrunt excommunicationem Summo Pontifici reſervatam. 276. 1956.

Confeſſarius poteſt imponere Pœnitentiam, applicandam pro Animabus Purgatorii. 271. 1938.

Delectatio.

Non poſſunt ſine peccato mortali Sponſi de futuro delectari de copula futura. 303. 2059.

Delegati.

Facultas abſolvendi, vel diſpenſandi ſuper Pœnas priuationis officii, activæ, & paſſivæ vocis, non poteſt à Superioribus Religionum delegari. pag. 98. & 99. n. 1518

Nullo modo poteſt Parochus ſuam delegare juriſdictionem Sacerdotibus non approbatis. 71. 1427.

Poteſt Epiſcopus, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, Parochis illiteratis, & imperitis, Coadiutores, & Vicarios pro tempore deputare. 75. 1435.

Delicta.

Delictum dicitur plenè probatum; quando ad minus per duos teſtes oculares, & conteſtes, & omni exceptione majores, teſtificatum eſt. 321. 2113.

Denunciatio.

Generaliter loquendo, nunquam contrahere licèt Matrimonium non præmiſſis denunciationibus, ſine Epiſcopi, vel ejus Vicarii generalis licentiâ expreſſa. pag. 259. & 260. *quæſ.*

Solus Ordinarius ex cauſa ſibi benè viſa poteſt diſpenſare, ut omittantur denunciationes, vel omnes, aut aliqua illarum, ſed is eas ſine juſta cauſa remittendo peccat mortaliter. pag. 260. *quæſ.*

Si adſit periculum in mora, & non pateat aditus ad Epiſcopum, poteſt Parochus denunciationes poſtponere ex præſumpta Epiſcopi licentia, & ex quadam tacita ipſius commiſſione. Ibidem.

Contracto Matrimonio, non poteſt Parochus, abſque Epiſcopi licentia Denunciationes prætermittere; neque ante illas Ma-

Digitized by Google

Matrimonium conſummare licet contrahentibus, qui ſolùm venialiter peccarent ſi certi eſſent inter eos nullum ſubeſſe impedimentum. Ibidem.

Omiſſis, ſine licentia Epiſcopi, denunciationibus, Parochus Matrimonio aſſiſtens incurrit, pœnam ſuſpenſionis ab Officio per triennium, & contrahentes puniri poſſunt pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & aliis pœnis arbitrariis. pag. 363. quæſ.

Depoſitum.

Ille, cui traditur Depoſitum, cum Depoſitum ſit tantùm in gratiam Deponentis, tenetur ad reſtitutionem ſecuti damni ſolùm de Dolo & lata culpa. 117. 1798.

Quando in depoſito traditur aliquod pretium, eum tunc contractus celebretur in utilitatem utriuſque, tenetur inſuper de levi. Ibid.

Nautæ, Caupones, Stabularii, & ſimiles, ſi ſpecialiter acceperint mercedem pro cuſtodia, aut res cuſtodiam diligentiſſimè requirebat, & ſcienter in cuſtodiam ſit ſuſcepta, tenentur etiam de leviſſima culpa. 217. 1799.

Deſiderium.

Inducens ſuo malo exemplo alterum ad peccatum, ex deſiderio ut proximus patiatur damnum illud Spirituale, dicitur inducere directè, & formaliter. 273. 1945.

Detractio.

Non eſt illicita, ſi ſuppetat una ex his tribus cauſis, ſcilicèt bonum communitatis, damnum imminens Innocenti, correctio Proximi infamandi. 242. 1870.

Detractor.

Tenetur famam, quam alteri ſurripuit, reſtituere, vel privatìm, ſi privatim ſamam abſtulit, vel publicè, ſi publicè. 223. 1815.

Quando detractio eſt antiqua, ſufficit, ſi infamatam in genere laudet pro homine devoto, & honorato. 224. 1817.

Diaconi.

Diaconus in caſu neceſſitatis baptizare non poteſt ſine peccato mortali præſente Sacerdote, non tamen peccaret etiam Sacerdote præſente ſi is baptizare recuſat, vel batizare velit accepta in pretium pecunia. 233. 1846.

Diaconus poteſt ſolemniter baptizare ſolum de licentia Epiſcopi, vel Parochi. 233. 1845.

Si Diaconus ſine commiſſione ſolemnitèr baptizat, ſit irregularis.

Etiam ſine commiſſione expreſſa, & tanquam principalis Miniſter Sacerdotis, & ex præſumpta voluntate ſaltem Eccleſiæ, poteſt Diaconus, exiſtente graviſſima cauſa, & interveniente urgente neceſſitate, ut eſt miniſtrare Viaticum in articulo mortis, Sacerdote aliquo non exiſtente, Euchariſtiam miniſtrare. pag. 247. & 248. *quæſ.* 4.

Dieta.

Per unam Dietam intelligitur iter viginti milliarium, ſeù circiter 7. *leucas.* 118. 1576.

Dieta alia eſt vulgaris, alia legalis; vulgaris ſecundum conſuetudinem regionis, legalis 20. *milliarium.* Ibidem.

Differentiæ.

A diverſis non valet illatio. pag. 334. *quæſ.* 2.

Diſpenſatio.

Ob Diſpenſationem Dei licita fuit in veteri lege Uxorum pluralitas. 100. 1524.

Deus poteſt diſpenſare in jure naturæ ſecundario. Ibidem.

Papa poteſt diſpenſare in iis, quæ ſunt formaliter de jure Divino, vel naturali, ſe radicaliter, & fundamentaliter pendent ab Eccleſiæ inſtitutione. 208. 1760.

Di-

Digitized by Google

Diſpenſatio Votorum.

Vota vitæ quadrageſimalis Minimorum, Redemptionis Captivorum, & non acceptandi Prælaturas, cum Patribus noſtræ Congregationis, ſunt indiſpenſabilia per Prælatos Religionis. pag. 114. & 115 num. 1567.

Divinatio.

Sex ſunt ſpecies Divinationis, quæ fit cum invocatione dæmonis tacita, aliâ verò cum expreſſa. pag. 315. & 316. n 2088. & 2089.

Omnes divinationes ſunt ejuſdem ſpeciei in genere moris. 316. 2090.

Dubium.

Nemo certum pro dubio, ſine peccato relinquere poteſt. 22. 1283.

E

Eccleſiæ.

Eccleſia, propria Sacramentorum Domus eſt. 254. 1886.

Nemo in Eccleſiis Regularium ſine expreſſa licentia Parochi ſumere poteſt Euchariſtiam de manibus ipſorum in die Reſurrectionis, etiamſi ſatisfecerit præcepto, vel propoſitum habeat ſatisfaciendi alia die. 174. 1709.

Nullo jure probatur, Eccleſiam Cathedralem eſſe communem totius Diœceſis. 231. 1840.

Eccleſiæ Pollutio.

Tàm per publicam Copulam carnalem, quàm per publicam copulam conjugalem in caſu neceſſitatis ad vitandam incontinentiam, polluitur Eccleſia. pag. 268. & 269. n. 1923.

Poſſunt Prælati Regulares ſuas Eccleſias pollutas, quamvis conſecratæ fuerint, reconciliare. 118. 1576.

Electio, & Electores.

Infirmorum vota accipi debent, ſi commodè fieri poteſt, & ipſi voluerint. 352. 2167.

Si Regulares conveniant inter ſe, ut alter in una electione ſuffragetur uni, & alter alteri in alia, omninò eſt ſimonia. 179. 1725.

Si pactum non intercedat, ſed tantum futura oblatio ſpei, & id ſapit ſimoniam. Ibidem.

Eleemoſyna.

Ad decentiam ſtatus, pertinet Eleemoſynas facere. 395. 2310.

Vxores in Eleemoſynis faciendis, ſe remittant ad conſilium, & arbitrium prudentis Confeſſarii. Ibidem.

Non dans eleemoſynam volenti ſolùm pro ipſo Miſſas ſine ea celebrare, ſatisfacit qui illas vouit, dummodo æquè principaliter non vouiſſet Deo inſeruire etiam ex eleemoſynis in ſacris illis faciendis. 384. 2268.

Emptio, & Emptores.

Si non conſtat, Emptorem habere intentionem ſtatim revendendi eidem venditori infimo pretio quod ſupremo emerat, non eſt ficta emptio. 369. 2216.

Epiſcopatus.

Licèt Epiſcopatus Opus ſit valdè perfectum, major perfectio eſt illum reſpuere. 306. 2207.

Non poteſt Generalis Religioſo vouenti humilitatem præcipere, ut Epiſcopatum acceptet. 115. 1567.

Epiſcopus.

Poteſt Epiſcopus, ex proventibus Eccleſiæ, ſubuenire conſanguineis, vel amicis, dummodo pauperes ſint. 6. 1233.

Epiſcopus non ligatur excommunicatione à Tridentino impoſita cogentibus ad Matrimonium. 257. 1903.

Non

Digitized by Google

Non poteſt Epiſcopus approbare Regularem ad Confeſſiones Sæcularium audiendas, ſine conſenſu, ſaltem interpretatiuo ſui Superioris. 341. 2156.

Examen quoad ſcientiam,& Doctrinam.

Etiam Generales Religionum debent approbari, cum examine pro audiendis confeſſionibus ſæcularium. 115. 1569.

Examinatores Synodales.

Examinatoribus deputatis in Synodo non poteſt, Epiſcopus ſtatuere aliquod ſtipendium pro concurſu Parochialium. 285. 1994.

Excommunicatio.

Hac non ligantur Reges, Reginæ, vel Imperator, cum non exprimantur. 257. 1900.

Excommunicatio ob Cler.percuſſionem.

Religioſi omnes,præſertim ex Ordine Mendicantium, & qui cum vis participant in Privilegiis,poſſunt etiam à percuſſione enormi abſolvi à ſuis Prælatis. pag. 127. quæſ. 3.

Excommunicatus.

Inſordeſcens per annū in excommunicatione, & citatus ad dicendum quid ſentiat de fide, ſi negligit comparere intrà aſſignatum terminum, levis ſuſpicio de Hæreſi tranſit in vehementem,& ſi adhuc per annum negligat, tranſit in violentam. 319. 2098.

Excommunicatus vitandus, in cauſa fidei ſe in teſtem,& accuſatorem,ingerere poteſt; excommunicatus verò tolerandus, licitè poteſt ferre Teſtimonium in favorem aliorum, dummodò non ſe ingerat ſua ſponte. 326. 2115.

Cum excommunicato, tam vitando, quàm non vitando, Matrimonium non poteſt contrahi ſine mortali peccato. 250. 1898.

F

Factum.

Factum non attenditur, ſed quod fieri debuit. pag. 205. Quæſ. 2.

Factum contra jus pro non facto haberi debet. Ibidem.

Facta de facto, ſunt etiam revocanda de facto. Ibidem.

Fama.

Etiam cum propriæ famæ detrimento licèt majori, reddenda eſt fama alterius. 224. 1819.

Familiares Epiſcopi.

Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare poteſt, dummodò per triennium ſecum commoratus fuerit,& beneficium, quacunque fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat. 261. 1907.

Poteſt etiam cum illo diſpenſare ſuper Interſtitiis pro Eccleſiæ ſuæ utilitate. Ibidem.

Non poſſunt Familiares Epiſcopi eo abſente, audire Miſſam in Oratorio ſui Palatii, nec Miſſam celebrare. 55. 1384.

Familiares Papæ.

Familiares Papæ ſtante ſubjectione ipſorum immediata ad Romanum Pontificem, non ſubſunt juriſdictioni Ordinarii. 63. 1404.

Familiares Viſitatorum.

Eis licet competentem mercedem accipere pro copia decretorum viſitationis ab iis, qui ea petunt, præſertim ſi non recipiant ſalarium. 306. 2248.

Famuli quicunque.

Tenentur ad Reſtitutionem damni ſecuti ex lata, & levi culpa ipſorum. pag. 218. n. 1805. & 1800. & pag. 219. n. 1807.

Quilibet famulus obligatur ex juſtitia ad revelandum fures extraneos,ſi aliter malum impedire non poſſit. 219. 1807.

Famulus.

Peccat famulus mortaliter, qui ne malè tractetur à Domino ſuo, vel è domo ejiciatur, cooperatur ad peccatum Heri. 51. 1370.

Feſtus dies.

Laborantes in diebus feſtis, qui excedunt horam per quadrantem, peccant mortaliter. pag. 82. & 83. n. 1456.

Fides.

Parochus deficiens in docendo Doctrinam Chriſtianam ſuos Parochianos, ſuſpenditur ab Ordinario ad biennium, & peccat mortaliter. 79. 1447.

Filii.

Filii regulariter loquendo non tenentur Patri obedire in iis, quæ ad proprium vitæ ſtatum pertinent. 102. 1522.

In Parentum diſſidio eligenda eſt ſententia, quæ filiis eſt magis favorabilis. pag. 237. quæſ.

Filius infans Judæorum licitè baptizari poteſt invitis Parentibus petente Avo Chriſtiano, etiam Materno, ſed non illis reſtituendus. pag. 237. quæſ.

Fœmina.

Non licet fœminæ baptizare infantem præſente viro, qui ſciat, poſſit, & velit baptizare. 233. 1846.

Mulieres laicæ non admittuntur in teſtes, niſi quando veritas aliunde haberi non poſſit, neque ex dicto duarum fœminarum, quis condemnari valet. 327. 2116.

Ad defenſionem Reorum, & ad probandam innocentiam alterius, admittuntur etiam fœminæ. Ibidem.

Fures.

Contrà Fures ſacrarum rerum, qui nihil fregerunt, non infligitur excommunicatio ipſo facto, ſed ſunt excommunicandi; ſi autem hoc fiat cum effractione, ubi tales Res reponuntur, ipſo facto incurrunt excommunicationem, & Prælati tenentur hujuſmodi fures denunciare excommunicatos ſed ante denunciationem hæc excommunicatio nulli eſt reſervata, poſteà verò non ſo. eſt abſolvi, niſi à Papa. 205. 1754.

Contra Fures Reliquiarum hic Romæ extat excommunicatio, ne Reliquiæ ex Urbe extrahantur. 206. 1755.

Qui furatus eſt res alienas, etiam cum propriarum detrimento eas reſtituere debet. 224. 1819.

Furtum.

Quod furto ſublatum eſt, & Confeſſario conſignatum ad reſtituendum, ſi conſtat ipſum non reſtituiſſe, denuò reſtituendum eſt. 210. 1770.

G

Gabellæ.

Gabellarum exactores poſſunt diſſimulare, cum pauperibus, quando non habent unde ſolvant. 165. 1691.

Gabellas à Principus ſæcularibus impoſitas non tenentur ſolvere Clerici, & Religioſi, & ab illis exigentes laici incidunt in excommunicationem Bullæ Cænæ. 164. 1691.

Exempti etiam ab omni exactione ſunt, Mendicantium, Coloni, Arrendarii, & Negotiorum geſtores. 157. 1676.

Dicti Coloni tenentur ſolvere Gabellam ex fructibus collectis, ſi eoſdem deferant de loco ad locum, aut alienent, cum tunc laicorum bona cenſeantur, & neque indirectè ad Eccleſiam pertineant. Ibidem.

Generalis Religionis.

A ſervitio Chori non eſt immunis. 123. 1588.

Poteſt facere gratiam alicui ſubdito, ut non accedat ad Matutinum, ut non comedat

in Refectorio, ut non legat in Menſa, & ſimilibus . 114. 1566.
Non poteſt diſpenſare, ut Superior localis abſit à ſuo Conventu, etiam cauſa imprimendi aliquem librum à ſe compoſitum. 231. 1839.

Gubernatores.

Incidunt in pœnam Excommunicationis Romano Pontifici reſervatam Gubernatores, qui dum officium gerunt in ſtatu Eccleſiaſtico, munera recipiunt, præter eſculenta, & poculenta parvi Momenti, quæ in duobus diebus conſumuntur. 9. 1242.
Poteſt ſine peccato Gubernator tempore belli operire, & legere literas alienas. 17. 1264.

H

Hæreſis, & Hæretici.

HÆreticos nequeunt Inquiſitores ab hæreſi in foro interno abſolvere. 309. 2074.

Homicidium.

Recenſetur Pœnitentia in Confeſſione imponenda pro homicidio Voluntario. pagina 271. & 272. num. 1939.

Horæ Canonicæ, & Officium Divinum.

Qui ratione Ordinis Sacri, & beneficii tenetur perſolvere Horas Canonicas, ſi illas non recitat, duo peccata committit. 91. 1497.
Suſpenſus ab Officiis Divinis, illa audiendo irregularitatem non incurrit, & ſi tanquam laicus aſſiſtat, nec peccat. 321. 2103.

I

Idololatria.

IDololatria tantùm externa eſt intrinſecè mala. 292. 2013.

Jejunium.

Jejunium naturale non frangitur per Tabachi ſumptionem. 321. 2105.
Licet communiter ætas minor anno vigeſimo primo excuſet à Iejunio, non per hoc excuſatur Religioſus profeſſus. 157. 1678
Ad Iejunia ex voto emiſſo à Populis locorum, ubi Regulares habitant, etiam ipſi Regulares tenentur. 158. 1980.

Ignorantia.

Eſt mater errorum. 164. 1698.
Eſt Mater omnium Deliſtorum. 154. 1668.

Impedimentum publicæ honeſtatis.

Sponſalia Clandeſtina, quamdiù manent clandeſtina, tantùm in foro conſcientiæ pariunt impedimentum publicæ honeſtatis impediens Matrimonii celebrationem cum Conſanguineis alterius in primo gradu, ſed probatis ſponſalibus, in defectu teſtium, ſaltem juramento, ſtatim ex eis oritur dictum impedimentum etiam in foro exteriori. 303. 2058.

Indicium.

Indicium debet probari ſaltem per duos teſtes. 298. 2037.
Ad hoc ut unus teſtis faciat indicium, debet eſſe vitæ probatæ, vel bonæ opinionis. Ibidem.

Infamia.

In Infamia, qua duo adinvicem ſe infamarunt, adeſt juſta inter eos compenſatio, nec ſibi famam reſtituere tenentur, dummodò tria concurrant. 224. 1818.

Infidelis.

Unus Conjugum Infidelium converſus ad fidem, alterum infidelem debet requirere, an cohabitare velit ſine ſcandalo, & injuria Creatoris cum ipſo; & ſi ille recuſet, tunc aliud Matrimonium liberè inire

re

re poteſt; quod ſi Conjux infidelis vellet cohabitare relinquendo Converſum in ſua voluntate ſerviendi Creatori, cum Conjuge infideli permanere poteſt, nec alind Matrimonium poteſt contrahere. pag. 258. & 259, *num.* 1902.

In caſu, quo Conjux infidelis multùm diſtaret, nec commodè requiri poſſet, conſulendus eſſet Summus Pontifex, & diſpenſatio petenda. 259. 1902.

Infirmi.

Inter Ægrotos numerantur Senes. 113. 1564.

Non tenetur Infirmus abſcindere ſibi Membrum aliquod ad recuperandam Sanitatem. 37. 1332.

Ingreſſus in Monaſteria Monialium.

Nemo ſine licentia Epiſcopi poteſt ingredi Monaſterium Monialium ſub pœna Excommunicationis Papæ reſervatæ etiam quoad Moniales aliquem admittentes. 84. 1460.

Ingreſſus in Religionem.

Peccant Mortaliter Superiores Regularium ſi abſque legitima cauſa nolunt admittere aliquem in Religionem ad annum Novitiatus peragendum. 120. 1580.

Qui ſtatim Religionem ſunt ingreſſuri, non debent comprehendi inter ſæculares. 139. 1625.

Religioſus à Religione expulſus, tenetur ſe corrigere, & emendare, ut iterum in Religionem admittatur. 161. 1687.

Innocens.

In pari caſu favendum eſt Innocenti. 328. 2120.

Inquiſitores.

Non poteſt Inquiſitor ſeparatim ab Epiſcopo ullam proferre ſententiam circà Confeſſarios Sollicitantes, & è contrà. pagina 300. & 301. *num.* 2049. & 2050.

Inquiſitores habent juriſdictionem puniendi mandantes, & corrumpentes teſtes, ut falſo coram ipſis deponant. 327. 2118.

Interdictum.

Tempore Interdicti localis Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrari non poteſt excommunicatis, vel culpabilibus in interdicto, niſi in articulo mortis cum ſatisfactione, vel cautione de ſatisfacendo, & operando ut Interdictum tollatur; Neque Sacramentum Euchariſtiæ præter mortis periculum; Nec Matrimonium cum ſolemni benedictione Nuptiarum; Et Sacramenta Extremæ Unctionis, & Ordinis, in loco interdicto. 229. 1836.

Interſtitia.

Mortaliter peccat Epiſcopus, Subditum, interſtitiis non ſervatiis, ordinans. p. 265. & 266. *quæſ.* 3.

Cauſa ſufficiens, ut Epiſcopus poſſit licitè diſpenſare in interſtitio requiſito ad aſcendendum à Diaconatu ad Præsbiteratum, in Tridentina relinquitur ad arbitrium Epiſcopi, quando verè adeſſe dicatur Eccleſiæ neceſſitas, & utilitas. pag. 265. & 266. *quæſ.*

Hæc neceſitas, & utilitas, moraliter debent penſari. neque in puncto indiviſibili conſiſtunt, ſed retinere debent eam latitudinem, quæ in aliis rebus moralibus ad arbitrium boni viri attendi ſolet. pag. 266. *quæſ.* 3.

Invaliditas.

Quæ fuerunt nulla à principio, tractu temporis non convaleſcunt. p. 333. *quæſ.* 1.

Invaliditas Abſolutionis.

Regularis non deputatus à ſuo Prælato, licet ſit ab Ordinario approbatus, nequit validè abſolvere. 183. 1735.

Licet Confeſſarius non habens ſcientiam ſufficientem validè abſolvat, tamen ſi pœnitens data opera ad illum acceſſerit, ejus Abſolutio invalida foret. 332. 2132.

Inva-

Invaliditas Confeſſionis.

Regularis idoneus ad Confeſſiones audiendas, & ex odio, ſeu paſſione Epiſcopi non approbatus, non poteſt validè Confeſſiones audire. 144. 1642.

Confeſſiones Religioſorum factæ Confeſſario non deſignato pro illis à proprio Prælato, exceptis Summi Pontificis Pænitentiariis, non ſunt validæ. p. 182. & 183. num. 1734.

Invaliditas Electionis.

Omnis Electio Simoniacè facta, eſt ipſo jure nulla ante declaratoriam Iudicis ſententiam. 285. 1995.

Invaliditas Sacramenti Extremæ Unctionis.

Si capite plectendus, navigaturus, bellum iturus, inungatur, non perficitur Sacramentum, cum Infirmorum Sacramentum ſit. 250. 1876.

Invaliditas Sacramenti Matrimonii.

Matrimonium coram alio Sacerdote, quàm coram proprio Parocho, ſine ejus licentia, eſt nullum. 254. 1885.

Non eſt validum Matrimonium, ſi extraneus, etiam Tutor, vel Curator, reſpondeat tacente fœmina. 371. 2224.

Invocatio Dæmonis.

Quinque ſunt modi, in quibus cenſetur adeſſe tacita Dæmonis invocatio. p. 314. & 315. num. 2087.

Irregularis.

Habens Corporis defectum impedientem uſum Sacerdotii, eſt irregularis. 261. 1906.

Irregularitas.

Ex culpabili iteratione Baptiſmi incurritur irregularitas, tam à rebaptizato, quàm à rebaptizante. 237. 1853.

Irregularitas incurritur ab Excommunicato, ſi exerceat actum ordinis ſacri, non autem ſi exerceat actum juriſdictionis. 139. 1624.

Irritatio Votorum.

Quod dicitur de Marito quoad irritationem Votorum, dicitur etiam de Uxore. 395. 2309.

Exceptis tribus votis ſubſtantialibus, & aliquibus aliis, quæ emittuntur in profeſſione juxtà Conſtitutiones Religionum à Pontifice approbatas, & excepto itidem Voto arctioris Religionis, omnia Religioſorum vota irritari poſſunt à Prælato Regulari. 115. 1570.

Vota Novitiorum Perſonalia irritari poſſunt indirectè, quatenus gubernationi, & convenienti Ordinis regimini obviant; ſed per retroceſſionem à Religione reviviſcunt. 116. 1572.

Iubilæum.

Tempore Iubilei non poſſunt Prælati Regulares illud promulgare pro ſuis ſubditis ante promulgationem Epiſcopi. 120. 1581.

Quamvis tempore Iubilæi concedatur facultas omnibus Chriſti fidelibus eligendi quemlibet idoneum Confeſſarium approbatum, tamen non poſſunt Regulares tempore Iubilæi confiteri extra Religionem ſine Superiorum licentia, niſi in Bulla Iubilæi daretur facultas Regularibus expreſſè, ut eligere poſſint quemcunque Confeſſarium extrà Religionem. p. 162. & 163. num. 1689.

Iudex.

Non poteſt Iudex licite judicare ſecundum probabilem opinionem, Communi, & probabiliori relicta. 54. 1381.

Iura-

Digitized by Google

Iuramentum.

Nemo in Iuramento poteſt uti reſtritione Mentali. 33. 1320.
Excepto Papa, nulli creditur in præjudicium alterius, niſi jurato. 325. 2112.
Sacerdotes jurare non debent in Iudicio ſine gravi cauſa; & quando jurare debent, non tenentur ſacra tangere, ſed ſufficit ut tangant proprium pectus. 325. 2112.

Iuriſdictio.

Non poteſt haberi per futuram ratihabitionem. 332. 2134.
Eccleſia non poteſt ſupplere Iuriſdictionis defectum in Muliere, aut non Sacerdote, abſolventibus, ſi communi errore Confeſſarii reputarentur. 331. 2130.

L

Labor.

Labor optat Præmium. 164. 1691.

Laicus.

Laicus non poteſt habere penſionem niſi à Summo Pontifice. 95. 1509.
Laicis cautè concidenda eſt quotidiana communio. 244. 1875.
Laicus poteſt, citrà Scandalum, ſe ipſum, vel alium communicare in articulo, vel periculo mortis, deficiente Sacerdote, vel Diacono. p.248. & 249. *quæſ.*5.

Largitio Munerum.

Ad decentiam ſtatus pertinet Donationes facere. 395. 2310.
Licitum eſt aliquid donare pro redimenda vexatione, ne aliquis malè ſe gerat contrà ſe ipſum. 324. 2110.
Prohibetur ſub cenſuris, & aliis gravibus pœnis, ne quis apud Sedem Apoſtolicam Officialis, & quicunque mediator, pro defenſione juris quæſiti, ſive executione quærendi, etiam ad redimendam injuſtam vexationem, quicquam promittat, det, vel accipiat. Ibidem.

Lex.

Non eſt attendendum, quid Legiſlator interrogatus ſtatuiſſet, ſed quid de facto ſua lege ſtatuit. 3. 1225.
Mens legis magis eſt attendenda, quàm verba ejus. p.201. & 202. *quæſ.*1.
Mens, & ratio, ſunt anima legis. p.202. *quæſ.*1.
Lex, vel diſpoſitio loquens generaliter, etiam quod eſt minimum includit, niſi quando ratio, quæ militat in magno, non militat in parvo. 343. 2157.
Diſpoſitio quoque copulativa utramque partem veram requirit, niſi ad illius eſſentiam altera ſufficiat. Ibidem.
Una pars copulativa dubia, per aliam partem declaratur. Ibidem.
Diſſimulatio Prælati, quæ facit ad legis conſtitutionem, interpretationem, aut abrogationem, intelligi debet de Prælato legiſlatore. p.204. *quæſ.*2.
Quando Lex habet plures fines, deficiente uno, obligatio legis non deficit. 14. 1255.
Multi ſunt Caſus, in quibus Religioſi, etiam exempti, tenentur legibus Epiſcoporum, cum ſint in jure expreſſi. 159. 1684.

Licentia.

Licentiæ audiendi Confeſſiones, miniſtrandi Sacramenta, & concionandi, dandæ ſunt gratis. 283. 2005.
Quando Epiſcopus concedit facultatem audiendi Confeſſiones, de licentia tamen Rectorum in Eccleſiis eorum hæc non cenſetur conditio quod ſi Parochus non conſenſerit, invalidas reddet confeſſiones, ſed tantùm connotat modum ad eas licitè excipiendas. 343. 2157.
Licentia alicui Regulari conceſſa pro Monialium collocutione, ad ſocium non extenditur. 183. 1737.
Expreſſa licentia Summi Pontificis, vel Sac. Congreg. requiritur, ut Religioſus profeſſus ad ſubveniendum Parentibus è Religione egrediatur. 150. 1661.
Poteſt Religioſus cum licentia Superioris donare cauſa mortis, ſicut ex ea licentia pot-

Digitized by Google

poterat donare inter vivos. 323. 2108.

Litteræ.

Litteræ Prælatorum faciunt plenam fidem. 154. 1668.

Matrimonium contractum per literas, coram Parocho, & teſtibus, Sacramentum eſt. 254. 1887.

Litteræ Dimiſſoriæ.

Concedi poſſunt à Superioribus Regularibus ſuis ſubditis ad quemcunque Epiſcopum, ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, dummodo de induſtria ad tale tempus non differantur. pag. 177. *&* 178. *n.* 1719.

In iis literis cauſa abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimenda eſt. 178. 1719.

Pro literis dimiſſoriis, ex Concil. Trid. in iis locis, in quibus laudabilis conſuetudo minimè viget ut Notarii nihil accipiant, decimam tantùm unius aurei partem accipere poſſunt quando nullum ſalarium pro ſuo officio obtineant. 290. 2026.

Quando Notarius ab Epiſcopo habet ſalarium, ſimoniam committit, aliquid accipiendo pro hujuſmodi dimiſſoriis, non obſtante quavis conſuetudine in contrarium. 289. 2006.

Ordinatus in ſacris cum falſis dimiſſoriis, incurrit ipſo facto ſuſpenſionem perpetuam, à ſolo Papa diſpenſabilem; ſi tamen ſit occulta, Epiſcopi abſolvere poſſunt. 261. 1909.

Locatio.

Ille, cui aliquid locatur, cum locatio ſit in gratiam utriuſque contrahentis, tenetur de lata, & levi culpa ad reſtitutionem damni ſecuti. pag. 216. *&* 217. *n.* 1797.

In locatione ſi fiat pactum, ut conductor teneatur de culpa leviſſima, & caſu fortuito, tenetur locator minuere pretium rei locatæ. 217. 1797.

Lucrum ex Artificio.

Poſſunt licitè Clerici aliquid lucrari ex honeſto artificio. 39. 1338.

Lucrum ex mutuo.

Qui ſperat lucrum ex mutuo non principaliter, ſi aliquid ei donetur à mutuario, licitè recipere poteſt. 38. 1335.

Qui ſperat lucrum ex mutuo ita ut ſpes ſit principaliter intenta, committit uſuram. Ibidem.

Ludus.

Ubi ludi ſunt probibiti, ipſa nomina ſunt penitùs interdicta. 165. 1692.

Peccant mortaliter Clerici ſæculares, quando ſæpè ludis probibitis ludunt; à fortiori Religioſi Clauſtrales, & præcipuè illarum Religionum, in quibus Regularis diſciplina viget. Ibidem.

Dicitur frequens ludere, & conſuetudinarius, qui ſemel in ſeptimana ludit. Ibid.

Ludus larvalis.

Clericis, & Religioſis, eſt probibitus; licèt tamen illis, ſi fiat abſque ſcandalo, & Superioris licentia, in aliquo privato loco Epiſcopi, vel Conventus Religioſorum. 93. 1501.

M

Magus.

Magus non habens errorem in intellectu, non eſt ipſo facto excommunicatus, ſed excommunicari debet. 311. 2079.

Qui Magos conſulunt, & opera eorum petunt, ſunt excommunicati, quamquam hæc excommunicatio nemini ſit reſervata. Ibidem.

Mala.

Mala inflicta nobis à Deo in hoc Mundo, poſſunt eſſe ſatisfactoria pro peccatis, quando-

Digitized by Google

do voluntariè peccator, ea patienter ſuſtinet. 99. 1521.

Maleficium.

Qui petit diſſolvi Maleficium, & non debet permittere ſuperſtitioſæ Medicinæ applicationem à malefico, & debet illum monere, ut modo licito faciat, ſi profutura ſperetur monitio. 311. 2078.

Maritus.

Maritus in rebus illicitis, & inhoneſtis acquiſitis ab uxore, nullum habet jus. 112. 1778.

Eſt Dominus Corporis uxoris, quoad actus conjugales, ſed non abſolutè, ſicut eſt Dominus Equi, vel Domus. Ibidem.

Mater.

Mater Chriſtiana, reclamante Patre Judeo, communes filios baptizare poteſt. pag. 237. & 238. quæſ.

Medicamenta.

Superſtitiones eſt modus curandi vulnera in loco diſtanti. 310. 2076.

Medicus.

Tenetur pauperes gratis curare, imò eis ſolvere neceſſariam medicinam, ſi poteſt, vel alia via in promptu non habeant. 391. 2296.

Mercatura.

Eſt prohibita mercatura, ſeu negotiatio more lucrativa, Clericis, Beneficiariis, & Religioſis omnibus. 41. 1345.

Metus.

Urgens metus gravis non eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. 269. 1927.

Poteſt quis mutilare aliquam partem ſui corporis, ob metum mortis ſi id non faciat. 37. 1330.

Miniſter Sacramentorum.

Miniſtrans Sacramenta excommunicato vitando, peccat mortaliter, & incurrit minorem excommunicationem, ac Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. 229. 1837.

Aliquando etiam incurrit Papalem excommunicationem, ſi participans ſit Clericus, vel ſciat illum, cum quo participat, eſſe excommunicatum à Papa, & tandem ſi ſponte ſine metu, & timore participat. pag. 229. & 230. n. 1837.

Adminiſtrans Sacramenta excommunicato tolerato peccat mortaliter, non contra prohibitionem Eccleſiæ, ſed contra jus naturale divinum. 230. 1838.

In adminiſtratione Sacramentorum confeſſio ex præcepto non requiritur, ſed ſufficit contritionis actus. pag. 246. quæſ. 3.

Illicitum eſt Parochis, ſeu Sacerdotibus in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore. 54. 1382.

Miniſter in Sacramento Matrimonii, juxtà communem ſententiam, ſunt ipſi contrahentes, non verò Sacerdos, ut quidam putant. 253. 1882.

Mollities, ſeù Pollutio.

Eſt lapſus carnis in ſua ſpecie opere conſummatus, licet in ordine ad alium actum, ſeù copulam, conſummatus non ſit. 195. 1740.

Per voluntariam pollutionem amittitur Virginitas. 375. 2238.

Moniales.

Non videtur illicitum Monialibus dare aliquid Epiſcopo poſt benedictionem, vel ſuſceptionem habitus Religionis, aut profeſſionis, dummodo non detur pecunia, vel aliquid aliud tanquam pro pretio prædictorum ſpiritualium. 0. 1234.

Poſſunt Moniales, cum licentia Abbatiſſæ, vel

Digitized by Google

vel Prioriſſæ dare aliquid aliud ſuo Confeſſario ultra aſſignatum ſtipendium maximè ſi ſerviat eum magna charitate, patientia, & aſſiduitate. 7. 1235.

Moribundi, & morti Proximi.

Deficiente Parocho ſi periculum ſit in mora, quivis alius Sacerdos, etiam Regularis, poteſt, & ex charitate tenetur, Sanctiſſimam Communionem per modum Viatici, & extremam unctionem, in periculo mortis conſtitutis miniſtrare. 171. 1704.

Regulares dicta Sacramenta iis dicentibus, proprium Sacerdotem illa ſibi dare denegaſſe, dare nequeunt, niſi denegatio ſine legitima cauſa facta, vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario publico facta, doceretur. 172. 1705.

Mutuum.

Ratio mutui non debetur mutuanti pretium, ſed corpore in eadem ſpecie, & qualitate. 389. 2287.

Qui rem mutuò acceptam reddit per nuntium fidelem, ſed à mutuatario non electum, ſi Nuntius non reddit, tenetur denuò reſtituere. 210. 1768.

N

Neceſſitas.

Neceſſitas facit licitum id, quod de jure non eſt licitum. pag. 199. *num.* 1751. *& pag.* 200. *n.* 1752.

Qui in extrema neceſſitate conſtitutus accipit aliquam rem magni pretii, tenetur poſteà reſtituere quando commodè poteſt. 214. 1785.

Negotiatio.

Negotiatio in eo conſiſtit, quod ematur aliquid, & immutatum in eadem ſpecie cariùs vendatur. 163. 1691.

Negotiatio Clericorum, & Religioſorum

Religioſi, & Eccleſiaſtici, Authores librorum, non ſunt, nec dici poſſunt Negotiatores. 163. 1691.

Negotiationis ſocietas.

Ea Negotiationis ſocietas, quæ dicitur ſocietas trium, fitque per tres contractus, deſinit in ratione mutui, & eſt potiùs diſſuadenda, quàm ſuadenda. 390. 2290.

Novitii.

De Novitiis ad habitum recipendis Informationes ſunt faciendæ, examinandæ, & probandæ à Capitulo Conventus per ſecreta ſuffragia. pag. 203. *quæſ.* 1.

Nuptiæ.

Nuptiarum ſolemnitates ſunt benedictio nuptialis, ſolemnis Sponſæ traductio in Sponſi domum, Convivia Nuptialia, tripudia, & hujuſmodi. 257. 1901.

O

Opera.

Opera bona ſubditorum poſſunt Prælati Regulares applicare contra illorum voluntatem. 122. 1586.

Hoc intelligitur, quantùm ad vim meritoriam de congruo. Ibidem.

Si bona opera ſubditi ſint ipſi Subdito neceſſaria ad aliquid ſolvendum de pœna temporali, tunc non poſſunt à Prælato applicari aliis contrà voluntatem ſubditi. Ibidem.

Opera, quæ præſcribuntur in Sac. Pœnitentiariæ Brevibus non eſt in Confeſſarii poteſtate omittere, ſed aliquando moderari ſi expedire videbitur. 351. 2164.

Ordines Minores.

Conferri poſſunt ab Epiſcopo in quolibet Dominica, aut feſtivo die de præcepto,

dummodò generalem ordinationem facere non videatur. pag.265. quæſ.2.

Suſcipiens Ordines minores ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprii, mortaliter peccat, nec poteſt uti, niſi priùs proprius Epiſcopus facultatem concedat. 262.1909.

Clerici in minoribus conſtituti, præſertim Acolythi in mortali exercentes ſuum officium, atque actionem procedentem à Sacramento Ordinis, ordinatamque ad Euchariſtiam, peccant mortaliter. pag.264. & 265. quæſ.1.

Ordines Sacri.

Nemo poteſt ſacros Ordines ſuſcipere, niſi habeat titulum, aliàs ultrà peccatum mortale remaneret ſuſpenſus ab executione Ordinum. 263. 1915.

Talis titulus triplex eſt. Ibidem.

Ordinatus in ſacris extrà tempora, vel ante legitimam ætatem, incurrit ipſo facto ſuſpenſionem perpetuam, à ſolo Papa diſpenſabilem; ſi tamen ſit occulta, Epiſcopi abſolvere poſſunt. 262. 1909.

Oſculum.

Non peccant Sponſi ſe oſculando, dummodo non ſit probabile periculum pollutionis; ſed tutius, & in praxi ſequendum, eſt oppoſitum. 304. 2063.

P

Pactum.

Pactum cum dæmone expreſſè, vel tacitè, hæreſim, vel Apoſtaſiam involuit. 309. 2075.

Papa, ſeu Summus Pontifex.

Papa poteſt in caſu particulari juſta concurrente cauſa auferre obligationem Juris divini. 208.1760.

Poteſt Papa præcipere fidelibus omnibus, aut aliquibus Religioſis, ut venialia peccata confiteantur. 146.1650.

Papa diſpenſare poteſt, ut Religioſi teſtentur. 323. 2108.

Summus Pontifex poteſt diſpenſare ut Sacris Ordinibus initiatus Matrimonium contrahere valeat, & ut Religioſus profeſſus uxorem ducat. 259. 1903.

Etiam Papa, niſi ſe ipſum eximat, tenetur ad decimas de donatis Prædiis, quæ tranſeunt cum onere ſuo. 148.1652.

Soli Papæ ſine juramento creditur in præjudicium alterius. 325. 2112.

Parochus.

Tempore Peſtis, vel Hæreſis non licet Parochis fugere. 230. 1839.

Parochus, qui licit in ſua Parochia reſideat, tamen non per ſe ipſum, ſed per alios Sacramenta adminiſtrat, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem fructuum. 230. 1839.

Non poteſt Parochus licitè denegare Communionem in Paſchate illi, qui ſe dicit confeſſum approbato Sacerdoti, ſi non eſt publicus peccator. 108.1537.

Parochi exiſtentes in parvulis Oppidis, antequam deferant Infirmo Communionem, aliquem mittere debent, qui illum interroget, an velit de aliquo peccato ſe reconciliare. 35. 1324.

Parochus, qui eſt cauſa, ut ovis ſibi commiſſa decedat abſque Viatico, poteſt puniri pœna ſuſpenſionis ad Biennium, ac etiam deponi ad arbitrium Ordinarii. pag.97. quæſ.

Parvitas materiæ.

Duo menſes cenſentur modicum tempus. 121. 1583.

Paſcua.

Dicitur de Paſcuis Gregum, quod dicitur de Sylvis. 220. 1810.

Pater.

Non peccat Paterfamilias aperiendo litteras filiorum ſuorum. 17. 1264.

Digitized by Google

Patrini.

Non eſt contrà jus Canonicum ad Officium Patrini admittere Clericos ſeculares, & Regulares, præſertim ex Ordine mendicantium, exceptis minoribus Sancti Franciſci, quibus interdicitur in Regula. 166. 1693.

Peccatum.

Frequentia peccati diſpoſitivè inducit ad contemptum. 158. 1678.

Peccatum contra naturam.

Peccatum contrà naturam cum conjugata, cum conſanguinea, vel affine, cum Virgine, non eſt propriè adulterium, inceſtus, ſtuprum, niſi reductivè, nec ſub reſervationis Pœna comprehenditur. pag. 297. & 298. *n.* 2040.

Peccatum mortale.

Peccatum veniale poteſt fieri aliquando mortale, per accidens. 94. 1503.

Peccatum veniale.

Optimum conſilium eſt confiteri etiam venialia. 107. 1544.

Penſionarii, & Penſiones.

Clericus habens penſionem excedentem ſexaginta aureos de camera, tenetur ad tonſuram, & habitum talarem, alioquin non facit fructus ſuos in utroque foro. 130. 1605.

Percuſſio Clerici.

Percuſſio Clericis gravis Papæ eſt reſervata. pag. 190. *quæſ.* 5.

Levis percuſſio Clerici ſolum Epiſcopo eſt delegata. pag. 189. *quæſ.* 4.

Phiſiognomia.

Phiſognomia naturalis, quæ ex corpore, vultuque, præcognoſcuntur effectus futuri per quamdam conjecturam, non eſt illicita. pag. 313. & 314. *n.* 2083.

Pignus.

Ille, cui traditur Pignus, quod eſt in utilitatem utriuſque contrahentis, tenetur de levi, non de leviſſima culpa, ad ſecuti damni reſtitutionem. 217. 1781.

Pœnæ.

Delicta, impunita manere non debent ob commune bonum. 306. 2068.

Juxtà menſuram delicti debet eſſe plagarum modus. Ibidem.

Ad puniendum non ſufficit unus teſtis, etiam de viſu, & omni exceptione major. pagina 328. & 329. *num* 2121.

Delinquens nulla lege tenetur per exteriores leges ſtatutam pœnam adverſus ſe ipſum executioni demandare, cum Judex eam minime exequatur. 9. 1241.

Inhabilitas ad Beneficia, contracta propter Simoniam, non eſt Cenſura, neque Irregularitas, ſed quædam vindicativa pœna. 290. 2008.

Pœnitentia.

Pœnitentia, ut virtus, eſt nolle facere, vel nolle feciſſe peccatum ut eſt offenſa Dei, & poteſt eſſe ſine dolore, ut in beatis, vel cum dolore, ut in viatoribus. 207. 1916.

Polygamia.

In Veteri lege licita fuit Uxorum pluralitas ob diſpenſationem Dei. 100. 1524.

Non poteſt Papa diſpenſare in pluralitate Uxorum. Ibidem.

Præcepta.

Si non poteſt Præceptum ſervari in totum, ſer-

Digitized by Google

ſervetur ſaltem in parte eo meliori modo, quo poſſumus. 199. 1751.

Præceptum annuæ Communionis.

Pueri non obligantur ad Communionem uſque ad 12. *annum*. 133. 1608.
Qui omittit communionem in Paſchate, non incurrit ullam cenſuram ipſo facto, ſed interdicendus eſt ab Ingreſſu Eccleſiæ, & privandus ſepultura Eccleſiaſtica. 105. 1539.
Non poſſunt Regulares in Paſchate præbere Communionem peregrinis, & extrà propriam Parochiam exiſtentibus, niſi de licentia Parochorum, ad quos ſpectat; poſſunt tamen ſuos famulos ſæculares, qui in eorum Monaſteriis degunt, familiareſque Commenſales, ad ſatisfaciendum præcepto in Paſcha communicare, loquendo de Regularibus, qui habent Privilegium. p. 173. & 174. nu. 1708.

Præceptum annuæ Confeſſionis.

Etſi teneatur ad Confeſſionem annuam qui habet uſum rationis, tamen Eccleſia non videtur obligare ante pubertatem ad pœnas non confitentibus impoſitas. 133. 1608.
Siquis non habet niſi peccata venialia, ſufficit pro adimplendo præcepto Eccleſiæ de confitendo ſemel in anno, ſe præſentare coram proprio Sacerdote, & dicere ſe non habere conſcientiam mortalis ullius. 107. 1544.
Qui in Paſchate non implevit Confeſſionis præceptum, mortaliter peccat toties quoties oblata opportunitate non confitetur. 106. 1543.

Præceptum audiendi Sacrum.

Qui Miſſam audit in Oratoriis Epiſcoporum, vel Regularium ſatisfacit præcepto, & non tenetur aliam Miſſam audire. 55. 1385.
Non tenetur Mulier Miſſam prætermittere, ſi ſciat ſe concupiſcendam ab aliquo ſaltem dum ad Miſſæ Sacrum accedit. 49. 1366.

Præceptum Euchariſtiæ ſumendæ.

Extat de ſumptione Euchariſtiæ divinum Præceptum. 229. 1835.
Obligat in tribus caſibus. Ibidem.

Prælati Regulares.

Non veniunt nomine Prælatorum Eccleſiaſticorum. 120. 1579.
Cauſa rationabili poteſt Prælatus Regularis Subdito non ſervare promiſſum, ſed revocare. 323. 2109.
Prælatis Regularibus competit facultas eligendi Confeſſarium extraneum ab Ordinario non approbatum, ſuiſque Subditis idem concedendi, modò per Regulam, vel ſtatuta Religionis non ſit illis prohibitum, ut inhibetur nobis per Conſtitutiones noſtras. 197. 1749.
Prælati Regulares tenentur ſervare Conſtitutiones ſui Ordinis, niſi excipiautur. 198. 1749.
Licitum eſt Superioribus Regularium aperire literas ſuorum ſubditorum. 17. 1264.
Superiores Religionum, præſertim ex ordine Mendicantium, ſub mortali errore tenentur, ut ſubditi per literarum ſtudia ad Confeſſiones audiendas, & concionandum, idonei reddantur. 180. 1726.
Superiores Religionum non poſſunt niſi per ſe ipſos diſpenſare ſuper pœnas privotionis Officii, activæ, & paſſivæ vocis. p. 98. & 99. num. 1518.

Præſcriptio.

Requiritur ſpatium centum annorum ad præſcribendum contrà Regularium privilegia. 175. 1712.

Præſumptio.

Præſumptio deſumenda eſt à communiter contingentibus. 133. 1609.
In Criminalibus ſufficit ad præſumptionem faciendam teſtis qui non habet 20. *annos*. 327. 2116.
Factum ſuapte natura malum, præſumitur mala

mala intentione factum. 309. 2075.

Si Vovens ſit certus de actu externo Voti, & dubitat de intentione, præſumitur voluiſſe conformare actum externum cum interno. p.186.& 187. *quæſ*.2.

Princeps.

Excommunicatio, quæ ad Matrimonium cogentibus imponitur à Tridentino, eos ſolos afficit, qui temporale Dominium in foro externo habent. 257. 1899.

Privilegia.

Privilegium non prodeſt ante notitiam ejus, quando conceditur motu proprio ad inſtantiam alterius quàm privilegiati; & ſi impetret per procuratorem, valet tempore, quo procuratori intimatur. 362. 2197.

Privilegium Canonis.

Excluduntur ab hoc Privilegio Canonis Clerici joculatores, galiardi, & Buffones, per annum talem artem exercentes; Item Clerici, carnificis, Macellarii, vel Tabernarii Officium exercentes, ſi ſint conjugati, vel habitum Clericalem dimiſerint, ac ter moniti ab Epiſcopo non deſtiterint, aut ſi poſtquam deſtiterint idem officium reaſſumant. p.132. *quæſ*.2.

Privilegium Canonis, & Fori.

Clerici, Carnificis, Macellarii, vel Tabernarii Officium exercentes, ſi conjugati non ſint, nec Bigami, & habitum clericalem retineant, Privilegio Canonis, & Fori, quoad Perſonas non privantur, ſed ſolùm quoad eorum bona. pag. 132. *quæſ*.2.

Privilegium fori.

Poſſunt Clerici in Terra Baronali contra ſtatutum vendere Vinum, aperire tabernas, & vendere alia ex eorum prædiis collecta. 40. 1344.

Clerici, & Beneficiarii, haud amittunt Privilegium Fori, quanquam ſe miſceant enormitatibus, & in habitu laicali incedant, niſi priùs ter moneantur, & præcedat declaratio Iudicis Eccleſiaſtici. p.131. *quæſ*.1.

Non ſolùm Uxor vidua Clerici in minoribus latini, ſed Sacerdotis Græci, & Equitum D. Jacobi Alcantaræ, & Calatravæ Monteſæ, gaudent privilegio fori, quia earum Mariti eo fruebantur. neque hoc eſt privilegium perſonale, ſed perſonale, & reale. pag.396. *quæſ*.

Profeſſio Religioſa.

Religioſus Profeſſus, qui à Religione egreditur ad ſubveniendum Parentibus in neceſſitate conſtitutis, tenetur ſervare vota, & Præcepta Religionis, eo modo, quo commodè poteſt. 150. 1661.

Is, ſublata parentum neceſſitate tenetur regredi ad Religionem ſuam. Ibidem.

Qui propter incorrigibilitatem à Religione eſt ejectus, tenetur ſervare vota in Profeſſione emiſſa. 151. 1687.

Per Ejectionem non annullatur Profeſſio, ſed ſolùm ſeparatur à communione, & conſortio Religionis, ut reſipiſcat. 162. 1687.

Si probatur nullitas Profeſſionis, votum Caſtitatis in profeſſione emiſſum valet tanquam ſimplex. 177. 1718.

Omnia vota, etiam reſervata, extinguuntur in Profeſſione Religioſa; & idem dicendum de Iuramentis ſoli Deo emiſſis. 185. 1742.

Promiſſio.

Obligatio promiſſionis non oritur ex voluntate promittentis, ſed ex naturali jure, ad ſervandam veritatem cui facta fuit promiſſio, cum promiſſio debeat eſſe fidelis. 293. 2017.

Pueri.

Non vinciuntur Eccleſiæ legibus ante annum duodecimum. 134. 1611.

Pyxis,

Digitized by Google

Pyxis, in qua ſervatur Sacra Euchariſtia.

Hic Romæ Chriſmate conſecratur. 96. 1514.
Si à Sacerdote abſque Cotta, & ſtola, ad aliud deferatur Altare, peccatum mortale committitur. pag. 249. & 250. *quæſ.* 4.

Q

Quarta Funeralis.

QVarta funeralis, *Eccleſiæ Parochiali debetur, cum aliquis extrà Parochiam ſepelitur.* 276. 1951.

R

Raptus Mulierum.

RAptus dicitur, *etiam Sodomiticè abuti rapta.* 298. 2040.
Licèt rapta in tuto loco poſita conſentiat, & fiat Matrimonium, tamen legum pœnæ incurruntur à raptore. 356. 2181.

Ratihabitio.

Ratihabitio non poteſt efficere, ut ante abſolvens habuerit juriſdictionem, & ut Sacramentum invalidè collatum convaleſcat. 332. 2134.

Reges.

In generali locutione minimè veniunt. 257. 1900.

Regulares, ſeù Religioſi.

Religioſi, Coadjutores Epiſcoporum vocantur. 175. 1711.
Licet Monaſteria Regularium ſint in Diœceſi Epiſcopi materialiter, dicuntur tamen extrà eam formaliter. 169. 1700.
Regulares in odioſis minimè comprehenduntur, niſi de illis fiat expreſſa mentio. 152. 1666.
Religioſi comparantur Servis, non habentes vella, aut nolle. 180. 1727.
Religioſus eſt incapax juriſdictionis habendæ ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, inſcio, vel invito ſuo Prælato. 341. 2156.
In uſum communem cenſetur impendi quod de licentia Superioris in uſum alicujus Religioſi impenditur. p. 126. *quæſ.* 1.
Largitio Munerum inter Religioſos abſque ſuorum Superiorum licentia eſt peccatum proprietatis. 7. 1236.
Lethaliter peccat Religioſus, quando ejus pravo exemplo ad Relaxationem Regulæ alios inducit. Ibidem.
Non tenentur Religioſi niſi, aut tendere ad perfectionem, per omnia opera conſiliorum, aut ſupererogationis, ſed ſolùm per illa, quæ ſunt ſecundùm regulam, & Obſervantias ſuæ Religionis. 172. 1706.
Religioſus qui habet voluntatem committendi omnia peccata venialia peccat mortaliter, non verò ſæculares. 94. 1504.
Non eſt prohibitum Regularibus recipere triticum, uvas, ligna &c. ante quam Parochus receperit ſuas primitias. 47. 1358.
Religioſus, qui temerè dimittit habitum ſuæ Religionis, incurrit in pœnam excommunicationis. 93. 1501.
Cùm Prohibetur Religioſis in Clem. 1. *ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne præſumant ſine licentia Matrimoniis aſſiſtere, cenſetur corrigi hæc excommunicatio juris antiqui per pœnam ſuſpenſionis pro eodem delicto impoſita à Tridentino.* 253. 1884.
Religioſi inducentes cum juramento, voto vel promiſſione, ad Sepulturam in propriis Eccleſiis eligendam, vel non mutandam Electam, in excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt. p. 275. & 276. *num.* 1955.

Religiones aliquæ particulares.

Nomine Monachi in odioſis non veniunt Mendicantes. 166. 1693.

Remiſ-

Digitized by Google

Remiſſio peccatorum.

Remiſſio peccatorum non eſt effectus per ſe, ſed tantum per accidens, extremæ Unctionis. 251. *quæſ.*
Extra confeſſionem poſſunt remitti peccata venialia per opera Charitatis, & per quædam Sacramentalia &c. 95. 1507.

Res Sacræ.

Tres ſunt ſpecies rerum ſacrarum. 310. 2077.

Reſidentia.

Cauſæ, ob quas Epiſcopus poteſt licitè abeſſe, ſunt Neceſſitas, Charitas, Eccleſiæ utilitas, obedientia debita. 207. 1760.

Reſtitutio Accepti.

Incerta ſunt reſtituenda Pauperibus ad libitum Epiſcopi, vel ad capſam incertorum deferenda. 210. 1767.
Gubernatores qui officium gerunt in ſtatu Eccleſiaſtico, accipientes munera obligantur ad reſtitutionem; non tradenti munera, ſed pauperibus. 10. 1242.
Famulus, qui ab alio famulo furante aliquid accepit, ne clamet, vel indicet ejus furtum, ſi res accepta non ſit pars furti ab alio famulo perpetrati, & accipiendo, ſua pollicitatione expreſſa, vel tacita, ſurem animoſiorum minimè reddit, non tenetur reſtituere. 219. 1808.
In negotiationis ſocietate, tota ſors principalis, ſi extat, integre reſtituenda eſt illi, qui eam poſuit. 42. 1347.
Obligatio reſtituendi in mutuo naſcitur ex parte acceptionis. 210. 1768.
Obligatio reſtituendi in Commodato, Depoſito, & pignore, naſcitur ex parte rei acceptæ. 210. 1769.

Reſtitutio Damni.

Ponuntur duo verſus ponentes novem genera Perſonarum ad alterius Damnum incurrentium, & cooperantium, quæ ad reſtitutionem tenentur. p. 222. *quæſ.* 2.

Reus.

Ad præjudicandum Reo, requiritur, quod teſtes ſint citati ad teſtificandum, & quod eis delatum ſit juramentum de veritate dicenda. 325. 2112.
Reo Regulari, in gravioribus criminibus, in quibus periclitatur, & de publica punitione agitur, aperienda Teſtium nomina, maximè ubi ab externo accuſetur, niſi quando timetur grave Dannum Teſtibus imminere. p. 180. & 181. nu. 1729.

Reus Mortis.

Damnatis ad mortem, cum non ſint capaces ſalutis Corporalis, qui eſt unus effectus Sacramenti extremæ Unctionis, ipſum non poteſt dari. 250. 1876.

S

Sacerdotes.

Sacerdotalis Ordinis prima materia eſt traditio Calicis cum vino, & patenæ cum oſtia ſuperpoſita, &c. 58. 1395.
Secunda materia eſt impoſitio manuum Epiſcopi undà cum verbis illis Accipe Spiritum Santum. Ibidem.
Sacerdos ſumens Corpus Chriſti Domini per manus alterius miniſtri, debet ſtolam adhibere. 244. 1874.
Sacerdos, ſi Diaconus adeſt, potiùs debet ab eo accipere Euchariſtiam, quàm ſibi miniſtrare. p. 249. *quæſ.* 5.
Ad ſolum Sacerdotem ſpectat, propria authoritate, & tanquam ex officio principali, & ſecundum diſtributionem primam, & poteſtativam, Euchariſtiam miniſtrare. p. 247. *quæſ.* 4.

Sacramentum Baptiſmi.

Baptiſmus definitur, Ablutio exterior Corporis facta ſub præſcripta forma verborum.

borum. 234. 2848.

Præter aquam puram, & benedictam aliæ aquæ licet naturales, non poſſunt adhiberi in Baptiſmo, niſi in extremæ neceſſitatis tempore; aliàs committeretur graviſſimum Sacrilegii peccatum. 232. 1842.

Omninò in capite quivis baptizari debet, niſi urgeat neceſſitas. Ibidem.

In Neceſſitate Baptiſmus adminiſtrandus eſt in qualibet parte Corporis, etiam in ſolo digito, ſi nequeat in capite; ſed neceſſitate tranſacta rebaptizandus eſt ſub conditione. Ibidem.

Monſtrum ex viro, & fœmina genitum, ſi habet duo capita, & duo Corpora, eum habere cenſeatur duplicem animam, bis baptizandum eſt, nimirum vel ſingillatim ſemel in utroque capita, vel ſi periculum in mora ſit, urgeatque neceſſitas, baptizandum eſt ſaltem unico actu, dicendo, Ego vos baptizo &c. 234. 1848.

Si habeat Capita duo cum pectore uno, aut pectus duplex ſub uno Capite, cum caſus ſit dubius, duplex Baptiſmus ei conferri debet; unus ſcilicet abſolutè in parte, in qua perfectum Caput, vel Pectus apparet, alter ſub conditione in alia parte, dicendo, ſi non es Baptizatus, Ego te Baptizo &c. Ibidem.

Melius eſt, quod in Neceſſitate baptizantes formam nativo ſermone proferant, ne ridiculas voces propter latinæ linguæ ignorantiam emittant. 233. 1844.

Si Sacerdos nolit baptizare, niſi accepta pecunia in pretium, Adultus Baptiſmum petat ab alio, etiam infideli, non verò à Sacerdote Simoniaco. 235. 1850.

Dato, quod non ſit alius præter illum nequam Sacerdotem, & periculum mortis inſtet, potius mori debet cum Flaminis Baptiſmo, quàm pecuniam præbere. Ibidem.

Reſpectu Infantis in articulo mortis, qui injuſtum patitur ſi ab eo ſolo Sacerdote, qui formam ſcit, non baptizetur, poteſt pro redimenda vexatione dari pecunia. Ibidem.

Faciens ſe rebaptizare propter eleemoſynam acquirendam, eſt de Hæreſi ſuſpectus. p. 320. *quæſ*. 2.

Sacramentum Confirmationis.

Non Confirmatus admitti non debet ad tenendum aliquem in Confirmatione; ſed ſi admitteretur, utique cognitionem ſpiritualem contraheret. 86. 1467.

Patrinus in Confirmatione debet eſſe alius ab eo qui tenuit in Baptiſmo. 87. 1470.

Non poteſt unus in Confirmatione tenere ultra duos eadem die ſine licentia Epiſcopi. Ibidem.

Eſt grave peccatum miniſtrare Sacramentum Confirmationis ſine Balſamo, niſi fortè adſit caſus neceſſitatis, & Balſamum non inveniatur. 240. 1862.

Si Sacramentum Confirmationis eſſet collatum ſine Balſamo, eſſet ſub conditione reiterandum. Ibidem.

Sacramentum Euchariſtiæ.

Singulis hebdomadibus renovari debet Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, etiam tempore Interdicti. pag. 97 *quæſ*.

Sine licentia Ordinarii ſolummodò exponi poteſt cum luminibus, & aſſiſtentia, non extractum à Tabernaculo, ſed in Tabernaculi Oſtiolo, aut in velata Pyxide, itaut hoſtia videri non poſſit. 176. 1714.

Eſt laudabile, ut ſæpè fideles communicent, propter augmentum gratiæ, quod in ipſo Sacramento datur. 244. 1875.

Laudabile eſt aliquando abſtinere propter reverentiam huic Sacramento debitam. Ibidem.

Ante communionem abſtinere à copula conjugali non eſt præceptum, neque habere ante illam eſt veniale peccatum; convenit tamen ob reverentiam conjugem rogare, ut ſe abſtinere permittat. p. 386. & 387. *num*. 2275.

Non frangitur Jejunium Euchariſticum, itaut Sacra Communio non impediatur, per ſumptionem Tabachi. 321. 2105.

Si Tabachus dantibus conteratur, curandum eſt ne ſuccus, vel quidquam aliud in Stomachum trajiciatur, ne impediatur Commu-

Digitized by Google

Communio; ſi autem aliquid ex ſuceo mixtum cum Saliva tranſierit, hoc erit præter intentionem, ſicut de guttula aquæ, vel vini, qua os abluitur, dici ſolet, nec violatur Iejunium naturalę. 322. 2105.

Confeſſarius imponere poteſt Pænitentiam de non ſuſcipienda, tali vel tali die, Eucbariſtiam. 271. 1937.

Sacramentum Extremæ Untionis.

Effectus extremæ untionis principaliter eſt roborare Animam contra Dæmonis tentationes in morte; ſecundariò eſt delere reliquias peccatorum, tollere pęnas reſtantes, & aliquando etiam ſanitatem Corporis conferre ſi expediat. 228. 1834.

Sacramentum Matrimonii.

Anatematizatur per Concilium Tridentinum qui Matrimonium præfert Virginitati. 375. 2236.

Status Conjugalis Sacerdotibus Evangelicis eſt illicitus propter quatuor capita. 227. 1827.

Deficientibus hominibus ſæcularibus, tenerentur Religioſi Matrimonium contrahere, niſi Dei Revelatione conſtaret, finem Mundi adeſſe. 177. 1717.

Ut dicatur Matrimonium in facie Eccleſiæ celebrari, non eſt opus, ut in ipſa Eccleſia materiali celebretur, ſed ſatis eſt ſi coram Parocho, & dupplici teſte, denunciationibus præmiſſis, Matrimonium celebratur. 254. 1886.

Matrimonium contrahi debet coram Parocho Sponſi, vel Sponſæ. 254. 1885.

Miniſter Sacramenti Matrimonii non eſt Sacerdos, ſed ipſi contrahentes. p. 230. nu. 1837. & p. 361. nu. 2194.

Qui extorſit copulam à Virgine, aut à vidua bonæ famæ, promiſſione Matrimonii, quamtumvis ficta, tenetur ipſam in Uxorem ducere, nec ſatisfacit ſi Puellam defloratam, aut Viduam cognitam dotet, cum promiſſio non fuerit de Dote, ſed de Matrimonio. 294. 2018.

Deobligare poteſt conditionis diſparitas, non quidem univerſaliter, ſed quando fæmina exceſſum noverat. Ibidem.

Qui Matrimonium contraxit cum illa, cum qua ſequuta eſt copula, poſt mortem Uxoris tenetur contrahere cum illa, cum qua priùs ſponſalia celebravit. 303. 2057.

Sacramentum Ordinis.

Requiritur, ut ordinandus, ad Ordinum miniſteria ſit ſufficienter inſtructus, & benè legat, & cantet. 156. 1681.

De Iure communi ex Conc. Trid nullus poteſt ordinari, niſi in Sabbato quatuor temporum, in Sabbata ante Dominicam Paſſionis, & in Sabbato ante Paſcha Reſurrectionis. p. 191. quæſ. 7.

Regulares ex ordine mendicantium, & qui cum eis in privilegiis communicant, poſſunt propter varia privilegia nullatenus revocata, licitè ordinari extrà tempora in qualibet die Dominica, vel feſto occurrente, abſque alia Summi Pontificis diſpenſatione. Ibidem.

Satisfactio Pænitentialis.

Parua ejus dilatio ex juſta cauſa, nullum peccatum eſt. 270. 1929.

Poteſt ſine gravi peccato uſque ad octavum diem differri. 270. 1930.

Graviter peccat qui valdè diù eam differt. Ibidem.

Venialiter peccat qui in mortali pænitentiam adimplet. 270. 1932.

Pænitentia Sacramentalis adimpleta in peccato mortali ſublato obice reviviſcit. p. 270. & 271. num. 1935.

Scandalum.

Scandalum Puſillorum eſt Scandalum per ſe, & Phariſæorum, per accidens. 272. 1944.

Quando ex opere etiam veniali ex ſe ſumitur occaſio peccati mortalis, illa actio, quæ eſt venialis, redditur mortalis. 393. 2302.

Digitized by Google

Scientias ad Ordines.

Pro prima tonſura ſufficit ſcire rudimenta fidei, ac legere, & ſcribere, vernacula lingua; Pro Ordinibus minoribus intelligentia requiritur linguæ latinæ; Pro Subdiaconatu, & Diaconatu, ad tales ordines exercendos oportet eſſe inſtructum; & pro Præsbiteratu, od docendum Populum in neceſſariis ad ſalutem, idoneum opus eſt inveniri. 262. 1911.

Scriptum Confeſſionis.

Qui ſcriptum Confeſſionis alterius, etiamſi moraliter certus ſit nonniſi levia continere, legat, peccat mortaliter, & multò magis ſi aliis divulget. 282. 1979.

Chicta illa, antequam peccata fuerint confeſſa, poteſt dici Confeſſio inchoata; & poſtea Confeſſio effecta. 281. 1978.

Scripturæ.

In cauſis criminalibus nunquam poſſunt teſtes deponere in ſcriptis, quamvis legant ſcriptum. 326. 2114.

Semen.

Semen fæminæ non eſt neceſſarium, neque ad producendam prolem, neque od perfectionem actus conjugalis. p. 387. n. 2277. & 2278.

Fæminæ ſemen non concurrit neque activè, neque paſſivè, ad generationem. 388. 2280.

Senex.

Solùm Senes excuſantur à peccato, ſi principaliter propter vitationem fornicationis Matrimonium contrahunt. 253. 1880.

Sententia Judicis.

Ante Iudicis ſententiam, Pœnæ, quæ non poſſunt executioni mandari abſque hominis actione, & Privatio Officiorum Dignitatum, adminiſtrationis bonorum, &c. licèt obligent ipſo jure, vel ipſo facto, tamen non obligant in conſcientia, licet aliter conſtet de mente legiſlatoris, ſed tantùm pœnæ, quæ in ſola privatione conſiſtunt, ut inhabilitates ad Officia, vel beneficia, aut vocis activæ, & poſſivæ privatio. p. 97. & 98. nu. 1516.

Sepultura Eccleſiaſtica.

Sepultura Eccleſiaſtica non eſt privandus Religioſus, qui ex improviſo mortuus, inventus eſt in Cella cum marſupio Denariorum, niſi Caſus ſit publicus, & non poſſit aliquo modo excuſari. 178. 1721.

Sepultura particularis.

Nec Parentes filiis puberibus, nec Avi Nepotibus, nec Tutores Pupillis, nec Fratri Frater, aut amico Amicus poſſunt eligere ſepulturam, ubi non eſt conſuetudo in contrarium. 275. 1952.

Regulares extrà Conventum decedentes poſſunt od eorum Eccleſias deferri etiam Parochis inconſultis. 178. 1722.

Religioſi non poſſunt ſibi eligere Sepulturam, niſi quando multùm diſtant ab eorum Monaſteriis, quod commodè deferri non poſſunt. p. 178. & 179. nu. 1723.

Sepeliri in locis religioſis melius eſt, quàm alibi. 179. 1723.

Sigillum Confeſſionis.

Qui Sigillum Confeſſionis revelat, duo peccata committit, nempe contra Iuſtitiam. & Sacrilegium. 91. 1492.

Simonia.

Qui poſtquam dedit dono pro acquirenda Reliquia Sacra, alteri à ſe petenti eam dare vult, ſed petens ab illo id quod ipſe erogaverat, apertè Simoniam committit. 206. 1757.

Contrà Regulares donantes non ſervata forma Clem. VIII. de larg. Mun. procedi poteſt tanquam Simoniæ Criminoſos. 8. 1239.

Eſt

Digitized by Google

Eſt prohibita jure divino, naturali, & Eccleſiaſtico, præter permutare Beneficium, cum Beneficio, abſque Pontificis licentia, & vendere penſiones, aut officium Æconomi, Sacriſtæ, &c. quæ tantùm jure Canonico prohibetur. 282. 1982.

Nulla ſimonia inducit pœnas juris ipſo facto incurrendas, niſi in Ordine, Beneficiis, & Religionis ingreſſu. 286. 1997.

Mentalis ſimonia pœnis Eccleſiaſticis non ſubjacet. 286. 1999.

Simonia Confidentalis eſt pœnis ſubjecta, licèt compleeta non fuerit. 283. 1986.

Per ſimoniam realem in Beneficiis, dans, recipiens, & procurans, incurrunt in excommunicationem Papæ reſervatam. 286. 1995.

Simoniacus.

Peccat ex triplici capite. 282. 1982.

Simoniacus gaudet immunitate Eccleſiarum, dummodo ſimonia non habeat adjunctam hæreſim. 292. 2011.

Sortilegium.

Sortilegia dicuntur à ſortibus, & ſortes divinatoriæ ſunt omninò illicitæ, conſultoriæ ſunt illicitæ regulariter loquendo, & diviſoriæ in multis rebus ſunt licitæ, ſed non in electione ad dignitates, & officia Eccleſiaſtica. pag. 311. & 312. num. 2080.

Sponſalia.

In Sponſalibus continetur hæc tacita conditio, ſcilicèt, niſi perfectior ſtatus eligatur. 384. 2265.

Stuprum.

Solùm eſt virginis fœminæ defloratio. 375. 2238.

Subdiaconi.

Materia Subdiaconatus eſt traditio Calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita, & traditio libri Epiſtolarum. 59. 1395.

Subditus.

Si Prælatus non ſervat reverentiam Subdito, nec Subditus tenetur ei ſervare. 308. 2071.

Superſtitio.

Quinque conditiones neceſſariæ ſunt ad præcavendam ſuperſtitionis culpam in ſcripturis ſacris adhibendis, vel ad collum portandis. 207. 1759.

Sylvæ.

In ſylvis communitatis non peccat mortaliter Oppidanus ſi ligna cædit, neque ad reſtitutionem tenetur, dummodo magnam ſtragem non faciat. 220. 1810.

Similiter, ſi diverſi oppidi habitatores ſolent adinvicem in ſylvis earum cædere ligna, neuter culpa mortali afficitur, nec ad reſtitutionem tenetur. Ibidem.

Si ſylvæ ſunt alicujus particularis Domini, niſi is ſola pœna ſit contentus, peccat mortaliter, qui cum pravi damno ligna cædit, & ad reſtitutionem tenetur. Ibidem.

Si ſylvæ ſunt Dominorum locorum, qui abſque eorum licentia ligna cædit, peccat, & ad reſtitutionem tenetur, quamvis non ſit tàm areta regula ac ſi ſylvæ eſſent particularis cujuſdam, unde poſſunt Pauperes cædere ligna ad uſum foci proprii neceſſaria. Ibidem.

T

Tabachus.

Tabachi ſumptio in Eccleſia, & ejuſdem atriis, vel in Choro, aut Sacriſtia, non eſt mala quia mala, ſed quia prohibita, ubi eſt prohibita. 322. 2106.

Tactus.

Quod à nobis pecunia non ſit tangenda immediatè, non eſt ridiculum, ut quidam putant. 199. 1751.

Digitized by Google

Non abrogatur lex prohibens laicis vaſorum ſacrorum tactus, dicendo eos non peccare ſi mediante aliquo mundo linteo contingant. 199. 1751.

*In neceſſitate Corpus Chriſti tangere, licitum eſt etiam laicis. pag.*249. *quæſ.*6.

Peccarent venialiter, illud tangentes in peccato mortali. Ibidem.

In quolibet Sacramento habente materiam, eſt de eſſentia Sacramenti tangere illam. 263. 1913.

Neceſſarius non eſt in Sacerdotio contractus immediatus vini, ſed qui Calicem attingit, moraliter cenſetur attingere vinum in eo contentum. Ibidem.

Ordinandus in Sacerdotem debet attingere tàm patenam, quàm Hoſtiam immediatè, ne periculo ſe exponat non recipiendi Ordinem. Ibidem.

Non eſt neceſſe, ut mathematicæ ſint ſimul tactus materiæ, & prolatio formæ in Ordinatione, ſed ſufficit ut ſint ſimul moraliter, paulò ante, aut poſt verba ordinantis; requiritur tamen tactus phyſicus, & realis. 263. 1914.

*Non licet Uxori ſe excitare tactibus ad emittendum ſemen, & multò minus licet viro tangere verenda uxoris, ut ipſa perficiat actum. pag.*387. & 388. *n.* 2277. 2278. & 2270.

Si Mulier in choreis publicis ſciat ſe ab alio libidinosè tangi, non peccat ſi non ſe retrahit quando tactus non ſunt impudici, & fiunt ſecundum conſuetudinem Patriæ, neque mulier poſſit ſine ſcandalo ſe retrahere. 49. 1365.

Teſtes, & Teſtimonium.

Unus Teſtis omni exceptione major probat ſemiplenè. 329. 2121.

Standum eſt dicto unius teſtis, quando non agitùr de præjudicio alterius, imò alteri prodeſt. 329. 2121.

Dictum Confeſſarii magnam fidem facit. 275. 1954.

In Teſtamento non valet teſtimonium, niſi teſtes audierint, & viderint teſtatorem loquentem. 360. 2192.

Si teſtes taceant aliquid de contingentibus exprimentes id quod facit pro aliquo, & tacentes quod eſt contrà illum, ſunt falſi teſtes. 326. 2114.

V

Validitas.

Ut geſta valeant, non ſatis eſt error communis, ſed neceſſarius eſt titulus à Superiore collatus, quamvis invalidus ſit ob aliquod vitium latens. 331. 2131.

Validitas Abſolutionis.

Valida eſt abſolutio, qua Confeſſarius Perſonam, cum qua rem habuit, abſolvit, remota occaſione ne iterum ad præteritas redeant illecebres. pag. 296. & 297. *n.* 2028.

Validitas Profeſſionis Religioſæ.

Religioſus profeſſus, qui dubitat de ſuæ Profeſſionis validitate tenetur omninò pro profeſſione ſtare quouſque rationabiliter dubium deponere non valet, ante quinquennium; poſt quinquennium verò practicè debet deponere dubium. pag. 186. *quæſ.*2.

Si dubium ſit de intentione, potiùs præſumitur pro profeſſione. Ibidem.

Validitas Sacramenti Extremæ Unctionis.

Ad validitatem hujus Sacramenti requiritur, quod infirmus ſit in mortis articulo, vel periculo, ſaltem probabili, ſeù præſumpto. 250. 1876.

Validitate Sacramenti Matrimonii.

Matrimonium cum errore, & dolo celebratum, ubi non adeſt error, niſi in qualitate pulchritudinis, non verò circà ſubſtantiam, eù circa Perſonam, validum eſt. 295. 2019.

Validum eſt Matrimonium, quod damnatus ad mortem contraxit liberatione à Judice

Digitized by Google

diec compromiſſa ſi ejus filiam duceret. 194. 1744.

Validum eſt Matrimonium ſi contrahatur inter filiam Medici, & ægrotum, quem Medicus alioquin mederi nolebat. 27. 1301.

Validitas Sacramenti Ordinis.

Sufficit ad validitatem, quod ſit homo maſculus baptizatus. pag. 282. & 263. n. 1912.

Si Ordinandus ſit adultus, requiritur etiam de neceſſitate Sacramenti, quod intentionem habeat ſuſcipiendi Ordinem. 263. 1912.

Validitas Sponſalium.

Sponſalia clandeſtina, quæ fiunt ſine Parocho, & teſtibus, quamvis in foro externo valida non habentur, in foro tamen conſcientiæ valida ſunt, & firma. 303. 2058.

Vana obſervatio.

Vana obſervatio, qua media inutilia adhibentur ad præſtandum, vel omittendum aliquid, habet tres ſpecies. pag. 317. & 318. n. 2093. & 2094.

Venatio.

Licet venari in die feſto ob recreationem, ac etiam propter lucrum. 309. 931.

Prohibitio venandi Clericis, & Religioſis, non eſt ſub mortali, quando ſolùm fit honeſtè ſine ſcandalo recreationis cauſa. 92. 1498.

Non decet Eccleſiaſticos, præſertim in ſacris conſtitutos, venari frequenter. 92. 1498.

Eſt illicita venatio clamoroſa, etiam pro una vice, tam Clericis ſecularibus, quàm Religioſis, ſub pena peccati mortalis, & ſuſpenſionis. 92. 1498.

Venditio, & Venditore.

Mercator, qui non interfuit Monopolio, nullo modo poteſt vendere merces juxta monopolium. 30. 1312.

Verba.

De Verbis non eſt dialecticandum. 198. 1750.

Verba ſunt formaliter intelligenda. pag. 201. quæſ. 1.

Verba accipienda ſunt in ſignificatione uſitatiori. 271. 1936.

Verba rebus, non res verbis deſerviunt pag. 202. quæſ. 1.

Vicarius.

Vicarius ſpecialis, quoad illam ſpeciem eſt major Vicario generali. 277. 1959.

Vicarius Chriſti.

Sacerdos in actu Confeſſionis eſt Vicarius ſpecialis Chriſti, Papa verò Vicarius generalis. 277. 1959.

Vicarius Epiſcopi.

Religioſi, ubi à Regula, ſeu ſuis conſtitutionibus non prohibentur, & hæ duæ interveniunt conditiones, nimirum in primis Superioris licentia, vel Generalis, ut in Jeſuitis, vel ſaltem localis, ut in aliis, & altera, quæ eſt Monaſterii utilitas, ad quam ſufficit accreſcens honor, à jure communi non impediuntur, ut ſint Epiſcoporum Vicariis. 184. 1739.

Vicarius Papæ.

Poteſt Vicarius Sanctiſſimi ordinare familiares, ſeu Officiales Papæ in curia reſidentes, qui per triennium habitaverint in urbe. 64. 1404.

Digitized by Google

Vicarius Prioris apud Nos.

Facultas Vicarii expirat, quando Prior ad Conventum redit. pag. 203. quæſ. 2.

Vilis Perſona.

Perſonæ viles non ſunt teſtes Idonei. 327. 2116.

Vinea.

Non eſt licitum ingredi vineam, & ibi uvas comedere ad beneplacitum, vel in via, ſine peccato, & reſtitutionis obligatione. pag. 220. & 221. n. 1811.

Si multi ſingulatim vineam aliquam ingrediantur, aliis aliorum ignaris, & unuſquiſque ſuum racemum capiat, quoadusque nullus in ea relinquatur, licèt nullus eorum mortaliter peccaverit, ſed ſolùm venialiter, tamen ſinguli tenentur partem illius damni, quæ eos contingit, reſarcire. 221. 1812.

Viſitatores.

Non poteſt Epiſcopus in primo ingreſſu Viſitationis Regulares compellere ad proceſſionem, cum Clero. 155. 1669.

Generaliter prohibetur omnibus, qui jure ordinario viſitant, munerum receptio, & quamvis liberaliter donata fuerint, ad reſtitutionem tenentur. 125. 1593.

Votum.

Nec motus primò primus, nec ſecundò primus, ſufficit ad votum faciendum. 381. 2252.

Qui aliquid vovit modo indeterminato, poteſt eligere quod minus eſt. pag. 386. quæſ.

Ex voto Paupertatis carere debent Religioſi rebus aliquo modo neceſſariis, & penuria Conventus patienter eſt toleranda. 167. 1696.

Non poteſt Papa diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, & obedientiæ. 65. 1409.

Non peccat contra votum caſtitatis qui pollutionem cœptam in ſomno non reprimit in vigilia, nam ſufficit non placere. 28. 1302.

Uſura, & Uſurarii.

Ubi eſt mutuum, & lucrum ex ipſo mutuo principaliter intentum, & non pactum, eſt uſura mentalis. 389. 2286.

Qui intendit habere ab aliquo lucrum propter mutuum, ſed non principaliter, ſed ob gratitudinem, & liberalitatem ſuam, non eſt uſura mentalis, ſicut nec exteriùs accipere uſuram facit. 393. 2301.

Non poteſt tuta conſcientia mutuator accipere ſub uſuris, niſi ab eo, qui paratus eſt hoc facere, & uſuras exercet, & propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius. 218. 1803.

Qui non juravit ſe non repetiturum uſuras, licitè repetere poteſt ſolutas. 393. 2303.

Uſus Conjugii.

Non eſt compellendus conſummare Matrimonium, qui ante copulam compeŕit eſſe corruptam, quam putavit Virginem. 355. 2177.

Uſus conjugii, ſolùm propter delectationem, eſt peccatum veniale. pag. 388. & 389. n. 2282.

Uxor.

Nomine Uxoris in favorabilibus venit illa, quæ Matrimonium contraxit, in odioſis verò quæ conſummavit. pag. 304. n. 2061. & 2062.

Si Uxor moriatur non electo ſepultura, in ſepulcro ſui ultimi Viri ſepelienda eſt. 275. 1952.

F I N I S.

Digitized by Google

Pag.	Columna.	Errata — Linea.	Corrige.
30.	1.	24 Inter.72.	Inter. 77.
49.	2.	20. Inter. 19.	Inter. 7.
	Ibidem,	21. Inter. 30.	Inter. 28.
60.	1.	25. Ordinario	Ordinaro
92.	1.	29 ventio	venatio
132.	1.	38 quoque	quocunque
135.	1.	25. Ordinari	Ordinaria
137.		tit. 179.	tit. 178.
138.		tit. 190.	tit. 180.
154.	1.	46. ſa[illegible] tam	ſanxit tam
247.	2.	34 in teſſus	ſit ſeſſus
353.	1.	36. eſſe Sacerdotem.	eſſe ipſos contrahentes, & non Sacerdotem.

Errata alia tuæ relinquuntur intelligentiæ.

ROMÆ, M. DCC. VIII.

Noviſſimis Typis Joſephi Nicolai de Martiis, propè Magnam Curiam INNOCENTIANAM.

SVPERIORVM FACVLTATE, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Scientias ad Ordines.

Pro prima tonſura ſufficit ſcire rudimenta fidei, ac legere, & ſcribere, vernacula lingua; Pro Ordinibus minoribus intelligentia requiritur linguæ latinæ; Pro Subdiaconatu, & Diaconatu, ad tales ordines exercendos oportet eſſe inſtructum; & pro Præsbiteratu, ad docendum Populum in neceſſariis ad ſalutem, idoneum opus eſt inveniri. 262. 1911.

Scriptum Confeſſionis.

Qui ſcriptum Confeſſionis alterius, etiamſi moraliter certus ſit nonniſi levia continere, legat, peccat mortaliter, & multò magis ſi aliis divulget. 282. 1979.

Cbicta illa, antequam peccata fuerint confeſſa, poteſt dici Confeſſio inchoata; & poſtea Confeſſio effecta. 281. 1978.

Scripturæ.

In cauſis criminalibus nunquam poſſunt teſtes deponere in ſcriptis, quamvis legant ſcriptum. 326. 2114.

Semen.

Semen fœminæ non eſt neceſſarium, neque ad producendam prolem, neque ad perfectionem actus conjugalis. p. 387. n. 2277. & 2278.

Fœminæ ſemen non concurrit neque activè, neque paſſivè, ad generationem. 388. 2280.

Senex.

Solùm Senes excuſantur à peccato, ſi principaliter propter vitationem fornicationis Matrimonium contrahunt. 253. 1880.

Sententia Judicis.

Ante Iudicis ſententiam, Pœnæ, quæ non poſſunt executioni mandari abſque hominis actione, & Privatio Officiorum Dignitatum, adminiſtrationis bonorum, &c. licèt obligent ipſo jure, vel ipſo facto, tamen non obligant in conſcientia, licet aliter conſtet de mente legiſlatoris, ſed tantùm pœnæ, quæ in ſola privatione conſiſtunt, ut inhabilitates ad Officia, vel beneficia, aut vocis activæ, & paſſivæ privatio. p. 97. & 98. nu. 1516.

Sepultura Eccleſiaſtica.

Sepultura Eccleſiaſtica non eſt privandus Religioſus, qui ex improviſo mortuus, inventus eſt in Cella cum merſupio Denariorum, niſi Caſus ſit publicus, & non poſſit aliquo modo excuſari. 178. 1721.

Sepultura particularis.

Nec Parentes filiis puberibus, nec Avi Nepotibus, nec Tutores Pupillis, nec Fratri Frater, aut amico Amicus poſſunt eligere ſepulturam, ubi non eſt conſuetudo in contrarium. 275. 1952.

Regulares extrà Conventum decedentes poſſunt ad eorum Eccleſias deferri etiam Parochis inconſultis. 178. 1722.

Religioſi non poſſunt ſibi eligere Sepulturam, niſi quando multùm diſtant ab eorum Monaſteriis, quod commodè deferri non poſſunt. p. 178. & 179. nu. 1723.

Sepeliri in locis religioſis melius eſt, quàm alibi. 179. 1723.

Sigillum Confeſſionis.

Qui Sigillum Confeſſionis revelat, duo peccata committit, nempe contra Iuſtitiam. & Sacrilegium. 91. 1492.

Simonia.

Qui poſtquam dedit dona pro acquirenda Reliquia Sacra, alteri à ſe petenti eam dare vult, ſed petens ab illo id quod ipſe erogaverat, apertè Simoniam committit. 206. 1757.

Contrà Regulares donantes non ſervata forma Clem. VIII. de larg. Mun. procedi poteſt tanquam Simoniæ Criminoſos. 8. 1239.

Eſt

Eſt prohibita jure divino, naturali, & Eccleſiaſtico, præter permutare Beneficium, cum Beneficio, abſque Pontificis licentia, & vendere penſiones, aut officium Æconomi, Sacriſtæ, &c. quæ tantùm jure Canonico prohibetur. 282. 1982.

Nulla ſimonia inducit pœnas juris ipſo facto incurrendas, niſi in Ordine, Beneficiis, & Religionis ingreſſu. 286. 1997.

Mentalis ſimonia pœnis Eccleſiaſticis non ſubjacet. 286. 1999.

Simonia Confidentalis eſt pœnis ſubjecta, licèt completa non fuerit. 283. 1986.

Per ſimoniam realem in Beneficiis, dans, recipiens, & procurans, incurrunt in excommunicationem Papæ reſervatam. 286. 1995.

Simoniacus.

Peccat ex triplici capite. 282. 1982.

Simoniacus gaudet immunitate Eccleſiarum, dummodo ſimonia non habeat adjunctam hæreſim. 292. 2011.

Sortilegium.

Sortilegia dicuntur à ſortibus, & ſortes divinatoriæ ſunt omninò illicitæ, conſultoriæ ſunt illicitæ regulariter loquendo, & diviſoriæ in multis rebus ſunt licitæ, ſed non in electione ad dignitates, & officia Eccleſiaſtica. pag. 311. & 312. *num.* 2080.

Sponſalia.

In Sponſalibus continetur hæc tacita conditio, ſcilicèt, niſi perfectior ſtatus eligatur. 384. 2265.

Stuprum.

Solùm eſt virginis fœminæ defloratio. 375. 2238.

Subdiaconi.

Materia Subdiaconatus eſt traditio Calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita, & traditio libri Epiſtolarum. 59. 1395.

Subditus.

Si Prælatus non ſervat reverentiam Subdito, nec Subditus tenetur ei ſervare. 308. 2071.

Superſtitio.

Quinque conditiones neceſſariæ ſunt ad præcavendam ſuperſtitionis culpam in ſcripturis ſacris adhibendis, vel ad collum portandis. 207. 1759.

Sylvæ.

In ſylvis communitatis non peccat mortaliter Oppidanus ſi ligna cœdit, neque ad reſtitutionem tenetur, dummodo magnam ſtragem non faciat. 220. 1810.

Similiter, ſi diverſi oppidi habitatores ſolent adinvicem in ſylvis eorum cædere ligna, neuter culpa mortali afficitur, nec ad reſtitutionem tenetur. Ibidem.

Si ſylvæ ſunt alicujus particularis Domini, niſi is ſola pœna ſit contentus, peccat mortaliter, qui cum pravi damno ligna cædit, & ad reſtitutionem tenetur. Ibidem.

Si ſylvæ ſunt Dominorum locorum, qui abſque eorum licentia ligna cædit, peccat, & ad reſtitutionem tenetur, quamvis non ſit tàm areta regula ac ſi ſylvæ eſſent particularis cujuſdam, unde poſſunt Pauperes cædere ligna ad uſum foci proprii neceſſaria. Ibidem.

T

Tabachus.

Tabachi ſumptio in Eccleſia, & ejuſdem atriis, vel in Choro, aut Sacriſtia, non eſt mala quia mala, ſed quia prohibita, ubi eſt prohibita. 322. 2106.

Tactus.

Quod à nobis pecunia non ſit tangenda immediatè, non eſt ridiculum, ut quidam putant. 199. 1751.

Digitized by Google

Non abrogatur lex prohibens laicis vaſorum ſacrorum tactus, dicendo eos non peccare ſi mediante aliquo mundo linteo contingant. 199. 175 L.

In neceſſitate Corpus Chriſti tangere, licitum eſt etiam laicis. pag.249. quæſ.6.

Peccarent venialiter, illud tangentes in peccato mortali. Ibidem.

In quolibet Sacramento habente materiam, eſt de eſſentia Sacramenti tangere illam. 263. 1913.

Neceſſarius non eſt in Sacerdotio contractus immediatus vini, ſed qui Calicem attingit, moraliter cenſetur attingere vinum in eo contentum. Ibidem.

Ordinandus in Sacerdotem debet attingere tàm patenam, quàm Hoſtiam immediatè, ne periculo ſe exponat non recipiendi Ordinem. Ibidem.

Non eſt neceſſe, ut mathematicæ ſint ſimul tactus materiæ, & prolatio formæ in Ordinatione, ſed ſufficit ut ſint ſimul moraliter, paulò ante, aut poſt verba ordinantis; requiritur tamen tactus phyſicus, & realis. 263. 1914.

Non licet Uxori ſe excitare tactibus ad emittendum ſemen, & multò minus licet viro tangere verenda uxoris, ut ipſa perficiat actum. pag.387. & 388. n. 2277. 2278. & 2279.

Si Mulier in choreis publicis ſciat ſe ab alio libidinosè tangi, non peccat ſi non ſe retrabit quando tactus non ſunt impudici, & ſiunt ſecundum conſuetudinem Patriæ, neque mulier poſſit ſine ſcandalo ſe retrahere. 49. 1365.

Teſtes, & Teſtimonium.

Unus Teſtis omni exceptione major probat ſemiplenè. 329. 2121.

Standum eſt dicto unius teſtis, quando non agitùr de præjudicio alterius, imò alteri prodeſt. 329. 2121.

Dictum Confeſſarii magnam fidem facit. 275. 1954.

In Teſtamento non valet teſtimonium, niſi teſtes audierint, & viderint teſtatorem loquentem. 360.2192.

Si teſtes taceant aliquid de contingentibus exprimentes id quod facit pro aliquo, & tacentes quod eſt contrà illum, ſunt falſi teſtes. 326. 2114.

V

Validitas.

Ut geſta valeant, non ſatis eſt error communis, ſed neceſſarius eſt titulus à Superiore collatus, quamvis invalidus ſit ob aliquod vitium latens. 331.2131.

Validitas Abſolutionis.

Valida eſt abſolutio, qua Confeſſarius Perſonam, cum qua rem habuit, abſolvit, remota occaſione ne iterum ad præteritas redeant illecebres. pag. 296. & 297. n. 2028.

Validitas Profeſſionis Religioſæ.

Religioſus profeſſus, qui dubitat de ſuæ Profeſſionis validitate tenetur omninò pro profeſſione ſtare quouſque rationabiliter dubium deponere non valet, ante quinquennium; poſt quinquennium verò practicè debet deponere dubium. pag. 186. quæſ.2.

Si dubium ſit de intentione, potiùs præſumitur pro profeſſione. Ibidem.

Validitas Sacramenti Extremæ Unctionis.

Ad validitatem hujus Sacramenti requiritur, quod infirmus ſit in mortis articulo, vel periculo, ſaltem probabili, ſeù præſumpto. 250.1876.

Validitate Sacramenti Matrimonii.

Matrimonium cum errore, & dolo celebratum, ubi non adeſt error, niſi in qualitate pulchritudinis, non verò circà ſubſtantiam, eù circa Perſonam, validum eſt. 295. 2019.

Validum eſt Matrimonium, quod damnatus ad mortem contraxit liberatione à Judice

dice compromiſſa ſi ejus filiam duceret. 194. 1744.

Validum eſt Matrimonium ſi contrahatur inter filiam Medici, & ægrotum, quem Medicus alioquin mederi nolebat. 27. 1301.

Validitas Sacramenti Ordinis.

Sufficit ad validitatem, quod ſit homo maſculus baptizatus. pag. 282. & 263. *n.*1912.

Si Ordinandus ſit adultus, requiritur etiam de neceſſitate Sacramenti, quod intentionem habeat ſuſcipiendi Ordinem. 263. 1912.

Validitas Sponſalium.

Sponſalia clandeſtina, quæ fiunt ſine Parocho, & teſtibus, quamvis in foro externo valida non habentur, in foro tamen conſcientiæ valida ſunt; & firma. 303. 2058.

Vana obſervatio.

*Vana obſervatio, qua media inutilia adhibentur ad præſtandum, vel omittendum aliquid, habet tres ſpecies. pag.*317. & 318. *n.* 2093. & 2094.

Venatio.

Licet venari in die feſto ob recreationem, ac etiam propter lucrum. 309. 931.

Prohibitio venandi Clericis, & Religioſis, non eſt ſub mortali, quando ſolùm fit honeſtè ſine ſcandalo recreationis cauſa. 92. 14-8.

Non decet Eccleſiaſticos, præſertim in ſacris conſtitutos, venari frequenter. 92. 1498.

Eſt illicita venatio clamoroſa, etiam pro una vice, tam Clericis ſecularibus, quàm Religioſis, ſub pena peccati mortalis, & ſuſpenſionis. 92. 1498.

Venditio, & Venditore.

Mercator, qui non interfuit Monopolio, nullo modo poteſt vendere merces juxta monopolium. 30. 1312.

Verba.

De Verbis non eſt dialecticandum. 198. 1750.

Verba ſunt formaliter intelligenda. pag. 201. *quæſ.* 1.

Verba accipienda ſunt in ſignificatione uſitatiori. 271. 1936.

*Verba rebus, non res verbis deſerviunt pag.*202. *quæſ.*1.

Vicarius.

Vicarius ſpecialis, quoad illam ſpeciem eſt major Vicario generali. 277. 1959.

Vicarius Chriſti.

Sacerdos in actu Confeſſionis eſt Vicarius ſpecialis Chriſti, Papa verò Vicarius generalis. 277. 1959.

Vicarius Epiſcopi.

Religioſi, ubi à Regula, ſeù ſuis conſtitutionibus non prohibentur, & hæ duæ interveniunt conditiones, nimirum in primis Superioris licentia, vel Generalis, ut in Jeſuitis, vel ſaltem localis, ut in aliis, & altera, quæ eſt Monaſterii utilitas, ad quam ſufficit accreſcens honor, à jure communi non impediuntur, ut ſint Epiſcoporum Vicariis. 184. 1739.

Vicarius Papæ.

Poteſt Vicarius Sanctiſſimi ordinare familiares, ſeu Officiales Papæ in curia reſidentes, qui per triennium habitaverint in urbe. 64. 1404.

Digitized by Google

Vicarius Prioris apud Nos.

Facultas Vicarii expirat, quando Prior ad Conventum redit. pag. 203. quæſ. 2.

Vilis Perſona.

Perſonæ viles non ſunt teſtes Idonei. 327. 2116.

Vinea.

Non eſt licitum ingredi vineam, & ibi uvas comedere ad beneplacitum, vel in via, ſine peccato, & reſtitutionis obligatione. pag. 220. *&* 221. *n.* 1811.

Si multi ſingulatim vineam aliquam ingrediantur, aliis aliorum ignaris, & unuſquiſque ſuum racemum capiat, quoaduſque nullus in ea relinquatur, licèt nullus eorum mortaliter peccaverit, ſed ſolùm venialiter, tamen ſinguli tenentur partem illius damni, quæ eos contingit, reſarcire. 221. 1812.

Viſitatores.

Non poteſt Epiſcopus in primo ingreſſu Viſitationis Regulares compellere ad proceſſionem cum Clero. 155. 1669.

Generaliter prohibetur omnibus, qui jure ordinario viſitant, munerum receptio, & quamvis liberaliter donata fuerint, ad reſtitutionem tenentur. 125. 1593.

Votum.

Nec motus primò primus, nec ſecundò primus, ſufficit ad Votum faciendum. 381. 2252.

Qui aliquid vovit modo indeterminato, poteſt eligere quod minus eſt. pag. 386. *quæſ.*

Ex voto Paupertatis carere debent Religioſi rebus aliquo modo neceſſariis, & penuria Conventus patienter eſt toleranda. 167. 1696.

Non poteſt Papa diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, & obedientiæ. 65. 1409.

Non peccat contra votum caſtitatis qui pollutionem cœptam in ſomno non reprimit in vigilia, nam ſufficit non placere. 28. 1302.

Uſura, & Uſurarii.

Ubi eſt mutuum, & lucrum ex ipſo mutuo principaliter intentum, & non pactum, eſt uſura mentalis. 389. 2286.

Qui intendit habere ab aliquo lucrum propter mutuum, ſed non principaliter, ſed ob gratitudinem, & liberalitatem ſuam, non eſt uſura mentalis, ſicut nec exteriùs accipere uſuram facit. 393. 2301.

Non poteſt tuta conſcientia mutuator accipere ſub uſuris, niſi ab eo, qui paratus eſt hoc facere, & uſuras exercet, & propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius. 218. 1803.

Qui non juravit ſe non repetiturum uſuras, licitè repetere poteſt ſolutas. 393. 2303.

Uſus Conjugii.

Non eſt compellendus conſummare Matrimonium, qui ante copulam competit eſſe corruptam, quam putavit Virginem. 355. 2177.

Uſus conjugii, ſolùm propter delectationem, eſt peccatum veniale. pag. 388. *&* 389. *n.* 2282.

Uxor.

Nomine Uxoris in favorabilibus venit illa, quæ Matrimonium contraxit, in odioſis verò quæ conſummavit. pag. 304. *n.* 2061. *&* 2062.

Si Uxor moriatur non electo ſepultura, in ſepulcro ſui ultimi Viri ſepelienda eſt. 275. 1952.

F I N I S.

Digitized by Google

Errata			Corrige.
Pag.	Columna.	Linea.	
20.	1.	24 Inter. 72.	Inter. 77.
49.	2.	20. Inter. 19.	Inter. 7.
	Ibidem,	21. Inter. 30.	Inter. 28.
60.	1.	25. Ordinario	Ordinato
92.	1.	29 ventio	venatio
132.	1.	38 quoque	quocunque
135.	1.	25. Ordinari	Ordinaria
137.		tit. 179.	tit. 178.
138.		tit. 190.	tit. 180.
154.	1.	46. ſa ix tam	ſanxit tam
247.	2.	34 in teſſus	ſit ſeſſus
253.	1.	36. eſſe Sacerdotem.	eſſe ipſos contrahentes, & non Sacerdotem.

Errata alia tuæ relinquuntur intelligentiæ.

ROMÆ, M. DCC. VIII.

Noviſſimis Typis Joſephi Nicolai de Martiis, propè Magnam Curiam INNOCENTIANAM.

SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google